PRAELECTIONES

DE JUSTITIA ET JURE

QUAS HABUIT

In Caesarea Romano-Catholica Ecclesiastica Academia
Petropolitana

Joannes Matsulevicz

Theologiae Moralis et Pastoralis Professor.



PETROPOLI.
Officina typographica J. A. Mansfeld.
1903.

№ 1513. Imprimatur:
Datum Petropoli die 22 Aprilis 1903

Praelatus *Denisewitz.*



Secretarius

C. Propolanis
Can. Hon.

№ 478. Правленіемъ Императорской Р. К. Духовной Академіи разрѣшается печатаніе лекцій „De Justitia et Jure". С.-Петербургъ, 21-го Сентября 1902 года.

Ректоръ Академіи,
Прелатъ *Лонгинъ Жарновецкій.*

Письмоводитель *Миржвинскій.*

PROOEMIUM.

Esse mihi res aequa videtur, e virtutibus moralibus, quae cardinales dici solent, justitiam prae ceteris ampliore studio explicare; graves enim sunt rationes, quae peculiarem hujus morum doctrinae diligentiam postulant.

Quemadmodum quaevis scientia, aeque Theologia Moralis, potissimum cum vitae usui obveniat, profectu sane est capax, si non objectivo, certe tamen subjectivo; novae enim in dies condiciones vitae socialis ac necessitates profecto sunt ejus momenti, quarum rationes habere oportet. Verum, nisi ipsa morum principia ac fontes excipiam, nescio, an quod caput doctrinae moralis tantas postremo tempore expertum sit difficultates et negotia, ac caput de justitia; enimvero se praebuerunt homines, qui rerum novarum cupidi vel ipsum justitae commutativae fundamentum, quod est jus proprietatis, irritum facere vellent. Cum insuper nullum caput Theologiae Moralis tot condicionum vitae socialis, non parum hodie immutatae, rationen habere debeat (ut ex causa opificum solutu tam difficili satis constat), quam virtus justitiae, ideo non est mirum, quod haec et rebus novis in dies augetur et peculiarem attentionem theologorum meretur.

Porro doctrina de justitia singulare prae aliis morum materiis postulat studium ab animarum rectoribus; id enim sibi habet proprium, quod poenitentes, qui ejus culpa tenentur, onere restitutionis obstringit, et confessarius muneri suo non facit satis, si in tribunali poenitentiae corde contritis et emendationem firmiter promittentibus nihil amplius, nisi opera pia pro satisfaciendo imponit: non enim remitti peccatum, nisi restituatur ablatum, docent omnes theologi catholici, duce s. Augustino. Cum vero confessarius, ut est prudentis judicis, in singulis casibus etiam difficillimis plane decernere debeat, cui, quomodo, quantum sit restituendum, ideo ipse prior principia

justitiae ejusque singula adjuncta probe cognoscat, ut animarum regimini, quemadmodum oportet, se expeditum exhibeat; alioquin eventus comprobabit monitum Salvatoris: *caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt* (Matth. XV, 14).

Quibus rationibus incitati docti viri, qui studiis Theologiae Moralis recentiore tempore cum laude operam navabant, aut separatim libros de justitia conficere, aut saltem insignes ei partes in universa morum doctrina offerre consueverunt; neque illos rebus novis augendi confidentiam sumerem. Si nihilominus proprium de justitia opusculum componendi consilium inii, incitamento mihi fuit singularis ratio atque condicio nostrae regionis. Manifestum quidem est justitiam principiis juris naturalis, cujus auctor est Deus supremus legislator, potissimum inniti, non tamen iisdem solis, cum jus naturae neque semper sit satis perspectum, neque singulos humanos actus ac condiciones moderetur; quapropter, quid sit justum, plenius jus positivum canonicum et civile determinat. Jus quidem canonicum apud omnes catholicos propemodum valet idem; contra, civiles codices in diversis regionibus multum inter st differunt; ideo quaevis regio in decernenda justitia etiam sui codicis rationem habere debet. Nemo tamen theologorum aliquod opus de justitia, condicionibus catholicorum, quos hodie Rossia amplissime complectitur, accomodatum usque modo conficere tentavit. E seculo XVII habentur quidem praelectiones theologicae de Jure et Justitia a Thoma Młodzianowski polono compositae; auctor tamen potius rationem speculativis disputationibus excolendam prae oculis habuisse videtur, neque usum vitae etiam illius temporis alicubi curabat. Cui indigentiae prospicere est mihi nunc in voto. Verumtamen, cum pro amplitudine Imperii Rossici et diversis ejus civium condicionibus politicis neque idem ubique codex civilis, neque eodem tenore usu veniat, ideo omnia et singula in opusculo respicere est res valde difficilis. Quam ob rem praecipuos tantum observare codices esse mihi satis videtur, et quidem: **Jus Romanum**, quod merito *ratio scripta* appellari solet et non parvam vim in corpore juris rossici efformando habuit, quodque districtui ad Mare Balticum (Curlandia, Livlandia, Estlandia) usque modo ex parte saltem est concessum; porro, proprium **Jus Rossicum** seu Corpus Legum (*Сводъ законовъ*), quod majorem Imperii partem moderatur et quantum justitiam definit, prima parte decimi tomi potissimum continetur, ex quatuor libris constat, inscribitur: *гражданскіе законы;* deinceps **Codicem Napoleonis**, qui ab anno 1808 in Corona, quae

dicitur Poloniae, etsi successu temporis pro opportunitate in multis immutatus usuvenit [1]; tandem **Statutum Lithuanicum,** cujus saltem quaedam capita in districtu Czernihoviae et Poltaviae usu et jure usque modo retinentur.

---

[1]) Quae in Regno Polonico, tempore labente, Codici Napoleonis addita vel in eo sunt immutata, continentur in peculiari editione, quae inscribitur „*Codex Polonicus*".

Praestantiores auctores qui de Justitia scripserunt.

1. Principes auctores, qui in justitia explicanda potiorem promeruerunt laudem atque classici merito cognominantur, sunt qui sequuntur:

Ludovicus Molina S. J. natione hispanus, in Eboracensi Academia s. Theologiae professor n. 1535 m. 1600. Hic amplissimo et praestantissimo suo opere «*de Justitia et Jure*», quod 6 voluminibus (760 disputationibus) in folio constat, non tantum apud theologos, sed aeque apud juris peritos magnum sibi nactus est nomen. Licet in quibusdam sententiis paullo severior esse videtur, attamen nemo est, qui ejus auctoritatem in justitia examinanda magni non aestimet, ejus profundam eruditionem non admiretur. Molina in justitia interpretanda, si quos sibi pares, certe tamen majorem vix quem habet.

Leonardus Lessius S. J. decus et gloria Belgii, vir sapientissimus, simulque piissimus, cum fama sanctitatis 1623 an. est mortuus. Doctissimi viri suae aetatis, ut Suarez, Molina, Vasquez in gravissimis difficultatibus solvendis ipsius judicium inquirebant. Excelluit in rebus dogmaticis. Ex operibus moralibus classicum suum opus «*de Justitia et Jure, caeterisque virtutibus cardinalibus*» constat 4 libris, quorum secundus, ceteros amplitudine superans, explicandae justitiae est deditus. Quod opus licet copia rerum non adaequat opera Molinae, verum sententiarum gravitate et maturitate certe hisce non est inferius. De quo opere ita s. Franciscus Salezius 26 Aug. 1618 an. ad auctorem scripsit: «vidi ante aliquot annos opus illud utilissimum, in quo et breviter, simul et luculenter diffi-

cultates illius partis theologiae prae ceteris auctoribus, quos viderim, egregie solvis».

Joannes de Lugo † 1660 cardinalis S. J., natione hispanus, ob suam erga miseros liberalitatem pater pauperum cognominatus, subtilitate ingenii excelluit: jam triennis libros legebat. Hic, ut verbis s. Liguorii utar, post d. Thomam inter alios theologos facile princeps non temere dici potest. Inter sua opera scholastico-moralia est celeberrimum «*de Justitia et Jure*», opus non parvae molis, quod duobus tomis in folio constat eminetque copia rerum, profunditate ingenii, brevi genere dicendi. In dubiis quaestionibus solvendis Lugo saepenumero benigniorem ac Molina sententiam dicere solet, ejusque fere quaevis opinio in justitia dirimenda deinceps communiore theologorum consensu est adprobata.

Auctoritate inferior, licet tempore hisce tribus auctoribus prior fuit **Dominicus Soto** † 1560, qui per 30 annos in universitate Salmanticensi theologiam docuit. Hic fuit primus, cui non satis erat circa justitiam Librum Sententiarum Lombardi aut Summam S. Thomae commentariis explicare; congruentius enim, ut ipse in prooemio fatetur, existimavit novum conflare opus, in quo dispositius cuncta componeret, quam si Thomae textui sua seorsim circumscriberet. Suum opus *de Justitia et Jure* decem libros complectitur, in quo Soto sententias non semel novas et sat audaces prodit easque argumentis confirmando non paucas vere probabiles efficit; in pluribus tamen a posterioribus theologis acriter impugnatur.

2. Praeter hos quatuor principes auctores plures alii, potissimum seculis XVII et XIX aut in explicanda tota justitiae materia, aut in singulis ejus partibus elaborandis operam dabant; quorundam opera sat ampla sunt et verbosa, gravitatem tamen illorum aemulari nequeunt, etsi singulas quaestiones et difficultates, experientia suorum praedecessorum docti, magis interdum prospere quam illi solverunt. Memoria digni sunt:

Ludovicus Maria Agudi «*De justitia et jure, de restitutione et de contractibus*».

Beüsch «*De pactis et contractibus*».

Dicastillus Joannes S. J., neapolitanus, pius et doctus † 1653 «*De justitia et jure*».

Fagundez St. S. J., lusitanus † 1645, auctor gravis «*De justitia et contractibus*».

Haunoldus Christophorus S. J. † 1630 «*Controversiarum de justitia et jure tomi quattuor*». Auctor in materia justitiae est valde gravis et eruditus, potius tamen jurisperitus, quam theologus.

Mlodzianowski Thomas S. J. «*Praelectiones theologicae de Justitia e Jure* 1667 Leopoli.

Petschacher Benedictus «*De restitutione*» 1676.

Petrus de **Onnate** † 1646, S. J., hispanus «*De contractibus*».

Rosmer Paulus † 1664, S. J., belga «*De justitia et jure*».

Joannes de **Salas** S. J., hispanus † 1613 «*De contractibus*».

Salonius Michaël, hispanus «*De jure et justitia*».

Strevesdorff «*De justitia et jure*». Coloniae 1632.

Wadingus Petrus S. J., hibernus † 1644 «*De contractibus*».

Vogler Josephus S. J., germanus «*Circa obligationes restitutionis*»— opus quidem seculo XVIII conscriptum, primo tamen a Carrière 1833 an. est editum.

Seculo XIX de justitia potissimum scripserunt:

Josephus **Carrière**, gallus, de congregatione St. Sulpitii. Scripsit «*De justitia et jure*» libros tres et *de contractibus* libros duo; ed. Parisiis intra 1839—1844 an., obiit 1864. Auctor in materia justitiae est gravis et probabiliorista.

Crolly «*De justitia et jure*» ad normam juris britannici 1 vol. 1887.

Delama Dionysius «*Tractatus de justitia et jure*», habita ratione ad codicem civilem Austriacum, ed. 1881 Tridentini.

Pruner «*Lehre vom Recht*», opus sat grave.

Marres «*De justitia*» duo tomi (quatuor libri) ed. altera 1889 Ruraemundae; habet rationem juris civilis potissimum Neerlandici; opus grave et quae in eo pro foro conscientiae traduntur, non tantum pro Neerlandia vim suam obtinent.

Waffelaert «*De justitia*» duo tomi, ed. Brugis 1886 an., respicit jus civile belgicum; opus grave.

Tractatus de justitia et jure et de contractibus ed. **Mechliniae** 1896 an; opus commendatur claritate expositionis, soliditate argumentationis estque applicatum praesenti condicioni relationum socialium (ita in ejus approbatione); rationem habet legum civilium Belgii.

Van Gestel S. J. «*De justitia et lege civili*» ed. altera 1896 an.; in hoc parvo opusculo auctor in genere explicat vim legum civilium

in conscientia, quatenus materiam justitiae spectant; in specie vero leges civiles Neerlandiae observat.

Pottier A. «*De jure et justitia*»; dissertationes de notione generali juris et justitiae et de justitia legali; 1 vol. Leodii 1900.

Veermeersch A. S. J. «*Quaestiones de Justitia ad usum hodiernum scholastice disputatae*»; Brugis 1901; in quo volumine auctor, ut ipse fatetur, non omnia complectitur, in quibus versari solent opera de Jure et Justitia, sed quae magis ad hodiernas controversias intersunt; quo fit, ut res sint numero pauciores, uberior tamen singularum expositio (praefatio).

3. Praeter commemorattos auctores, qui nominis famam, potissimum justitiam explicando, sunt adepti atque de eadem confecerunt separata opera, sunt alii bene multi, de universa Theologia Morali optime meriti, quorum auctoritas pariter in materia justitiae est magna. Inter quos certe princeps est S. **Thomas**, doctor angelicus, qui in secunda secundae Summae Theologicae a quaestione 57 ad 80 profunda de justitia scrutatur.

Franciscus **Suarez** in suis scholasticis commentariis illius partis Summae S. Thomae, quae est de justitia.

Paulus **Laymann** † 1625, S. J., teste Muzzarelli, doctissimus theologus moralis, aut nulli aut fere nulli secundus, qui totum librum tertium suae Theologiae Moralis, qui sex tractatibus constat, justitiae explicandae dedicavit.

Franciscus **Sylvius** † 1649, unus e praestantissimis interpretibus Doctoris Angelici; de justitia et jure in tertio tomo suorum operum disserit.

S. **Alphonsus de Liguorio**, seculo XVIII († 1789) divinitus Ecclesiae datus, in rebus moralibus summae auctoritatis; de justitia in libro quarto suae *Theologiae Moralis* disputat.

Antonius **Ballerini** in «*Opere Theologico-Morali a Palmieri edito*», quod ex 7 voluminibus constat, de justitia tomo tertio disserit.

Aug. **Lehmkull** S. J. «*Theologia Moralis*» p. I lib II; et alii.

Insuper nostra aetate tum a theologis catholicis, tum ab aliis viris eruditis permulta opera de causa operariorum sunt composita, quae etiam ad virtutem justitiae universim explicandam non parum contulerunt; eadem etiam, licet non sine discrimine et judicio, consuli debent. Ex postremo decennio hosce saltem auctores, qui de

causa opificum recte scripserunt, indicare expedit: **Nitti,** Le socialisme catholique. Paris 1894.—**Eberle** C. Dr. Grundzüge der Sociologie zur Einführung in die sociale Frage und als Grundlage für socialwissenschaftliche Vorträge 1896.—**Scheicher** Josef Dr. Der Clerus und die sociale Frage ed. altera 1897.—**Biederlack** Josef S. J. Die sociale Frage Innsbruck 1898.—**Cathrein** Victor S. J. Der Socialismus, ed. septima.—**Soderini** Edouard, Socialisme et Catholicisme.—**Castelein** A. S. J. Le socialisme et le droit de propriété. Paris. —**Naudet** A. Propriété, Capital et Travail. Paris.

LIBER I.

De justitia positiva.

DE NATURA JUSTITIAE.

4. Cujuscunque virtutis est hominem ejusque opus reddere bonum [1]; aliae tamen virtutes, ut fortitudo, temperantia, scientia pro objecto ipsum hominem immediate habent, ejus facultates internas passionesque moderando; aliae, ut caritas et justitia dirigunt hominem erga alios homines, opera proximis debita vel maxime perficiendo.

Discrimen inter justitiam et caritatem in eo praecipue consistit, quod caritas considerat homines ut ejusdem naturae et destinationis participes, eosque qua *membra unius corporis* moralis vinculo supernaturali in Deo consummato *conjungere* intendit. Contra, justitia eos inspicit ut ab invicem *distinctos*, personali dignitate et *individuali independentia* donatos, ratione cujus vis ac facultas cuicunque agnoscitur finem suum prosequendi, mediis ad id necessariis utendi *libere ab aliis*, licet non sine judicio divino. Caritas exhortatur, ut diligamus nos invicem sicut membra ejusdem corporis *diliges proximum tuum*, monet Salvator, **sicut te ipsum** (Matth. 22, 39). Justitia distinguit nos ab aliis, semper aliquod *jus alteri debitum* praesupponit atque ad idem reddendum obligat; quod jus, ut recte Cathrein [2]) dicit, est praesidium, quo indigemus, ut in usu nostrae libertatis contra aliorum hominum incursus protegamur; jam veteres dicere solebant, naturali justitia admoniti: *alteri ne feceris*, quod *tibi* fieri non vis. Caritas, in se si spectetur, est virtus justitia sublimior, altius se extollit super

---

[1]) Cf. 2. 2. q. 58 art. 3.

[2]) Philosophia Moralis n. 225.

illa principia, quibus stricte exequimur *«meum—tuum»*, seu mutua nostra officia describimus atque observamus; quo est perfectior, eo majorem suimetipsius oblivionem et renuntiationem pronuntiat, neque certis quibusdam finibus ea circumscribitur; solaque in patria coelesti dominatrix erit. Contra, ad condicionem et usum vitae, quam hac in terra non omnibus numeris perfectam [1]) degimus, justitia magis esse videtur accomodata, magis, ut ita dicam, humana; ipsa strictum suum cuique dandum postulat; quo est perfectior, eo majorem observantiam et aestimationem tum suiipsius, tum proximi habet, propriam et alienam utilitatem intra certos fines respicit, mutuam inter homines legitimam indemnitatem fovet. Quem finem continuo prosequendo, justitia revera conservatrix humanae societatis et fundamentum mutuae pacis efficitur: *et erit opus justitiae pax... et securitas usque in sempiternum* (Is. XXXII, 17). *Justitia elevat gentem* (Prov. XIV, 34). *Fructus autem justitiae in pace seminatur* (Jacob. III, 18). Justitiae, ait Cicero [2]), ea est ratio, qua societas hominum inter ipsos et vitae communitas continetur. Contra, ubi deest justitia, ibi caedes et rapina, furta et homicidia, timor et angustiae et securitas nulla.

5. Justitia in Jure Romano (lib. X) ab Ulpiano definitur: constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuens. Quam definitionem explicat, et defendit S. Thomas, eamque debita forma vestitam ita proponit: *justitia est habitus, secundum quem aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit* [3]). In qua definitione justitia recte dicitur *habitus* et subintelligitur habitus bonus; est enim virtus, quae statu permanente, non autem actu transeunte constat; altera tamen ex parte justitia non est simplex potentia, sed potius habitus actibus jam acquisitus, quo sensu dicit S. Thomas: voluntas hic nominat actum non potentiam (ibid.) Subsistit autem virtus justitiae in *voluntate*, non in memoria aut intellectu; non enim dicimur justi ex hoc, quod recte aliquid cognoscimus aut recordamur, sed quod recte agimus; proximum autem principium actus, quo suum unicuique redditur, est vis appetitiva superior, quae est voluntas [4]). Voluntas supponitur constans et perpetua: *constans*, quandoquidem

---

[1]) Vivitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur, si sunt simulacra virtutis. (Cicero, De Officiis lib I, cap. 14).

[2]) De Officiis lib. I, cap. 4.

[3]) 2. 2. q. 58 art 1.

[4]) 2. 2. q. 58 art 4.

justitia non debili aliqua velleitate continetur, sed in sua executione voluntatem exigit firmam, quae in omnibus adjunctis capax sit superandi difficultates ex parte humanae naturae, avidae terrenarum rerum; *perpetua* vero intelligitur voluntas non ex parte actus, ènimvero solius Dei voluntas est perpetua, sed ex parte objecti, in quantum vc. res alteri debita ei semper est tribuenda, seu semper ad eum clamare dicitur. Tandem verbo *tribuendi* in definitione justitiae simul actio et omissio designatur; justitia enim voluntatem movet non tantum ad jus suum alteri dandum, sed aeque prohibet, quominus alter jure suo privetur.

Ad rationem justitiae hic definitae tres insuper condiciones prae
6. ceteris virtutibus requiruntur:

1) Ut sit *ad alterum*; quapropter nemo, proprie loquendo, sibi ipsi reddit justitiam aut injustitiam erga se committit; et si id aliquando dicitur, est locutio metaphorica tantum. Objici quidem potest: petis a Petro, ut te occidat; suadendo injustitiam, ipse quoque injustitiam committere videris. Negat, tamen de Lugo [1]), injuriam erga suadentem tunc a homicida committi; quod jam aliunde sermone tritum et genuino sensu acceptum satis probat proverbium: scienti et volenti non fit injuria. Committitur utique injuria erga communitatem, cujus membrum erat occisus et erga Deum auctorem vitae, non vero erga suasorem.

Occasione primae hujus condicionis ad justitiam requisitae, ut vc. sit ad alterum, inter theologos scholae erat controversia, *an inter patrem et filium*, dominum et servum *intercedere queat aliquod justitiae debitum*. Plures, ut Cajetanus, Valentia id negabant, innixi sententiae S. Thomae: «ad justitiam pertinet reddere jus suum unicuique, supposita tamen diversitate unius ad alterum... Et quia quod est filii, est patris; et quod est servi, est domini, ideo non est proprie justitia patris ad filium, vel domini ad servum [2]).

Contrariam sententiam tuebantur Soto, Molina, Suarez, Vasquez aliique; utebantur vero distinctione, quam idem S. Thomas proposuit: «filius, in quantum filius, est aliquid patris. Et similiter servus, in quantum servus, est aliquid domini. Uterque tamen prouti consideratur, ut quidam homo, est aliquid secundum se subsistens, ab aliis distinctum. Et ideo in quantum uterque est homo, aliquo modo ad

---

[1]) Disp. I n. 19.

[2]) 2. 2. q. 57 art. 4.

eos est justitia» (ibidem). Quae distinctio inter patrem et filium, quatenus sunt pater et filius et quatenus sunt homines tantum, a S. Thoma proposita, si accipiatur, optime conciliatur controversia. Vc. in iis obligationibus, quae in tantum subsistunt, in quantum alter est pater et alter filius, deest ratio justitiae quae propria dicitur: pater, qui non aluit filium, quemadmodum tenebatur, item filius, qui non oboedivit patri, non violaverunt justitiam, quae propria dicitur, nec ideo aliquid in hac causa restituere tenentur, licet uterque peccavit et uterque in posterum se emendare tenetur; neuter ad restitutionem tenetur, quia pater ad alendum filium non obligatur nisi ratione paternitatis; similiter filius in oboedientiam patris ratione tantum filiationis obstringitur. Contra, habetur propria justitiae ratio in illis obligationibus, quae aeque tunc intercederent, etiamsi ambo sibi essent alieni: pater, qui filium de fama detraxerit, filius, qui aliquid a patre sit furatus, veram injuriam committunt, quae onus restitutionis imponit.

7. 2) Porro ad rationem justitiae, quae propria dicitur, requiritur, ut *alter jus habeat* ad id, quod ipsi tribuitur. Ita eleemosyna non est actus justitiae defectu juris in paupere, cui illa datur; aliter dicendum est de pretio, quod in vendicione solvitur. Jus igitur constituit proprium justitia objectum, quod subintelligitur tum activum seu formale, qua libertas vel facultas ad aliquid, tum qua hujus facultatis terminus seu jus passivum aut objectivum, qua debitum. De quo jure, ut justitiae objecto, posthac uberius disseremus.

8. 3) Tandem peculiare est justitiae, quae propria vel rigorosa dicitur, quod alteri jus suum adaequate seu *ad aequalitatem* tribuendum urget, quin ad qualitatem personae, cui jus est dandum, attendat; ut si pro re vendita pretium ejus valori aequale accipitur, perinde num emptor sit pauper an dives, honestus an improbus. Ex quo sequitur, actum religionis erga Deum non esse actum justitiae, quae propria dicitur, cum jus, quod Deus habet, ut Eum colamus, vires nostras longe superet, neque ideo Ei aequivalens reddere possimus [1]. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi* (Ps. 115, 12).

Aequalitas, quae justitiae est propria, consistere dicitur in *medio rei ad rem;* quod ut intelligatur, est animadvertendum, justitiam in eo cum aliis virtutibus moralibus convenire, quod medium inter excessum et defectum constituat, eo autem a ceteris differre, quod

---

[1]) Cf. Molina t. IV tr. 3 D. 1 n. 1.

justitia medium rei, aliae vero medium rationis sequantur. Quod non sic intelligendum est, ait Cathrein, quasi reliquae virtutes v. g. temperantia non versentur circa aliquam rem, in eaque medium servent; sed reliquae virtutes immediate quaerunt, quae res sit *ipsi agenti* secundum praesentes circumstantias proportionata et conveniens; justitia vero immediate quaerit, quae res proportionata *juri alterius*. Hanc rem vult alteri ad aeqalitatem reddere. Inde sequitur, medium justitiae per se esse idem in omnibus, medium autem aliarum virtutum variare potest secundum concretas circumstantias operantis, et propterea est magis occultum et majore consideratione rationis indiget. Hinc medium rationis vocatur [1]). Justitia vc. simpliciter exigit, ut tantum alteri tribuatur, quantum ei stricte debetur, nulla habita ratione operantis et circumstantiarum, in quibus ipse reperitur; exigitur res aequivalens rei, vel jus aequivalens juri; quod cum ita sit, jam satis apparet, justitiam pro omnibus hominibus esse eandem. Contra, aliae virtutes, cum ipsum operantem perficiant, ejus qualitatem potissimum attendunt, ut secundum dictamen rationis consideretur, quomodo huic vel illi personae conveniant; hinc medium earum ex comparatione ad ipsum virtuosum est determinandum et pro diversis hominicus est aliud atque aliud: quod diviti in sumptibus ad coenam faciendis est parum, pauperi id nimium fieri potest; fortitudo quae in femina sufficiens reputatur, non sufficiet pro milite.

9. Nomen justitiae, quam definivimus, a propria significatione etiam ad alias sibi affines notiones designandas ob quandam analogiam non semel usurpari solet. Ita: a) sumitur pro *complexu omnium virtutum*: *nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum* (Matth. V, 20). Cum enim homo per complexum virtutum adimpleat, quod erga legem, praescripta rationis ac quamcunque morum regulam debet, ideo non sine ratione justitiam adimplere analogice dici potest. b) Porro justitia accipitur *pro caritate* et *statu gratiae sanctificantis: qui secundum Deum creatus est in justitia* (Ephes. IV, 24); quae significatio justitiae proxime illi accedit; cum enim caritas et gratia sanctificans sit vinculum perfectionis et plenitudo legis, omnes pariter virtutes saltem habitu complectitur. c) Nomine justitiae non semel ipsa *opera bona*, potissimum *opera misericordiae* significantur: *attendite, ne justi-*

---

[1]) Cathrein Philosophia Moralis p. I § 140.

tiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab ipsis (Matth. VI, 1).

10. *Justitia*, qua virtus morum cardinalis, a theologis *specie triplex* distingui solet: legalis, distributiva, commutativa; cujus distinctionis ratio est triplex in republica ordo tribuendi alteri jus suum: nimirum existit ordo partium ad totum, quem ordinem dirigit justitia legalis; ordo totius ad partes, qui moderatur justitia distributiva; tandem ordo partium ad invicem, in quo servatur justitia commutativa. Quae divisio justitiae usque ad postremos annos apud theologos in usu communi erat. Hoc tamen est contra mentem S. Thomae, doctoris angelici [1]), qui justitiam dividit in generalem et particularem: *ad generalem* pertinet non solum *legalis*, sed aeque potest adjudicari saltem ex parte: religio, oboedientia, pietas, epicheia. *Particularis* vero, quae sola virtus cardinalis dicitur, in *commutativam* et *distributivam* [2]).

11. **Justitia legalis** est virtus inclinans singula societatis membra ad ea praestanda, quae communitati ad bonum commune sunt debita. Hac justitia movetur princeps ad leges bono societatis convenientes ferrendas et subditus ad eas intuitu boni communis observandas. Dicitur haec virtus legalis tum ob analogiam cum lege, quae pariter bonum et utile communitatis intendit, tum quia eadem ad legum observantiam inclinat. *Non* est tamen *confundenda cum oboedientia legibus* praestanda [3]), siquidem hanc latitudine tum subjecti, tum objecti materialis superat: enimvero non tantum subditos, ut oboedientia, obstringit, sed pariter principes, qui etiam bonum societatis curare debent; prohibet damnum communitatis, etiamsi id legibus non sit determinatum. Distinguitur etiam diverso objecto formali.

Justitia legalis appellatur etiam *generalis* vel communis, quia bonum generale, publicum pro objecto habet. Profundiorem hujus nominis rationem affert S. Thomas: quodlibet bonum partis est ordinabile ad bonum totius. Secundum hoc ergo bonum cujuslibet virtutis sive ordinantis aliquem hominem ad seipsum, sive ordinantis ipsum ad aliquas alias personas singulares, est referribile ad bonum com-

---

[1]) Cf. Zeitschrift für Katolische Theologie, IV quartalheft 1901. Cathrein „Die Cardinaltugend der Gerechtigkeit und ihr Verhältnis zur legalem Gerechtigkeit“.

[2]) Idem Aristoteles 5 Ethica cap. II et Molina t. I tr. I Disp. 12.

[3]) Contrarium affirmat Bucceroni, Institutiones Theol. Moral. I n. 835.

mune, ad quod ordinat justitia (*generalis*). Et secundum hoc actus omnium virtutum possunt ad justitiam (*generalem*) pertinere. secundum quod ordinat hominem ad bonum commune [1]. Justitia tamen legalis, ait de Lugo, non est communis (*generalis*) per identitatem seu praedicationem (*vc. cum aliis virtutibus, sicut animal est praedicabile et idem in homine, equo, aquila)*, est tamen generalis per causalitatem et influxum, quatenus ad illum finem (*bonum commune*) potest ordinare et imperare actus aliarum virtutum [2].

Cognita natura justitiae legalis vel generalis, apparet, eam esse justitiam solummodo secundum quid, non vero justitiam. quae rigorosa dicitur. Justitia enim rigorosa est ad alterum et inter eos subsistit, qui ita sunt invicem distincti, ut unus non sit pars alterius. Sed civis est pars societatis et quidquid in commodum commune operatur, etiam suum bonum aliquo modo procurat. Neque ideo tamen censendum est quidpiam praestantiae deperire huic virtuti. Nam etiam religio et pietas non sunt justitiae proprie dictae; tamen virtutes nobiliores prae simplici justitia censentur [3]. Eam, ait Aristoteles, esse praeclarissimam, continereque in se virtutes omnes, et neque hesperum, neque luciferum esse ita admirabilem, multoque adhuc majorem splendorem habere, quatenus architectonice in reipublicae moderatoribus, quam quatenus in reliquis residet [4].

12. **Justitia distributiva** obligat ad servandam aequitatem in distribuendis officiis, oneribus, præmiis publicis pro cujusque civis merito et facultate; cum vero principis et superiorum est curam reipublicae gerere, hinc justitia distributiva eos principaliter respicit, secundario autem subditos et inferiores, quatenus illa distributione contenti esse debent. De justitia distributiva ita S. Thomas: in distributiva justitia datur aliquid alicui privatae personae in quantum id, quod est totius, est debitum parti. Quod quidem tanto majus est, quanto ipsa pars majorem principalitatem habet in toto. Et ideo in distributiva justitia tanto plus alicui de bonis communibus datur, quanto illa persona majorem habet principalitatem in communitate... Et ideo in justitia distributiva non accipitur medium secundum aequalitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rerum ad per-

---

1) 2. 2. q. 58 art. 5.
2) Disp. I n. 62.
3) Ant. Ballerini, Opus Theolog. Morale t. III p. 1 n. 35.
4) Cf. Molina t. I Disp. 1 n. 5.

sonas: ut sc. sicut una persona excedit aliam, ita etiam res, quae datur uni personae, excedit rem, quae datur alii. Et ideo tale medium est secundum geometricam proportionalitatem [1]). Ex hisce verbis Doctoris Angelici satis apparet, justitiae distributivae deesse illam tertiam condicionem rigorosae justitiae propriam, quae aequalitatem rei ad rem postulet.

13. Justitiae distributivae opponitur vitium, quod *acceptio personarum* dicitur; quae locutio est hebraica, saepe in Litteris sacris adhibita. *Ne accipias personam, ut delinquas* (Eccl. 42, 1) *Neque accipietis cujusquam personam* (Deut. 1, 17); proprie significat intueri faciem alicujus, non ejus merita, et tribuere aliquod bonum, non quia est digna, sed quia est haec persona. «Ad personam autem refertur quaecunque condicio, non faciens ad causam, propter quam fit dignus hoc dono. Puta, si aliquis promoveat aliquem ad praelationem vel magisterium, quia est dives vel quia est consanguineus suus» [2]).

Ut vera habeatur acceptio personarum et sit contra justitiam distributivam, duae condiciones sunt necessariae. a) bona, quae distribuuntur, esse debent vere communia seu illius communitatis, cujus sunt partes ii, quibus distribuuntur. Quia si sunt bona personae particularis, haec si ea confert indignis, potest quidem peccare contra liberalitatem per excessum, non vero contra justitiam distributivam; b) requiritur, ut is, qui distribuit, distributionem facere debeat ad compensandam dignitatem personarum, quae sunt partes communitatis [3]).

14. A **justitia** distributiva et legali differt **commutativa**, quae respicit homines, ut sibi aequales, dum illae eos considerant in relationibus totius societatis ad partem, vel vice versa. Justitia commutativa vel maxime curat, ut unusquisque, cum aliis in societate vitam agens, suis bonis pacifice fruatur, ipsique reddatur, quod est suum; quod idem est, ac tueri jura privata hominum, mutuamque civium independentiam et aequalitatem servare. Quapropter, si alicujus bona absque legitimo consensu domini sub potestatem alterius veniant, commutativa justitia jubet illa reddi in sua specie, vel si id fieri nequit, saltem eorum aequivalens domino revindicat. Commutativa

---

1) 2. 2. q. 61 art. 2.
2) 2. 2. q. 63 art. 1.
3) Cf. Ant. Ballerini, Opus. Theol. Morale t. III p. 1 § 46.

dicitur haec justitia, cum locum habeat in mutuo commercio humano, in quo aequas rerum commutationes dirigit.

Justitia commutativa est sola justitia rigorosa et propria, quae dicitur, nam in ea continentur perfecte omnes tres condiciones, ad justitiam necessariae: est enim perfecte ad alterum, cum respiciat singulares vel saltem juridicas personas, qua sibi aequales et invicem independentes [1]), exigit jus cujuscunque certum; tandem exequitur veram aequalitatem rei ad rem, quae appellatur arithmetica et est sola stricta et invariabilis, utpote profluens ex natura rerum, non autem a condicione et qualitate personarum, ut in aequalitate geometrica justitiae distributivae usu venit.

15. Praeter tres, quas consideravimus, justitiae species, quidem theologi, ut Gury, Marres, Lehmkuhl aliique distinguunt adhuc justitiam *vindicativam*, quae superiorem ex amore recti ordinis ad infligendam reis poenam delicto congruam inclinat, juxta illud ad Rom 13, 4 de principe terreno quod Dei minister est, *vindex* in iram ei, qui male agit. Juxta Suarez et d. Thomam haec justitia non distinguitur a commutativa, prout est in judice, qui ex officio punire tenetur delicta, quemadmodum custos arcere furem a praedio, simulque aequalitatem inter offensum et offendentem observare. J. D. Scotus eam distributivae justitiae adjudicat, qua actum superioris in singulas personas reipublicae. Molina eam inter partes justitiae potentiales recenset [2]). Reapse tamen vindicativa justitia est partim legalis, quatenus superior in delictis puniendis bonum commune (securitatem) intendit; partim distributiva, in quantum congruentia inter delictum et poenam observatur pro reo civi; est etiam commutativa cum judex aequalitatem inter damnum et ejus reparationem, inter offendentem et offensum ex stricto officio instituere debet.

16. Cum in justitia commutativa potissimum justitiae ratio reperiatur, ideo ipsa singularem theologorum curam postulat atque potissimum objectum tractatus de justitia et jure constituit. Reliquae autem justitiae (legalis, distributiva), cum in quibusdam a justitia rigorosa deficiant, hoc sub respectu dici possunt justitiae imperfectae vel secundum quid. Non ideo tamen sunt parvi habendae, utpote cum

[1]) Etiam subditus erga totam rempublicam (persona juridica) qua aequalis et relative independens considerari, et quod inde sequitur, justitia commutativa ligari potest, si e. g. contractu particulari ad aliquid agendum vel dandum se obligat.

[2]) Molina t. I tr. 1 Disp. 12 n. 13.

objectum nobilius quam justitia commutativa habeant, vc. bonum commune, salutem reipublicae, ex quo etiam singulorum prosperitas vel maxime pendet. Merito igitur S. D. N. Leo XIII litteris encyclicis de condicione opificum injungit principibus, ut curam habeant operariorum: «cum illud sit perabsurdum, parti civium consulere, partem negligere, consequitur, in salute commodisque proletariorum tuendis curas debitas collocari publice oportere: ni fiat, violatum iri justitiam, suum cuique tribuere praecipientem. Proinde.... *illud imprimis eminet, ut unumquemque civium ordinem aequaliter tueantur*, ea nimirum, quae *distributiva* appellatur, justitia inviolate servanda» (*Rerum Novarum*).

17. Justitia **commutativa**, quae stricta vel rigorosa dici solet, id prae ceteris justitiae speciebus sibi habet proprium ac singulare, quod ejus violatione **obligatio restitutionis** contrahitur.

Justitia commutativa, si violetur ad restitutionem obligat, quia est stricta et jus suum cuique ad aequalitatem tribui jubet.

Justitia commutativa est *stricta*, debetur enim unicuique *titulo proprietatis*, qui in absoluta hominis independentia fundatur. Quod, ut intelligatur, est animadvertendum, titulum dici rationem vel fundamentum alicujus juris vel obligationis et maxime generaliter duplicem distingui: honestatis et proprietatis. Titulo honestatis homini aliquid competere potest, in quantum est animal sociale et vitam cum aliis in communitate agit. Hujusmodi tituli sunt: jurisdictionis, paternitatis, caritatis proximi et s. p., vi quorum principi et superioribus debetur oboedientia, patribus amor filialis, pauperibus eleemosyna etc. Obligationes vel jura, quae hisce titulis innituntur, non sunt absoluta, proin nec stricta, sed tantum relativa, siquidem in tantum subsistunt, in quantum homo assumitur cum respectu ad alios homines, in quantum vivit vel vivere in societate supponitur. Aliter se res habet cum titulo proprietatis: hic consistit in stricta connexione rei cum proprietario, nulla habita ratione status socialis, proinde existit absolute, stricte, independenter ab aliis hominibus. Talem connexionem habet homo cum suo corpore, anima, vita, quae psi debentur ex natura, etiamsi alii homines prorsus non subsisterent; in hisce homo viator est, ut dici solet, metaphysice independens ab aliis hominibus. Hujusmodi etiam titulo proprietatis debetur homini res sua legitime acquisita, quā si inique privetur, violatur jus hominis strictum, sua independentia metaphysica, quae aliter re-

parari non potest, nisi res ablata vel ejus aequivalens suo proprietario restituatur.

Obligationes autem et jura, quae ex justitia distributiva vel legali nascuntur, cum sint relativa tantum et condicionem hominis socialem supponant, absolute et stricte exigi nequeunt, neque eorum violatione laeditur independentia, quae metaphysica dicitur.

Porro justitia commutativa, si violetur, ad restitutionem ideo obligat, quia id sibi proprium habet, *quod jus suum cuique ad aequalitatem* tribui jubet, quae aequalitas manet semper laesa, quousque damnum proximo illatum non reparetur. Ex. gr. si quis rem alienam sibi injuste assumat, violatur illa aequalitas inter dominum et injustum rei alienae possessorem, quae alia ratione reparari nequit, nisi res ad pristinum dominum redeat. Eadem aequalitas etiam tunc tollitur, quando res aliena ab altero non quidem aufertur, ut possideatur, sed injuste etsi absque ullo proprio commodo destruitur, ex gr. domus per incendium malitiosum. Non enim in hoc ultimatim injustitia consistit, quod res ab uno possessore ad alium illegitime transit, sed in eo, quod ille, cujus res erat sua, eādem immerito carere debet. «Quicunque damnificat aliquem, ait S. Thomas, videtur ei auferre id, in quo ipsum damnificat; damnum enim dicitur ex eo quod *aliquis minus habet, quam habere debet.* Et ideo homo tenetur ad restitutionem ejus, in quo aliquem damnificavit [1]).

18. Non idem de justitia legali vel distributiva dici potest; neque enim perfectam hae intendunt aequalitatem, quae solummodo inter juridice pares personas, ut in justitia commutativa, subsistere potest, neque harum laesio alicujus jus strictum vel aequalitatem violet quod reparationem exigat. Si ex. gr. princeps ex acceptione personarum munus aliquod honorificum minus digno mandat, digni perinde re sua minime privantur, qui nullum jus strictum ad illud munus obeundum habent, neque proinde vera aequalitas hoc pacto laeditur.

19. **Licet justitia distributiva et legalis, qua tales, ad restitutionem propriam non obligant**; **attamen si**, quod non semel evenit, **ipsis justitia commutativa accedit, certe onus reparandi damnum secum afferunt.** Ita, *defraudatio vectigalium*, quae justitia legali solvi jubentur, non videtur onus restitutionis per se imponere. Quia tamen partem illam vectigalium, quam defraudatores non sol-

---

[1]) 2. 2. q. 62 art 4.

verunt, alii praeter suum debitum supplere jubentur, ideo jam ipsius justitiae commutativae laesio intercedit, quam laesionem illi defraudatores ad aequalitatem pro viribus reparare obligantur. Idem pariter de distributiva justitia est sentiendum. Ita princeps, qui *officia publica vel beneficia* minus dignis, posthabitis dignioribus, committit, ad restitutionem nondum tenetur: neque enim laedit jus digniorum, qui ad illa obtinenda per se nullum jus strictum habent; neque erga societatem committit injuriam; societas enim nihil amplius exigere potest, nisi, ut munera et officia a ministris officialibus rite peragantur et indigni ab illis fungendis arceantur. At ubi primum justitiae distributivae accedit laesio justitiae commutativae, obligatio restitutionis stricta exoritur, quae in sequentibus habetur: a) Si princeps vel praelatus *concursum* proponit vel alio quodam pacto ad beneficia vel officia publica digniori ex concurrentibus mandanda se obligat, tunc temporis digniorem removendo, eumque minus dignis postponendo, certe justitiam commutativam violat; vi enim concursus et pacti inter eligentem et eligendos, dignior verum jus ad rem vel jus personale in beneficium acquirit b) Si superior beneficia vel officia publica personis *certe indignis* confert, removet autem dignos, qui habentur, tunc non impedit malum reipublicae, ad quod vi officii obligatur; quamobrem et omnia in specie mala, quae ab indignis ministris officialibus privatae personae patiuntur, superior ex justitia commutativa reparare tenetur; non tamen ipse ad aliquam restitutionem erga dignos, quos posthabuit, rigorose adstringitur, quippe qui ad munera publica obtinenda nullum jus strictum, sed solummodo quandam congruentiam habent. c) Si *collegio* canonicorum vel aliis sociis certa *quantitas pecuniae* secundum dignitatem vel aliam quandam qualitatem distribuenda legatur, distributio sane erit secundum congruentiam vel proportionem geometricam, non vero juxta aequalitatem mathematicam, ut dici solet; erit ergo modo justitiae distributivae proprio peragenda; quia tamen recipientes, vi ipsius legati, ad determinatam in specie partem pecuniae jus strictum habent, jam manifestum est, hic jam intercedere justitiam commutativam, quae si laedatur, onus restitutionis secum afferat.

20. **Cujuscunque justitiae violatio est peccatum ex genere suo mortale** et nonnisi ob parvitatem materiae veniale fieri potest; quod satis apparet, si consideremus singulas justitiae species.

Imprimis *laesio justitiae commutativae* sane est peccatum mortale, gravem enim deordinationem in vita hominum privata et publica

secum adfert: finis justitiae commutativae idemque gravissimus est ille, qui cujusque hominis libertatem et independentiam in usu rerum suarum tueatur, atque humanam activitatem et industriam augeat; cujus rei gratia introducta est bonorum divisio et privata rerum possessio. Violatio justitiae commutativae hunc finem gravissimum irritum facit. Exinde multa damna hominibus in vita privata fiunt et fundamentum mutuae pacis inter ipsos evertitur. Cum vero prosperitas et tranquilitas ipsius humanae societatis quam maxime a condicione singulorum hominum dependeat, hinc violatio cujuscunque juris privati in damnum commune vergit. Id sane est verum de ipso infimo genere bonorum, quae bona fortunae dicuntur. A fortiore gravitas deordinationis et peccati elucet ex violatione justitiae commutativae in bonis ordinis superioris, ut vitae, corporis, animae, honoris etc. Hinc s. Paulus: *nolite errare: neque fornicarii... neque fures... neque rapaces regnum Dei possidebunt* (I Cor. 6, 9).

Laesio justitiae legalis et distributivae licet ad restitutionem non obligat, a peccato tamen non eximit; imo, quo nobilius prae justitia commutativa et gravius objectum et finem utraque justitia habet, eo gravius peccatum est earum violatio; finis vero utriusque est bonum publicum, securitas et aequitas communis, quem finem utraque directe et primario intendit, cum justitiae commutativae ille indirecte tantum sit proprius. Violatio tamen utriusque, quemadmodum laesio justitiae commutativae, parvitatem materiae admittit. Violatio legalis justitiae generatim non differt a transgressione legis et ejus gravitas mensurari solet communi aestimatione. Justitia vero distributiva, quae acceptione personarum laedi solet, materiam longe graviorem requirit, ut peccatum mortale habeatur.

De natura juris.

21. Undenam **nomen juris** sit derivatum, non certe constat. Alii illud ab justo deducunt: „crediderim per apocopen, hoc est per amputationem syllabae in fine dictionis, justum dictum esse jus“ [1]). Alii ejus originem a verbo jubendi repetere solent. Ballerini, ludendo, linguam haebraicam in adjutorium sumit, in qua עז (firmavit, ro-

[1]) Soto lib. III q. 1 art. 1.

boravit) significare potuit vim moralem, quod aliquo modo juri convenit [1]).

Quidquid sit de etymologia hujus vocis, jus relate ad justitiam constituit vel ejus objectum (jus passivum), vel titulum, quem justitia respicit ex parte alterius, cui vult suum tribuere (jus activum).

22. In declaranda **natura juris** non satis cavetur vitium, quod nomine circuli vitiosi designatur; nam justitia declaratur in ordine ad jus, qua suum objectum; ipsum vero jus in ordine ad justitiam, dum dicitur esse id, quod est justum. Explicatur igitur ignotum per ignotum, non secus, ac si diceres: oboedientiam esse virtutem, quae inclinet ad reddendum, quod superioribus debetur; quaerenti autem, quid superioribus debeatur, responderes: oboedientia. Alii declarant jus per aequale, innixi linguae graecae, in qua δίκαιος (justus) et δίχαιος (aequaliter bipartitus), δικαστής (judex) et διχαστής (aequus bipartitor) proxime sibi accedere videntur [2]). Vc. habere jus est nihil aliud, quam exigere vel recipere tantum, quantum debetur. Sed de quonam debito aequali sit sermo? Quod debetur ex oboedientia, voto, fidelitate, caritate non est adhuc illud jus, quod objectum rigorosae justitiae constituit.

Juxta Lessium jus est potestas legitima ad rem aliquam obtinendam... cujus (vc. juris) violatio injuriam constituit [3]); pariter circulus vitiosus habetur, quia injuria nihil aliud est, quam violatio juris; hinc definitur idem per idem. Quidam reponunt jus in legitima potestate utendi re sua sine *injuria alterius*. Sic, non peccat contra justitiam, qui gallinam suam manducat, licet forte peccare potest contra pietatem, illam diebus abstinentiae manducando; qui vovit abstinentiam a vino, potest illud bibere sine injuria alterius. Verumtamen nec tali ratione res satis declaratur, cum jus per injuriam alterius definiatur.

23. *Optimam* juris declarationem proposuisse videtur de *Lugo* [4]): hoc jus, quod proponitur in definitione justitiae commutativae, est *quaedam praelatio moralis*, qua hic homo aliis moraliter praefertur in usu talis rei propter connexionen peculiarem, quam res habet cum eo; v. gr. fera habet peculiarem connexionen cum eo, a quo est capta.

---

[1]) Ant. Ballerini, Opus. Th. Mor. t. III p. 1 § 15.
[2]) Aristoteles, Ethica lib. V cap. 7.
[3]) Lessius, lib. II cap. 2 n. 2.
[4]) Disp. I n. 5—6.

Si dominus det illam alteri, jam fera habebit peculiarem connexionem cum hoc secundo, quatenus donator transtulit moraliter in eum connexionem, quam ipse habebat ratione capturae... Sed qualis sit haec peculiaris connexio, quae fundat jus commutativae justitiae et in quo differat a connexione, quae fundat debitum aliarum virtutum... nam et superior ratione superioritatis suae videtur habere peculiarem connexionem cum operibus subditorum, ratione cujus praelatus debet praeferri omnibus aliis circa ejusmodi opera... et tamen praelatio illa non est jus justitiae commutativae, nec subditus peccat contra justitiam, sed contra oboedientiam, non oboediendo suo praelato". Ad quam difficultatem solvendam subjungit idem Lugo: non quamcunque praelationem in ordine ad aliquam rem esse jus illud, quod respicit justitia commutativa, sed praelationem, qua *in usu talis rei* debet hic homo praeferri aliis; quia propter peculiarem connexionem, quam haec res habet cum ipso, *tota debet ad ejus utilitatem* referri et ordinari; quae ordinatio potissimum significatur, quando aliquid dicitur meum vel tuum". Oboedientia vero exigitur non ad utilitatem praecipientis praelati, sed ad bonum subditi, cum potestas gubernativa ad bonum communitatis sit data.

Ad mentem igitur Lugonis jus definiri potest, qua *legitima facultas vel potestas aliquid habendi vel faciendi in commodum suum, nemine rationabiliter refragante. Facultas* vel potestas in definitione subintelligitur tum activa ad aliquid agendum, tum passiva ad aliquid habendum (alimenta, divitias), tum resistiva, ut jus servitutis ne quis in certo loco aedificet. Dicitur potestas *legitima,* quia pressius hanc potestatem vel ipsum jus determinat *lex* naturalis vel positiva. *Commodum* intelligitur tum positivum, tum negativum, quia sicut commodum est uti mea veste, domo, ita pariter non verberari, non occidi. Commodum a jure prosequitur *suum,* atque hac ratione jus proprium, jus proprietatis (objectum justitiae commutativae) distinguitur a jure jurisdictionis, quae etiam est potestas legitima aliquid agendi vel obtinendi, principaliter tamen in bonum communitatis et subditorum. Juris proprii definitioni subjungitur: „*nemine rationabiliter refragante*", non enim ad id omne jus habemus, quod physice possumus. Hinc in Syllabo damnatae sunt propositiones sub n. 59: jus in materiali facto consistit et sub n. 61: fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum adfert.

24. *Juris nomen* praeter propriam suam significationem *per quandam analogiam* etiam ad alias notiones significandas adhiberi solet; de

qua re ita s. Thomas: „consuetum est, quod nomina, a sui prima impositione detorqueantur ad alia significanda. Sicut nomen medicinae impositum est primo ad significandum remedium, quod praestatur infirmo ad sanandum: deinde tractum est ad significandam artem, qua hoc fit. Ita etiam hoc nomen, jus, primo impositum est ad significandum ipsam rem justam: postmodum autem est derivatum ad artem, qua cognoscitur, quid sit justum: et ulterius ad significandum locum, in quo jus redditur: sicut dicitur aliquis comparere in jure. Et ulterius dicitur etiam, quod jus redditur ab eo, ad cujus officium pertinet justitiam facere: licet etiam id quod decernitur, sit iniquum» [1]). Nomen igitur juris sumitur tum pro juris arte (jurisprudentia), tum pro loco (in jus vocari, comparere in jure), tum pro sententia (jus dicere, judex), tandem pro lege vel legum complexu (Jus Romanum, Jus Canonicum, Jus Civile et s. p.).

25. Jus, quod proprium dicitur, quod objectum justitiae constituit, *dividitur in perfectum et imperfectum.* Imperfectum vel non strictum est illud, quod neque in se, nec quoad personas est determinatum, neque via coactionis exigi potest. Tale est jus singulorum ad eleemosynam a testatore pauperibus in genere legatam; hujusmodi est etiam jus, quod habent digni ad munera vel officia reipublicae obtinenda.

Jus perfectum vel strictum, quod in titulo proprietatis fundari dicitur, est illud, quod jam saltem aliqua ratione est definitum et vi coactiva (non physica sane, sed per publicam auctoritatem) exigi potest. Tale est jus rem suam recuperandi, vitam suam tuendi.

Hoc jus perfectum subdividitur in jus ad rem et jus in re; quae juris distinctio in omnibus codicibus retinetur.

Jus ad rem [2]) est legitima potestas, quam quis habet, *ut res aliqua fiat sua*; hoc jus dat actionem (искъ) non in rem ipsam sed in personam, obligatam ad rem tradendam; inde jus personale dicitur; quo efficitur, ut debitor possit a creditore per sententiam judicis ad rem tradendam cogi, non vero, ut res ante sententiam occupari possit. Jus ad rem non est tantum spes boni adipiscendi: dat enim veram actionem contra eum, qui rei acquisitionem impedire velit.

Ut acquiratur jus ad rem, quod etiam jus inchoativum dicitur, unum est necessarium et sufficiens: justus titulus, vi cujus rei pos-

---

[1]) 2. 2. q. 57 art. 1.

[2]) Jure Romano: condictio; Cod. Napol: propriété en action, prawo osobowe; Св. Зак.: личное право, требованіе.

sessio exigi possit. Plures sunt tituli, qui hoc jus pariunt, nam est vel lex, quae antecedenter hoc jus concedit, vel factum, ex quo illud oritur, ut praesentatio ad beneficium, haereditas ab intestato ante acceptionem donatio, venditio aliique contractus ante rei traditionem (NB. in Jure Gallico et Rossico venditio jam ante rei traditionem dat jus in re).

Jus in re [1]) est legitima potestas, quam quis habet *in re jam sua*; dicitur jus reale, nam dat legitimam facultatem ipsam rem sibi occupandi, retinendi, utendi, revindicandi, in quascunque manus eadem pervenerit. Ex. gr. equus meus furto ablatus tertio vel quarto emptori vendatur, manet tamen semper meus, statimque, ac eum agnoverim, possum mihi eundem revindicare absque ulla juridica actione; sufficit simpliciter invocare auxilium ministrorum publicae securitatis (politiae).

Juris in re *quadruplex* distinguiter *species*: dominium, usus, ususfructus, servitus; de quibus singulis uberius suo loco disputabimus. Acquiritur autem jus in re per emptionem aliosque contractus, secuta traditione (Jure Romano et Austriaco). *Ut jus in re acquiratur, quatuor sunt necessariae condiciones*: a) *legitimus titulus*: jus haereditarium, emptio, donatio et s. p.; b) *rei existentia*; hinc beneficiarius non habet jus in re ad fructus beneficii, qui nondum sunt nati, neque usufructuarius ad fructus anni insequentis, cum nondum existant; c) requiritur, ut *res in specie et in individuo sit determinata*; d) tandem, ut plurimum, necessaria censetur *traditio rei*, si est sermo de rebus mobilibus, aut immobilibus, nondum stricte determinatis; hinc si quis equum, aut vestem, aut partem agri indeterminatam emerit, etiamsi pretium solverit, ad eadem jus in re nondum habebit, quamdiu ipsi non tradantur (Jure Romano).

Deficiente una ex quatuor condicionibus, ad obtinendum jus in re necessariis, manente autem titulo justitiae strictae, habebitur jus ad rem.

De principiis generalibus juris.

26. Jus, ut supra juxta mentem Lugonis declaravimus, est illa praelatio vel principatus, vi cujus aliquis, etiamsi minimus sit hominum,

---

[1]) Jure Rom.: vindicatio Cod. Nap.: propriété en possession, prawo rzeczowe; Св. Зак.: вещное право, вотчинное право.

in usu tamen alicujus rei vel facultatis ad commodum suum omnibus praefertur. Talis absoluta et universaliter inviolabilis praelatio vel principatus nullo modo cogitari vel concipi potest, nisi ordo moralis in societate debite observetur; quo fiat, ut omnes strictum agnoscant officium dandi unicuique, quod est suum, atque hoc officium ex corde curare velint. Omnia tamen officia, habita ratione humanae naturae corruptae, in tantum valent et sunt firma, in quantum immediate vel mediate descendunt a Deo, cui omnes subdantur, suarumque actionum rationem sint reddituri. Quapropter recte card. Rauscher ait: non habetur jus sine officio, non habetur officium sine Deo [1]. Omnes igitur, qui Deum verum et personalem negant, ut materialistae, pantheistae, etiam rationalistae, si secum consentire velint, de veri nominis juribus loqui nequeunt.

Auctores rebellionis in Gallia seculo XVIII ad finem vergente, ut specie cujusdam juris publicum rerum statum subvertere possent, ad quaedam *jura hominis* provocabant, non tamen ad ea genuina, quae ex ordinatione divina principium haberent. Sed quaenam, quaeso, horum jurium sit auctoritas et sanctio, quae homines renitentes et malevos, quales in communitate humana nunquam desunt, ad suum cuique tribuendum cogere possit?

Alii, cum optime intelligant, sine juribus in societate humana rite observandis, pacificum rerum statum subsistere non posse, simulque, ut illis juribus vim obligatoriam et coactivam concilient, facultatem eadem statuendi, ordinibus reipublicae consentientibus, adjudicant principi, qui cives morigeros timore poenae moderetur; nullumque verum jus agnoscunt, nisi a lege civili sit statutum (*Rechtspositivismus*). Nemo sane negat, legitimam potestatem civilem ad prosperitatem et tranquilitatem reipublicae procurandam multa jura, etiam quae justitiam commutativam respiciunt, statuere posse ac debere. Potestas tamen civilis neque omnia praevidere et determinare potest, neque rationes actuum occultorum custodire, neque quid in se est absolutum et perfectum. Merito igitur a Pio IX damnata est in Syllabo propositio sub n. 39: *reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.*

---

[1]) *Der Staat ohne Gott* s. 5, Wien 1865. Consule hac in causa etiam auctores: Schäffle *„Bau und Leben des socialen Körpers“*; Fr. Walter *„Socialpolitik und Moral“*, Adam Müller, List, Roscher, Knies etc.

Ipsa *historia teste* apparet, ante vel extra christianismum illam omnium hominum aequalitatem et independentiam, quae juris particularis sit fundamentum, non esse saltem usu agnitam. Hanc primum ratam habuerunt homines non ratione tantum, sed aeque usu vitae, cum a Christo Domino ejusque Apostolis didicerunt, unum esse Deum, omnium Creatorem ac Dominum, relate ad quem non est distinctio inter divitem et egenum, inter liberum et servum, inter graecum et barbarum.

Jura igitur veri nominis in societate humana bene ordinata subsistere nequeunt, nisi auctoritati solius Dei, qua suo principio, innitantur. Quod vero de origine omnium jurium, id pariter in specie de juribus, quae objectum justitiae commutativae constituunt, est tenendum. Quod jam praeclare Marcus Tullius et ingenue est professus: pietate adversus deos sublata, fides etiam et societas humani generis et excellentissima virtus justitia tollitur.

27. Deus est creator et conservator universi; **omnia proinde, quae facta sunt et existunt, Ei soli, qua Domino et Proprietario absolute subsunt.** *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi, qui habitant in eo* (Ps. 23, 1). Hoc dominium absolutum, quod Deus in omnia creata habet, abdicari non potest, quia titulus, cui illud innititur, ad alterum transferri nequit. Hinc Deus semper manet Dominus omnium, qui *vitae et mortis habet potestatem* (Sap. 16, 13). Si igitur Izraëlitis vasa Aegyptiorum clam auferre aut gentes Chanaan exterminare praecepit, usus est suo jure. Potest quidem justitia rigorosa hominis erga Deum haberi, cum Deus titulo dominii absoluti hoc vel illud obsequium postulandi jus habeat, non tamen vice versa, Deus enim reddit debita, ait s. Augustinus, nulli debens [1]. Creaturae, si juribus proprietatis gaudent, eadem in tantum sibi obtinent, in quantum a Deo sunt concessa, et non tam sunt domini rerum absoluti, quam potius dispensatores et ministri, qui illis uti non debent contra Dei voluntatem, sed quemadmodum prudentes et fideles servi, quos constituit Dominus super familiam suam.

28. Licet Deus absolutum rerum dominium non potuit ita in homines transferre, ut posthac vera justitia rigorosa inter Eum et homines subsistat, nihil tamen obstat, quominus ita earundem usum ipsis concesserit, ut **veri proprietarii licet secundarii dici et haberi**

---

[1]) Confes. lib. 1 cap. 4.

possent. Quod reipsa factum esse, ex Litteris sacris satis constat: *dominamini piscibus maris et volatilibus coeli et universis animantibus, quae moventur super terram* (Gen. 1, 28). Quod post diluvium etiam renovatur: *terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terrae... omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt* (Gen. 9, 2) Ipsa ratio suadet, hominem posse ad suum commodum et necessitatem ex Dei liberalitate uti rebus exterioribus, tanquam propter eum factis, nam in rerum ordine, ait S. Thomas, imperfectiora sunt propter perfectiora [1]) homo vere est perfectissimus omnium creaturarum, quae corpore sunt donatae.

Insuper, si agitur de rebus, quarum *usus* ad vitam facultatesque adservandas homini est *necessarius*, Deus simul ac hominem creavit, etiam jus ad media vitae opportuna ei saltem aliqua ratione concedere debuit. Quarum autem rerum *usus* non est quidem necessarius, confert tamen *ad commodum* et *jucunditatem*, dummodo sit rationalis, etiam a Deo homini concessus esse praesumitur et satis probatur ex illo desiderio felicitatis, etiam terrenae, a Deo homini innato, quod ad illum usum impellit et quovis aevo omnibus persuasit, cuncta in usum hominum esse creata. Neque enim parce providit Deus homini, quem paulo minuit ab angelis et omnia subjecit sub pedibus ejus (Hebr. 2, 7), sed instar optimi patrisfamilias res plurimas ad commoda et honestas oblectationes ei comparavit.

29. Sunt, qui hunc omnium bonorum usum communiter ab hominibus esse habendum doceant, atque distinctam privatamque rerum possessionem tanquam illicitam et prorsus iniquam considerent. Hi sunt **patroni systematis**, quod nomine **socialismi** magis vel minus absoluti appellatur. Quaedam socialismi semina jam in *Platonis* opere, quod inscribitur «*de Republica*», reperiuntur. Plato enim arbitratur, solam rempublicam habere plenum et perfectum dominium bonorum. Post Christum natum, teste s. Epiphanio [2]), *apostolici*, quos apostaticos appellare maluit, asserebant, hominem non posse salvari, nisi nudus ab omni divitiarum proprietate instar Apostolorum viveret. Idem s. Augustinus de *Manichaeis* testatur. Medio aevo *Albigenses et Waldenses* pariter non aliam a Christo Domino commendatam paupertatem intelligebant, nisi bonorum usum communem. Sub finem medii aevi conceptus communis usus bonorum, qua vanae species somnii (*jako*

---

[1]) 2. 2. q. 64 art. 1.

[2]) S. Epiphanius, haeres. 61.

marzenia) habentur in operibus *Thomae Morus*, *Campanellae*, *Bodin*, *Harrington*, *Morelly*, aliorumque. Proprii tamen socialismi antesignanes primum medio XVIII seculo prodeunt, iidemque auctores subversionis Gallicae non absque ratione fuisse judicantur. Jam *Rousseau* [1]) actum illius hominis, qui primus aliquam terrae partem sibi exclusive vindicare voluit, ut meram exhibet usurpationem, quae innumera mala generi humano addidit, cunctis flagitiis januam aperuit, felicitatem, quam homo extra societatem consequeretur, de medio sustulit. Primus, qui speciem vitae socialis, principiis communismi imbutam scientifice proponere tentavit, fuit *Saint-Simon* (1760—1825). Cujus systema sociale hac sententia concipi potest: jus haereditatis, qua iniquum est abrogandum, filii nequeunt parentum fortunae succedere; bona a defunctis derelicta inter pauperes ad sublevandam eorum indigentiam sunt distribuenda, ut aequalitas inter homines temporum decursu constituatur; nullum admittendum est dominium, nisi labore manuum suarum acquiratur. Discipulus Saint-Simon'ís, *Bazar* ejus doctrinam ulterioribus conclusionibus auxit. Eodem fere tempore socialismi deliramenta operibus suis in Gallia insinuabant *Carolus Fourier* (1772—1827); post eum *Cabet*, *Leroux*, *Proudhon*, *Blanc*, qui generatim affirmabant, omnes homines gaudere aequo jure assequendi terrenam felicitatem et utendi bonis, quae vitam jucundam ac beatam efficiant; cum vero maxima sit bonorum iuaequalitas et imprimis operarii summa egestate ac miseria opprimantur, ideo constituendam esse societatem, in qua singulis membrís tum labores, tum bona aequa congruentia distribuantur. Proudhon, scholae Heglianae alumnus triplex stadium in historia vitae socialis generis humani distinguere conatur: primam formam societatis fuisse communionem bonorum, in secunda introductum esse privatum dominium; abhinc vero solum laborem esse legitimum titulum acquirendi usum rerum, exclusis jure haereditario, occupatíone rerum nullius, aliisque possidendi titulis. Famosa est sententia Proudhon'is: *la propriété c'est le vol* [2]).

Primus, qui socialismi doctrinam *in Germania* scientifice proponendam studuit, esse censetur *Carolus Rodbertus* (1805—1875); hic suam doctrinam appellat ulteriorem evolutionem et conclusionem oeconomiae publicae, ab Adamo Smith propositae. Majorem vim et aucto-

[1]) Rousseau, *Discours sur l'origine et les fondements de l'inégalité parmi les hommes.*

[2]) Proudhon, Système de contradictions économiques, 1846.

ritatem habuerunt in Germania Rodberti successores: *Carolus Marx* suo opere «*Das Kapital*». *Ferdinandus Lassalle*, *Engels*, *Bebel*.

Socialismus ad extrema evolutus recta via ad communismum, anarchismum, tandem nihilismum ducit. Hujus asseclae, ut *Bacunin* [1]), *Marx*, *Liebknecht*, fundata Londini *associatione internationali* 1864 an., omni auctoritati politicae bellum indixerunt, omnia media, quae ad suum finem assequendum juvent, esse licita et honesta docent, atque simul ac potestatem per incendia et homicidia arripuerint, democratiam socialem ruinis praesentis societatis superstruendam curant.

30. **Privata rerum possessio ac bonorum divisio non tantum est licita, sed in statu humanae naturae lapsae est etiam moraliter necessaria.**

Privatam rerum possessionem esse **licitam**, testantur aperte Litterae sacrae. In Vetere Testamento patriarchae et viri sancti bona propria habuisse indicantur, neque tamen ideo sunt reprehensi. Abel obtulit munera de primogenitis gregis *sui* (Gen. 4, 4). Cain, agriculturam exercendo, *proprios* habuit campos. Hennoch *propriam* civitatem possedit. Phaleg ideo sic esse appellatus dicitur, quia *in diebus ejus divisa est terra* (Gen. 10, 25). Justus Abraham fuit valde dives in possessione auri et argenti. Saepe mentio habetur de emptionibus, donationibus, commutationibus, quae privatam rerum possessionem utique supponunt. In Novo Foedere pariter nullibi privata bonorum proprietas damnatur; contra, praecipitur eleemosynas largiri, debita solvere, a furto se abstinere: quae omnia, nisi privata rerum possessio agnosceretur, evenire certe non possent. Si vero Christus ait: *qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus* (Luc. 14, 33),—hoc, ut verbis s. Augustini utar [2]), ita est intelligendum: quemque paratum esse debere, quemadmodum parentes et filios et fratres et uxorem, hoc modo et istas (divitias) relinquere, si talis condicio proposita fuerit, ut nisi dimisso Christo, eas habere non possit.

Privata rerum possessio ac bonorum divisio nequit dici illicita, si eadem *omni tempore et inter omnes gentes* sacra et intacta habebatur; quod enim est universale et stabile, id juri gentium adversari nequaquam potest, nec proinde illicitum est censendum. Atqui de jure proprietatis privatae constat, illud semper et ubique locorum communi

---

[1]) Michael Bacunin (1841 natus), parens nihilismi, qua vitae propositum fecit sibi mutuatam ex opere a Goethe composito, quod, inscribitur „*Faust*", sententiam Mephistofelis, quae ita sonat: „*ich habe mein Sach' auf Nichts gestellt*".

[2]) T. II, epla 158.

gentium concordia esse agnitum et receptum. Ipsa detegamus incunabula gentium et convincemur, proprietarios extitisse, simul ac homines existerent! Imprimis jus proprietatis erga res mobiles agnoscitur; ex quo tempore autem agricultura esse incipit, pariter fundi jure proprietatis vincuntur [1]).

31. **Privatam rerum possessionem** non tantum licitam, sed etiam in statu naturae lapsae **esse necessariam** vitae humanae, docet S. Thomas, propter tria: primo quidem, quia magis solicitus est unusquisque ad procurandum aliquid, quod sibi soli competit, quam id, quod est commune omnium vel multorum: quia unusquisque laborem fugiens, relinquit alteri id, quod pertinet ad commune, sicut accidit in multitudine ministrorum. Alio modo, quia ordinatius res humanae tractantur, si singulis immineat propria cura alicujus rei procurandae. Esset autem confusio, si quilibet indistincte quaelibet procuraret. Tertio, quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur, dum unusquisque re sua contentus est. Unde videmus, quod inter eos, qui communiter et ex indiviso aliquid possident, frequentius jurgia oriuntur [2]). dem plane aliis verbis probat card. de Lugo [3]). Quae rationes eo fortius pro privata rerum possessione mentis assensum trahunt, si memores simus nostrae naturae humanae, post lapsum in deteriorem immutatae. Si Abraham et Loth viri justi simul cohabitare non poterant et *facta est rixa inter pastores gregum* (Gen. 13, 7), quid de aliis minus justis sit sperandum? Contra, privata rerum possessio excitat singularem sollicitudinem et industriam, vitalem confert activitatem societati humanae estque ei fundamento et basi. Merito supra laudatus Portalis prosequitur: proprietas instituit societates humanas; ipsa vivificavit, extendit, amplificavit propriam nostram existentiam.

Si hodie bomines, novarum rerum cupidi, contra privatam bonorum possessionem **excipiunt inaequalitatem condicionum**, qua effectum divisionis bonorum, eamque injustitiae accusant, in eo minime vera dicunt; inaequalitas enim condicionum est consectarium humanae

---

[1]) Ita Portalis, Code et motifs, t. IV, p. 27: Si nous decouvrons le berceau de nations, nous demeurons convaincus, qu'il y a des propriétaires depuis qu'il ya des hommes... D'abord le droit de propriété n'est appliqué, qu'à de choses mobilières... Avec l'agriculture on voit naître la propriété foncière.

[2]) 2. 2. q. 66 art 2.

[3]) Disp. VI n. 1.

naturae; nascitur enim ex inaequalitate virium tum moralium, tum physicarum [1]).

32. Si tamen affirmamus, in statu naturae lapsae moraliter necessariam esse privatam rerum possessionem, minime idem **de statu innocentiae** arbitramur, utpote cum nec terra tanto cum labore esset tunc temporis excollenda, neque eadem jurgia et discordiae timenda, neque, quod exinde sequitur, eandem haberent vim rationes pro privata bonorum possessione supra allatae. Cujus rei memores facile explicare possumus quaedam *minus clara eloquia ss. Patrum,* qui bonorum divisionem per iniquitatem esse factam asserere videntur: ss. Patres minime affirmare voluerunt, ipsam bonorum divisionem et privatam eorundem possessionem esse in se iniquam et divinae voluntati adversari, sed solummodo eandem evenisse occasione iniquitatis (peccati originalis) et ad iniquitatem avertendam.

Ex eo pariter, quod affirmamus, privatam rerum possessionem esse necessariam in statu naturae lapsae, haud sequitur, communionem bonorum inconvenientem fuisse *in primaeva Ecclesia christiana* tempore Apostolorum (Act. Ap. 2, 44; 4, 32), aut nunc *communitatibus religiosis* non convenire. Nam communio bonorum non est in se mala, sed pernitiosa esse censetur propter incommoda, quae ex illa sequi solent. Haec vero incommoda facile vitari possunt inter homines numero paucos, mutua caritate informatos, quales erant primi christiani, *quorum cor unum et anima una erant* (Act. Ap. 4, 32), vel quales merito supponi possunt ii religiosi, qui mundo renuntiarunt et sub uno rectore in monasteriis perfectioni student.

Si igitur divisio bonorum eorumque privata possessio est homini in statu naturae lapsae generatim necessaria et Deus, quod est per se necessarium, homini non denegat, ergo ille, qui res aliquas legitime suas fecit, in illas jus inviolabile acquirit, quo violenter non potest absque injustitia defrandari. Deus, Creator et supremus Dominus rerum ac bonorum id expresse VII et X praeceptis Decalogi prohibuit. Jus proprietatis non solum jure naturali et divino sanctum et firmum agnoscitur; illud tuentur omnes leges positivae tum ecclesiasticae tum civiles populorum.

33. Privata rerum possessio ac **bonorum inter homines divisio** a primaevis temporibus introducta esse perspicitur. Jam Cain et Abel suos fructus et greges habebant. Sub Phaleg divisa erat terra. Quo

---

[1]) Cf. Encycl. „*Rerum Novarum*".

tamen jure, auctore ac modo id sit factum, inter eruditos non satis constat. Juxta opinionem *Molinae* rerum divisio facta est jure gentium et probabilius evenisse auctoritate paterna vc. ante diluvium ordinatione Adami, post diluvium autem auctoritate Noe [1]). *Hugo Grotius*, *Puffendorf* aliique opinantur bonorum divisionem consecutam esse hominum pactum expressum vel tacitum. Plures, ut *Hobbes*, *Rousseau*, *Montesquieu*, *Bentham* originem cum omnis juris, tum etiam juris proprietatis e lege civili deducunt, quibus hac in causa patrocinari videtur *s. Augustinus*, cum dicat: unde quisque possidet, quod possídet? Nonne jure humano. Nam jure divino Domini est terra et plenitudo ejus. Jure autem humano dicit: haec villa mea est, haec domus mea, hic servus meus. Jure ergo humano, jure imperatorum. Quare? Quia ipsa jura humana per imperatores et reges seculi Deus distribuit generi humano [2]). Tandem opinione *communistarum* privata proprietas orta est ex vi et violentia, qua robustiores oppresserunt infirmos; unde est in se iniqua et abroganda.

Quae omnes opiniones aut sunt parum probabiles aut prorsus falsae. De paterna rerum divisione inter homines nullum habemus in Scriptura sacra testimonium, nec quodvis aliud argumentum positivum. Conventio vero mutua hominum, praesertim si expressa supponatur, erat moraliter impossibilis tum initiis, quando homines erant pauci, terra autem vasta et parum cognita, tum tempore posteriore, quando homines sunt dispersi per totum orbem terrarum. Pariter nec leges civiles jus proprietatis statuerunt, nam antequam leges ferrerentur, jam societas talis efformari debuit, qualis sine jure proprietatis existere nequit; ergo potius proprietas originem dedit legibus, cum hae ad id potissimum inserviunt, ut quisque sua proprietate secure frui possit [3]). Insuper leges sine efformata republica concipi nequeunt: est autem homo, ait S. D. N. Leo XIII, quam respublica, senior; quocirca jus ille suum ad vitam corpusque tuendum (*per propria bona*)

---

[1]) T. I tr. 2. Disp. 20.

[2]) S. Aug. tract. VI in S. Joannem.

[3]) Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud majores nostros justitiae fruendae causa videntur olim bene morati reges constituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute praestantem; qui cum prohiberet injuria tenuiores, aequitate constituenda summos cum infimis pari jure retinebat. — Cicero, *De Officiis* lib. II cap. 12.

habere naturā ante debuit, quam civitas ulla coisset [1]. Tandem opinio communistarum suis patronis contradicere videtur; hi enim negare non possunt neque negant, in homine jam ab initiis, ergo natura duce, inclinationem bona sibi propria faciendi exstitisse; altera ex parte oblivisci videntur, opus non fuisse vi et violentia, quando numerus hominum fuit exiguus, habita comparatione ad vastam terram; posterius autem contra violentiam juribus singulorum leges atque auctoritatem civilem ac religiosam satis prospexisse.

34. Omnes hactenus discussae opiniones in eo etiam errant, quod fingere videntur, omnia bona terrae simul ab hominibus esse divisa et possessa, cum, contra, id longe prababilius temporum decursu pedetentim evenire potuerit et quidem triplici via: a) apprehensione rerum nullius, cum intentione easdem faciendi suas; b) proprio labore et industria; c) tandem jure hereditario. a) *Apprehensione rerum nullius* utique non fiebat alicui injuria; contra, natura duce id factum est ab homine, qui cum «se gubernet providentia consilii sui, in ejus est potestate res eligere (*dummodo sint nullius*), quas ad consulendum sibi non modo in praesens, sed etiam in reliquum tempus, maxime judicet idoneas. Ex quo consequitur, ut in homine esse non modo terrenorum fructuum, sed ipsius terrae dominatum oporteat, quia e terrae fetu sibi res suppeditari videt ad futurum tempus necessarias» (*Rerum Novarum*) b) Porro bona sibi propria acquirere juste potuit et certe acquirebat homo *suo labore et industria*; «peto, ait de Lugo, si aliquis propria industria et labore et arte depinxisset pulchram imaginem aut bellam statuam sculpsisset, nonne jure ipso naturae imago vel statua ita fuisset in dominio artificis, ut nonnisi furto posset ab eo invito auferri... An necessarium fuit peculiare Adae decretum, ut greges pecorum, quae Abel pascebat, sui essent, vel ut segetes, quas Cain sua cultura colligebat, essent sua?» [2]) c) Tandem legitimum medium acquirendi privatum rerum dominium est ac fuit *jus hereditarium*; qua de re ita f. r. Leo XIII: sanctissima naturae lex est, ut victu omnique cultu paterfamilias tueatur, quos ipse procreavit: idemque illuc a natura ipsa deducitur, ut velit liberis suis, quippe qui paternam referunt et quodam modo producunt personam, anquirere et parare, unde se honeste possint in ancipiti vitae cursu a misera fortuna defendere. Id vero efficere non alia ratione potest, nisi fructuo-

[1]) Encycl. *Rerum Novarum*.
[2]) Lugo, Disp. VI n. 4.

sarum possessione rerum, quas ad liberos haereditate transmittat»[1]). Hisce tribus modis acquirendi propria bona addi possunt *privata pacta et contractus*: non quisque sibi omnia procurare potest; cui necessitati ut consuleretur, introducta est rerum commutatio atque varii contractus.

35. Doctrinae communistarum et socialistarum, qui extremi dici possunt, a Pio IX annis 1846 et 1849 per litteras encyclicas sunt damnatae, qua nefariae et ipsi juri naturae maxime adversae, quibus semel admissis ipsa humana societas funditus everteretur. Leo XIII, statim ac Summi Pontificus an. 1878 sedem ascendit, urbi et orbi in epistola encyclica «*Apostolici muneris*» maxima pericula, quae ex systematibus communismi et extremi socialismi essent timenda, vivide ostendit; in encyclica autem «*Rerum novarum*» remedia malorum proposuit.

Communismus et extremus socialismus sunt impii erga Deum, societati humanae summe noxi, in se absurdi.

Imprimis sunt **impii erga Deum**: *privatae rerum possessiones*, ait Leo XIII[2]), *plane sunt secundum naturam*, cujus auctor est Deus. Jus proprietatis Deus violari prohibuit: non furtum facies. Communistae vero et socialistae extremi contra sapientiam divinae Providentiae et contra Dei praecepta contendunt, cum privatas rerum possessiones violandas et evertendas esse curant. Quin imo, inde a Saint-Simon ad Bebel, ipsum Deum saltem personalem negare solent, omnem religionem, morum honestatem, ipsa matrimonia abroganda student, finem hominis ultimum hisce in terris subsistere arbitrantur; imo, ut Fourier, summam hominis beatitudinem ac paradisum in omni libidinum expletione reponunt.

36. Porro, **systema communistarum et socialistarum summe est noxium societati humanae**. Qua de re ingeniose ita Sanctissimus Pater: *praeter injustitiam, nimis etiam apparet, qualis esset omnium ordinum commutatio perturbatioque, quam dura et odiosa servitus civium consecutura. Aditus ad invidentiam mutuam, ad obtrectationes et discordias patefierent: ademptis ingenio singulorum sollertiaeque stimulis, ipsi divitiarum fontes necessario exarescerent; eaque, quam fingunt cogitatione, aequabilitas aliud revera non esset, nisi omninm hominum aeque misera atque ignobilis, nullo discrimine, condicio* (ibidem).

Consideremus singula: a) extremus socialismus de medio tollit

[1]) Encycl. *Rerum Novarum.*

[2]) Epla encycl., *Rerum novarum.*

individualem hominis libertatem ejusque personalem independentiam atque eum uti quandam *machinam* [1]) facere videtur, cui fere omnia in ultima specie vc. tempus et genus laboris, qualitatem cibi etc. gubernium vel municipium decernat. Communismus vero, cum omnem potestatem abrogare intendit, quid amplius sperare potest, nisi communitatém hominum, in qua sola vis et pugni dominent, in qua nullus ordo sed sempiternus horror inhabitet. Communismus, qui reipublicae vel municipio omnia providenti et singulis omnia decernendi curam esse demandandam docet, negare nequit, tali ratione aditum patefieri mutuis in societate humana invidiis, obtrectationibus, discordiis, quo tantum abest, ut homines feliciores fiant, ut potius cum tota substantia et persona municipio vel reipublicae imperio subjecti, misera et ignobilia mancipia efficiantur, ipsa vero respublica, qua causa malorum, odio prosequatur [2]) b) Socialismus adimit ingenio sollertiaeque stimulos, cum communia non tam studiose, quam propria curentur et labor praeceptus sit bis onerosus; singularem diligentiam aut virtutem, si unquam haberi possent, nullo praemio remunerare liceret, cum retrorsum ipsa aequalitas, quam tantopere socialismi fautores curare volunt, in discrímen vocaretur. c) Admisso communismo, omnis tum hominum, tum nationum extinquitur inter ipsos aemulatio, qua tamen praesente fovetur et excitatur vitalis activitas societatum, eas animans, continuo ad acta et gesta propellens, neque sopore aut quadam inertia torpescere permittens artes, scientiam, politiorisque humanitatis progressum. d) Tandem socialismus et communismus sunt societati summe noxii, nam ipsa ejus fundamenta evertere conantur, abrogando familiam ejusque basim, quod est matrimonium; commen-

---

[1]) Il est évident, ait recte **Lammenais**, que la réalisation d'un semblable système conduirait les peuples à une servitude telle, que le monde n'ena jamais vu de pareille, réduirait l'homme à n'être qu' *une machine*, un simple outil, l'abaisserait au dessous du nèrge, dont le planteur dispose à son gré, au-dessous de l'animal. Je ne crois pas, que des idées plus désastreusement fausses... soient jamais entrées dans l'ésprit humain! Cf. **Soderini**, *Socialisme et Catholicisme*, chap. IX, p. 100.

[2]) Remarquons, que l'État, fût-il capable—ce qui est impossible—de satisfaire les besoins individuels de tous, n'y parviendrait jamais completement... Il en résulterait, que la privation des choses, qui sans être indispensables n'en sont pas moins opportunes, deviendrait pour les individus non seulement un tourment, mais encore une source de haine contre l'État, qu'on rendrait responsable... **Soderini**, *ibidem pag. 99.*

dant enim conjunctionem sexuum juxta selectionem animalem. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (Matth. 7, 20).

37. **Communismus et socialismus sunt in se inepti et absurdi:** a) aequalitas ab iis tantopere intenta evenire haud potest, quod Sanctissimus Pater ita probat: *sunt enim in hominibus maximae plurimaeque natura dissimilitudines: non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimen suo sponte sequitur fortuna dispar* (Rerum novarum). Aequalitate admissa, duo supponi debent: aut erit quaedam potestas et auctoritas, aut nulla prorsus; in illo casu erunt utique superiores imperantes et inferiores subjecti, ergo aequalitas tantum ficta; in hoc autem dominabitur plena anarchia, in qua robustiores et molestiores pugni principatum obtinebunt; admissa subsistentia alicujus auctoritatis, quis, quaeso, inferior esse voluerit et quis in contentione judex, ab acceptione personarum alienus, erit. b) Communismus inepte homines plus aequo perfectos atque omnibus numeris absolutos snpponere videtur, sc. pacis et concordiae studiosos, ad obsequia aliis praestanda pronos, paucis facile contentos, ab omni amore sui plane alienos, boni communis unice sollicitos, quales, proh dolor, experientia teste, homines admodum raro inveniri solent: quod est praeclarum, est rarum. Sunt utique viri, qui amore patriae, studio promovendae scientiae, intuitu boni communis incitati, eximios labores suscipiant, praeclara et molesta negotia magno animo gerant; sunt tamen hujusmodi homines numero pauci; maximam autem partem mortalium ad praeclare agendum compellit non quaedam species mente concepta et amore suimetipsius aliena, sed aut proprium commodum, aut spes vitae coelestis; quibus tamen incitamentis caret systema communismi, imo perquam multas virtutes de medio tollit [1]).

c) Socialistae, ut St.-Simon, Fourier aliique inepte arbitrantur omnes homines in unam communionem operariorum consociari posse: universalis in toto orbe communitas vix aut ne vix quidem fingi potest, nec facili modo nationalis: quis enim unquam hunc modum gordium solvet, ut cuique nationi terminos fixos juste praefiniat?

---

[1]) Dans une société basée tout ntière sur le collectivisme, les occasions de pratiquer les vertus les plus généreuses et les plus douces, la bienfaisance, l'abnégation, la gratitude et toutes les autres, qui poussent les hommes jusqu'à l'heroïsme et qui les unissent entre eux par des liens d'une nature particulière, seront retranchées. Aussi une telle société serait-elle la plus pauvre en vertus et en biens, qu'on puisse imaginer; tout en elle concourrait à réduire à une stérilité complète les meilleures facultés humaines. — Soderini, *Socialisme et Catholicisme*, chap. IX, p. 99.

d) Socialismus, qui omnem singulorum curam reipublicae vel municipio committere velit, inepte existimat, id fieri posse, ut civitatis curatores omnes necessitates singulorum civium praevideant, iisdem satis prospiciant, negotia et labores adaequate distribuant et remunerent; qui sunt hujusmodi rectores, et laudabimus eos!

e) Communistae et socialistae insolenter gloriantur, se velle homines fieri felices; voluntas sane laude est digna; quod tamen est dolendum, «*finis acerbitatum*, ait Leo XIII, *nullus est futurus, quia mala, peccati consectaria, aspera ad tollendum sunt, dura, difficilia; eaque homini usque ad ultimum vitae comitari est necesse. Itaque pati et perpeti humanum est, et ut homines experiantur ac tentent omnia istiusmodi incommoda evellere ab humano convictu, penitus nulla vi, nulla arte poterunt. Si qui id se profiteantur posse, si miserae plebi vitam polliceantur omni dolore molestiaque vacantem et refertam quiete ac perpetuis voluptatibus, nae illi populo imponuut,* **fraudemque struunt, in mala aliquando erupturam majora praesentibus**» (Rerum novarum). Quam postremam Sanctissimi Patris sententiam admodum horribiliter comprobarunt res gestae tempore subversionis in Gallia, aut etiam nuper Communa Parisiensis, ex quibus satis apparet, quid valeat societas humana, legitima auctoritate excussa, et quam felicitatem parare sint idonei rerum novarum patroni!

Homines non sine ratione dicuntur optime posse cognosci ex mediis, quibus utuntur. Media vero socialistarum, qui extremi dicuntur, sunt homicidia, incendia, furta, ut ipsi non semel propalam gloriantur [1]).

38. Ex eo tamen, quod communismus et socialismus extremus sunt in se inepti et juste damnati, minime sequitur, hodiernam societatis humanae condicionem esse plane perfectam, neque ulla in meliorem statum commutatione rerum indigere. Contra, nova industriae incrementa, novisque euntes itineribus artes, mutatae dominorum et mercena-

---

[1]) Ita in actis diurnis **Associationis Internationalis**, quae inscribuntur: **L'Internationale**, legimus, quae sequuntur: „*Avec le vol, le meurtre et l'incendie*, qui deviennent *nos moyens légaux*... nous n'hésiterons pas à admettre la chimie, dont la voix puissante devient absolument nécessaire pour dominer la mêlée sociale et faire tomber brutalement en nos mains la fortune ennemie sans gaspiller le sang des nôtres... Puisqu'il est nécessaire de démolir toute autorité politique, militaire et religieuse... *il faut absolument brûler les églises, les palais, les couvents, les casernes, les préfectures... les prisons*, enfin prendre en masse tout ce, qui a pu vivre jusqu'aujourd'hui du travail humain sans y prendre part".—Cf. **Soderini**, *op. cit.* chap. VII, p. 84. Uberius Cf. **Vermeersch**, *Quaes. de Justitia*, n. 173—193.

riorum rationes mutuae, divitiarum in exiguo numero affluentia, in multitudine inopia, opificum cum de se confidentia major, tum inter se necessitudo conjunctior, praeterea versi in deteriora mores, effecerunt, ut certamen inter pauperes et opulentos erumperet, ut jam causa nulla reperiretur tanta, quae teneret hominum studia vehementius et animos haberet acriore expectatione suspensos, ac est causa operariorum (*Rerum novarum*). Archiepiscopus Genevensis card. *Mermillot* ita hac de re vivide et diserte alloquitur: aetas nostra terribile adspicit problema emergens, quae est inaequalitas condicionum; hic est nodus difficultatum, hic enigma nostro seculo propositum. Inter sollicitudines, quae hodie animos exagitat, nemo non videt, causam opificum esse omnium motorem... Ecce jam acies ordinatur et anxii quaerimus, utrum ad pugnam perveniatur, an ad paciscendas condiciones inter divites et pauperes.—Alio autem loco idem antistes Ecclesiae prosequitur: nolite me exaggerationis accusare; est res inutilis oculos ab abysso avertere; hac ratione nec sibi prospicitur, nec periculum declinatur. Caecitas non salvabit. Potius inspiciamus absque timore et clamore illas condiciones, quas novae ideae nostra aetate et profectus crearunt. Operariorum motus nobis esse videtur instar torrentis, qui de monte descendit et in itinere potest civitates in ruinam redigere. Est Ecclesiae Catholicae fortiter ei obviam ire, aggere et tramite excipere atque in fluvium magnificum ac fecundum commutare [1]).

Cum ita res se habeant, non est cur miremur, quod causa opificum ingenia exercet doctorum, legumlatorum judicium, consilia principum, maxime in iis regionibus, ubi incrementa industriae numerosas erexerunt fabricas, et ubi discrimen sortis et pecuniae apud patronos et operarios in dies majus apparet.

39. Viri, qui via honesta et recta, legitima auctoritate adjuvante, absque ordinis socialis perturbatione, justis proletariorum indigentiis per legum lationes prospicere student, **democratiae christianae** [2]) *dicuntur* **patroni.** Haec *actio christiana popularis* est naturalis profectus humanitatis, quae fide supernaturali illustrata ad majorem in dies aequitatem hisce in terris instituendam adspirat, Dici potest haec actio *catholica*, cum

---

1) Concio an. 1868 a. d. VII Calendas Febr. Cf. Nitti, *Le socialisme catholique*, chap. IX.

2) F. r. Leo XIII in Encycl. «*Graves de communi*», die 18 Jan. 1901 an. data, quae praecendem Encycl. «*Rerum novarum*» explicat et dubia suborta tollit, actionem, quae proletariorum indigentiis prospiciendum curat, *actionem christianam popularem* aut *democratiam christianam* vocat.

Ecclesia Catholica cum suo Capite supremo ei adjutorium et consilium praestet. Ecclesia Dei, Jesu Christo magistro et duce, qui omnes homines suos fratres appellare non est dedignatus, tum sublimi et coelesti doctrina amoris proximi, tum vi sua benigna, simul jugi ac pacifica, imprimis pedetentim miseram servitutem gentilium abrogandam curavit; posthac servos colonos libertati restituit (*poddaństwo*); nunc vero causae proletariorum summo studio consulere enititur. Non intendit quidem, quod fieri nequit, absolutam inter homines aequalitatem instituere, neque novam bonorum divisionem mandat, quae absque vi legitimis proprietariis illata evenire non possit, neque jus dominii privati abrogat; sed solummodo propositum habet sublevandi miseram pauperum condicionem atque aequitatem, in quantum id fieri potest et licet, inter laborem et pretium instituendi.

Ut vero finem suum assequatur, vc. opifices contra patronorum arbitrium muniat, ad mutuum auxilium in fortuna adversa praestandum impellat, simulque eosdem contra perversas communistarum et virorum turbulentorum doctrinas tueatur, democratia christiana vel maxime *operariorum adsociationes* commendat. Quo in negotio prima in Germania fundamenta posuit fater *Kolping*, simplex operarius Coloniae oriundus, qui ad annum 1865, quo est mortuus, 400 catholicas opificum adsociationes (*Gesellenvereine*) cum 80 milibus membrorum instituit. Proprius tamen conditor et promotor democratiae catholicae fuit in Germania liber baro *Emanuel Ketteler*, posthac archiepiscopus Moguntinus, cujus pervulgatum opus: *Die Arbeiterfrage und das Christenthum*, est ejus generis, a quo novus quasi rerum ordo nascitur. Archiepiscopo Moguntino auxilium et consilium tulerunt ii viri, ut *Chorlemer-Alst*, *Windhorst*, *Lösewitz*, canonicus *Hitze*, ne alios dicam, qui tum consiliis ad deliberationem convocatis, tum in reipublicae comitiis (*Reichstag*) condicioni opificum consulere studuerunt; cujus rei gratia etiam acta diurna, quae «*Germania*» inscribuntur, edi sunt incoepta [1]).

Insignes sunt et magni ponderis constitutiones hoc tempore in *congressu Fuldensi* (*1869*) adprobatae, ubi Ecclesia dicitur posse et debere necessitati operariorum consulere, et si eorum causam ignorare

[1]) Cum acta diurna multum hodie valeant, iisdemque homines perversi abutantur, ideo ad tuenda principia catholica et jura Ecclesiae ss. Pater Leo XIII semel atque iterum viris catholicis proprias ephemerides edere consuluit. Pervulgata est etiam hac in causa sententia Kettelerii: *wenn der heilige Paulus heute lebte, würde er Zeitungsschreiber werden.*— Cf. *Theol. prakt. Quartalschrift*, 1896 an., IV heft, p. 800.

velit, suae missioni et ministerio contradixerit. Inter consilia ibidem suscepta haec sunt graviora: a) meliorem curare operariorum condicionem moralem et intellectualem; b) pacem et concordiam inter patronum et operarios fovere; c) majorem aequitatem inter pretium et laborem constituere; d) singularem curam juniorum opificum suscipere; e) uxoribus operariorum prospicere, ut sua munera matrum christiane exequi possint; f) tandem, quantum in se est, eniti, ut magistratus laborem puerorum impuberum prohibeat, numerum horarum laboris definiat, in fabricis feminas separet a viris, claudat officinas insalubres, diebus sacris requiem concedat, opificibus prospiciat in morbo et senectute, fabricas subjiciat continuae custodiae et inspectioni et s. p. Bismark suo systemate, quod Kulturkampf appellare voluit, quemadmodum Ecclesiam Catholicam, ita pariter socialismum evertere conabatur, unde etiam hujus Diocletianus non semel dicitur; nihil tamen potuit; contra, id effecit, ut socialismus cum catholicus, tum extremus nullibi tam profundas ac in Germania immitteret radices. Hinc *Guillelmus II*, simul ac se tutela ferrei cancellarii liberavit, ad consilia in causa opificum exquirenda Berolini conferentiam internationalem convocavit.

Non in sola tamen Germania socialismus catholicus operam navat causae proletariorum. Ubicunque vires et rerum condicio id permittunt, Ecclesia Catholica, duce feliciter regnante Leone XIII, succurrendi miseris non est immemor. In Austria socialismi catholici fundamenta posuit *Meyer*, ex Germania expulsus, qui acta diurna «*Vaterland*» edere incepit; a Taffe persecutus, Parisios petiit. In Helvetia magnum sibi nomen compararunt card. *Mermillod* et *Gasparus Decurtins*, in Anglia card. *Manning*, in Gallia comes *Mun*, in America card. *Gibbons* et archiep. *Ireland*, ut principes tantum socialismi catholici duces commemorem.

Omnes praecelluit gravitate et consilio **ss. Pater Leo XIII**, cujus celeberrima Encyclica **„Rerum Novarum“**, idibus majis 1891 an data, non solum apud catholicos, sed etiam apud omnes, quorum animos causa opificum tenet, maximam auctoritatem est nacta. Hisce litteris ss. Pater imprimis causam certaminis et malorum socialium indicat; deiceps contra socialistas erudite demonstrat, privatas rerum possessiones esse secundum naturam; in tertia gravissima et copiosissima parte indicat, quos et qua ratione in perdifficili causa opificum elaborare sit necesse; tandem omnes, quorum interest, ex intimo animo adhortatur, ut omni, qua possunt, ope pro salute populorum contendant.

40. Licet viri catholici, contra falsa extremi socialismi placita, tuentur *jus privati dominii* atque docent idem esse secundum naturam, *minime* tamen hoc jus omni ex parte *absolutum*, nullisque limitibus esse circumscriptum agnoscunt. Qua de re ita loquitur Doctor Angelicus, cujus judicium et auctoritas in Ecclesia est summe admiranda, aliisque theologis praestat: circa rem exteriorem duo competunt homini, quorum unum est potestas procurandi et dispensandi; et quantum ad hoc licitum est, quod homo propria possideat. Et est etiam necessarium ad humanam vitam... Aliud vero, quod competit homini circa res exteriores, est usus ipsarum. Et quantum ad hoc non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes: ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum [1]). Ex hisce Angelici Doctoris verbis colligitur, jus privati dominii esse licitum, imo ad vitam humanam necessarium; quemque tamen obligari in necessitate indigentibus subvenire.

Necessitas discerni potest duplicis generis: privata et publica. *In necessitate privata*, si est extrema, quisque de bonis proximi, quasi communibus, quantum satis est, potest sibi providere, etiam absque obligatione eadem restituendi, si tempore, quo ea consumpsit, nec spes restituendi praefulgebat. Si vero necessitas proximi non est extrema, tunc adest quidem obligatio proximo succurrendi major vel minor pro mojore vel minore indigentia, non est tamen rigorosa ex justitia commutativa debita, sed potius ex virtute caritatis per modum eleemosynae. Qua de causa ita Leo XIII: «*nemo certe opitulari aliis de eo jubetur, quod ad usus pertineat cum suos, tum suorum necessarios... nullus enim inconvenienter vivere debet. Sed ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo, quod superat, gratificari indigentibus. Quod superest, date eleemosynam (Luc XI, 41). Non justitiae, excepto in rebus extremis, officia ista sunt, sed caritatis christianae, quam profecto, lege agendo, petere jus non est. Sed legibus judiciisque hominum lex antecedit judiciumque Christi Dei, qui multis modis suadet consuetudinem largiendi: beatius est magis dare, quam accipere (Act. Ap. XX, 35); et collatam negatamve pauperibus beneficentiam perinde est, ac sibi collatam negatamve judicaturus*» (Rerum Novarum).

Quemadmodum in necessitate privata, ita pariter in **necessitate publica**, quisque debet de bonis suis contribuere communitati, cujus est membrum; quantitas autem subsidii lege canonica aut civili con-

[1]) 2. 2. q. 66 art. 2.

stituitur. D. Thomas ita de hac re docet: «cum unus homo sit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipsum quod est et quod habet, est multitudinis: sicut et quaelibet pars id quod est, est totius. Unde et natura aliquod detrimentum infert parti, ut salvet totum. Et secundum hoc leges hujusmodi onera proportionaliter inferentes, justae sunt et obligant in foro conscientiae et sunt leges legales» [1]). Necessitas haec publica, quam leges determinant, distingui potest vel illa, quae ad bonum commune societatis immediate pertinet, vel quae mediate tantum ad id spectat; illius generis leges sunt, quae maxima ex parte ratione justitiae legalis ducuntur et pro necessitate publica tributa aliaque onera civibus imponunt; alterius vero generis sunt leges, quae justitiam patricularem inter singulos cives observandam moderantur, pressius principia juris naturalis definiendo: cum enim ad bonum commune et pacem publicam observandam quam maxime interest, ut justitia inter cives rite custodiatur, hinc leges, quae hanc justitiam commutativam moderantur, etiam ad necessitatem publicam licet mediate tantum referuntur.

41. Nemo est qui sapienter negare possit, **Statum Civilem aut Rempublicam habere aliquam in bona civium potestatem**, quam legibus **in conscientia** obligantibus exequatur; hanc enim potestatem usus omnium temporum confirmavit, ratio agnoscit, necessitas boni communis postulat. Et profecto, ut omnis legitima potestas, ita pari modo potestas civilis est a Deo atque ad id constituta, ut bonum publicum procuret, securam et tranquillam rerum temporalium possessiones atque usum efficiat. Quem sibi destinatum finem civilis potestas alia ratione assequi non posset, nisi ejus leges, quae necessitati publicae prospicerent et justitiam inter cives commutativam moderarentur, etiam in conscientia valerent; lex enim, quae solummodo in foro externo valet, non semper est efficax. Insuper, leges civiles, quae justitiam commutativam legitime inter cives pressius definiunt, nisi subditorum conscientiam ligarent, hominibus piis essent detrimento: viri enim probi beneficio legum civilium quae sibi in commodum cederent, uti nollent; contra, homines perversi, qui conscientiae stimulos parvi aestimant, ex illis legibus lucrum contra probos capere non omitterent; tali pacto illi sola damna, hi sola emolumenta ex jure civili perciperent.

42. **De ambitu tamen et extensione potestatis** quam Respublica in

---

[1]) 1. 2. q. 96 art. 4.

bona civium habet, quando justitiam commutativam pressius determinat, non omnes idem tenent. Quidam supremo reipublicae principi adtribuunt dominium verum et absolutum in bona suorum subditorum, quod *altum* appellant; hujusmodi dominio usus est princeps tempore *systematis feuodalis,* quando verus erat proprietarius bonorum, quae usui subditorum benigne concedebantur. Contra, alii hanc principis potestatem in bona civium plus justo restringunt. Veritas stat in medio. Jus, quod princeps vel respublica in bona civium habet, dici quidem potest altum, cum sit penes eum, qui super ceteros se extollit et nemini est subjectus. Attamen hoc dominium non est verum jus proprietatis, nec potest princeps aut respublica de bonis subditorum eadem ratione ac de suis pro arbitrio decernere. Medio quidem aevo, tempore, quo feuodale systema in usu erat, reges habebant verum dominium proprietatis in bona suorum feudatariorum, non tamen in bona omnium subditorum regni. «Verum est, ait S. Thomas, quod omnia sunt principum ad gubernandum, non ad retinendum sibi vel dandum aliis [1]). Si respublica verum haberet dominium in omnia bona civium, nunquam injustitiam erga subditos committere posset, nec pariter ad reparandum damnum ipsis illatum unquam obligaretur. Atqui id nemo dixerit. Nec codices civiles alicubi dominium absolutum in bona civium reipublicae adjudicant. Jure Rossico hac in causa ita est sancitum: «quando privatum bonum immobile alicui societatis vel reipublicae utilitati aut usui necessario exigitur, tunc illius possessori justa damni recompensatio est constituenda» [2]).

Penes rempublicam in bona civium non esse dominium, quod proprium dicitur, ex ipsa juris rigorosi definitione satis apparet. Jus enim proprietatis consistit in quadam morali praelatione, qua proprietarius praefertur omnibus aliis in usu suae rei ad proprium commodum. Cui praelationi repugnat, quominus etiam respublica idem jus habeat; alioquin enim proprietarius non satis praeferreretur aliis; quod est enim reipublicae, est quodammodo omnium civium. Deinceps, si respublica jus strictum in bona civium haberet, tunc ipsi cives ad Statum eadem ratione ac servi ad dominum spectarent; atqui prorsus alia est relatio civis ad Statum, quam servi ad dominum; non enim cives sunt propter rempublicam, sed potius respublica propter cives est constituta, ut eorum jura tueatur. *Imperium*, ait Leo XIII, *ju-*

---

[1]) Quodlibet XII art. 24.

[2]) Сводъ Законовъ, t. X p. I, § 575; Cf. §§ 575—593.

stum esse debet... gerendum ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de caussa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur» [1]).

Altera ex parte quidam de *schola liberalismi*, cum singulorum libertatem plus aequo amplificare velint, *potestatem reipublicae* in bona civium *fere ad nihil* reducere conantur, nam affirmant, in bene constituta civitate quemque sibi consulere debere et curam boni communis ad singulos esse devolvendam, adeo ut tandem aliquando princípi nihil fere aliud ad agendum remaneat, quam providere, ne quis aliorum libertatem laedat. Sed veri nominis societas subsistere nequit sine auctoritate quadam superiore, quae non sit sola umbra potestatis, sed efficaci mandato cives ad ea praestanda moveat, quae ad bonum commune reipublicae est necessarium.

43. *De ambitu et extensione potestatis*, quam respublica vel supremus princeps in bona civium habet, recte judicat *de Lugo* [2]), cum ait: «respublica non habet quidem proprium et formale dominium in res subditi, sed solum *eminentiale*, quod licet non sufficiat ad fundandam praelationem, qua respublica posset absolute convertere res illas in propriam utilitatem tanquam suas, sufficit tamen ad fundandam praelationem *in casu necessitatis communis*, in qua possit eas res convertere in utilitatem propriam, quantum necesse est ad subveniendum communi necessitati». Quam sententiam Lugonis tenent omnes theologi catholici. «Loquuntur scriptores, ait *Lehmkuhl*, non raro de domino alto, quod principi seu publicae auctoritati in res subditorum vindicant. Verum potestas, quae illi competit, dominium recte non vocatur, siquidem in propriam utilitatem disponendi facultatem per se habet nullam. Potestas, quam intelligunt, nihil est, nisi facultas propter supremam jurisdictionem, quando bonum commune id exigit, singulares subditos proprietate certae rei privandi cum obligatione eos, quantum fieri possit, reddendi indemnes: v. g. si constructio viae publicae exigit, ut ager hominis privati occupetur, publica auctoritas possessorem etiam invitum agro privare potest, soluto tamen justo pretio [3]). Ex hisce clarissimi theologi verbis consequitur, jus, quod respublica in bona civium habeat, non esse proprium dominium proprietatis, sed potius *dominium jurisdictionis* seu administrationis; eadem enim potestas decernendi de rebus subditorum, sicut de illorum

---

[1]) Epla Encycl. „Immortale Dei".

[2]) Disp. I, n. 9.

[3]) Theologia Moralis, lib. II, n. 752.

actibus et personis inest reipublicae. Jamvero potestas decernendi de actibus et personis subditorum, alias potestas regendi, omnino differt a dominio privato et vocatur dominium jurisdictionis. Hoc dominium jurisdictionis in bona subditorum exercet princeps vel respublica per suos codices civiles, qui non solum obligant ex justitia legali, sed, nisi aequitati naturali contradicant, etiam ex justitia stricta et commutativa; quapropter, si violentur, strictum officium restitutionis inducere possunt. Ita, qui secundum condiciones, a lege civili requisitas, rem alienam bona fide praescripsit, eandem potest tuta conscientia sibi retinere et prior dominus, si illam clam sibi receperit, non solum peccat contra oboedientiam legi debitam, verum etiam jus strictum laedit illius, qui rem praescriptione sibi acquisivit. Idem tenendum est de testamentis, contractibus, aliisque, natura duce, inductis modis acquirendi dominium, quos tamen proxime codex civilis cujusque regionis temperare solet, decernendo certas formas in illis observandas, ut tali ratione aequitas inter cives securius teneatur et mutuae fraudes praecaveantur.

44. Attamen, *ut sanctiones codicis civilis in foro interno valeant* et conscientiam subditorum ligent, *tres condiciones adesse oportet:* a) lex esse debet utilis et necessaria, aut saltem pro bono communi expediens; b) Contineri debet in ambitu suae jurisdictionis, neque quid praecipere contra jus naturae vel Ecclesiae; quod ne perperam intelligatur, est animadvertendum, legem civilem, quamvis esse conformis debeat legi naturae, plura tamen posse restringere vel imperare, quae lege naturali permittantur quidem, sed praecepta non sint; haec enim non sunt contra naturam, sed praeter eam. c) Est necesse, legislator lege sua revera ligare intendat conscientias vel ab aliqua obligatione in foro interno solvere velit; non semiel enim mens legislatoris est, actionem tantum in foro externo denegare ob defectum argumentorum, quae causam probent. Ita, qui absque scripto documento pecuniam mutuo accepit, lege civili ad eandem creditori solvendam cogi non solet ob defectum probationis; exinde tamen minime sequitur, debitorem jam in conscientia esse liberum a debito solvendo; hoc enim esset contra mentem justae legis. Porro, quaedam legum sanctiones, ad formam actuum quae spectant, solummodo post sententiam judicis in conscientia valent. Qualis sit intentio legislatoris in singulis sanctionibus, cognoscitur tum ex verbis, quibus lex est concepta, tum ex interpretatione jurisperitorum et theologorum, tandem ex communi sensu et usu virorum, qui sunt timoratae conscientiae. Quid in specie

de singulis legibus codicis civilis in materia justitiae sit sentiendum, suo loco erit nobis disserendum [1]. Hic tantum animadvertere oportet, jura, quae lege civili constituantur, ei soli prodesse, qui iisdam uti velit et sciat. Quapropter, si ille, cui leges civiles in aliqua causa favent, ad easdem non provocat, pars altera, cui eaedem leges nocent, errorem sui adversarii, fortasse legis ignari, tollere non tenetur, quia, ut dici solet, «*viligantibus jura scripta sunt*» et «*leges allegantem tantum juvant*».

De speciebus Juris.

Generales juris species quatuor distinqui solent: *dominium, servitus praedialis, usus, ususfructus;* ex quibus dominium est jus plenum, dat enim jus proprietario, ut dici solet, re sua utendi et abutendi; reliquae vero juris species: usus, ususfructus, servitus, in genere reduci possunt ad usum rei, magis vel minus restrictum; hinc dominium imperfectum aliqua ratione dici possunt. Exordium sumimus a considerandis speciebus juris imperfecti ea mente, ut deiceps de jure perfecto, quod est dominium, uberius disserere liceat.

I. De usu

(*l'usage, używanie, употребленie*).

45. *Usus*, prout hic intelligitur, *est jus reale, temporaneum utendi re aliena, salva ejus substantia*. Qua jus, hic usus distinguitur a nudo facto utendi, ad arbitrium concedentis revocabili, quale religiosi professi a suo superiore obtinent. Dicitur hic usus jus *reale*, afficit enim rem ipsam usui obnoxiam; ut vero a servitute praediali hic usus distinguatur, eum dicimus jus *temporaneum*; servitus enim concedit jus perpetuum.

Id vero peculiare usus prae usufructu habet, quod, ut Jure Ro-

---

[1]) Plura hac de re erudite conscripta lg. Van Gestel „*De vi legis civilis in materia justitiae*“, cap. II, p. 97—226.

mano dicitur, *«cui usus relictus est, uti potest, frui non potest»*; vc. usurarius ex re aliena solummodo utilitatem et commodum percipere potest, ejus tamen fructus facere suos nequit. Quod tandem subjungitur: *«salva ejus substantia»*, ita est intelligendum: jure utendi datur usurario facultas rem alienam ad propriam utilitatem habendi non alia ratione, nisi id fiat secundum illius rei condicionem et secundum eum usum, ad quem res natura vel institutione est comparata, simulque ut res ipsa integra servetur [1]). Ita, qui domum alienam locatione obtinuit ad habitandum, non potest eadem uti ad pecora ibi servanda.

Jus Rossicum non satis distinguit usum *(употребленіе)* et usumfructum *(пользованіе)*; imo usus et ususfructus, qua tales, in legislatione rossica desunt; notiones tantum analogicae habentur [2]). Pauca etiam Codice Napoleonis de usu sunt constituta (art. 625—636); majorem vel minorem usus extensionem Codex relinquit voluntati paciscentíum, qui publico documento illum determinent (art. 628). Longe uberius, pro more suo, de usu Jus Romanum agit (*Dig. tit. De usu et habitatione*; lib. VII, tit. VIII).

Ad usum referri solent: a) *habitatio* vc. jus utendi pro sua indigentia aliqua habitabili parte domus alienae; b) *lignatio* i. e. jus colligendi ligna arida, aliquando etiam viridia caedendi in silva aliena;

---

[1]) Sub Rom. Pontifice Joanne XXII acri cum contentione disputabatur, *an verus haberi et dici posset usus, quando ipsa rei substantia utendo consumitur*, quemadmodum id contingit in cibo et potu. Occasionem disceptandi dederunt FF. Minores, qui profitebantur, se nullarum prorsus rerum temporalium habere dominium, sed simplicem tantum usum illarum oblationum, quae a fidelibus per modum eleemosynae ipsis offerrentur. Quae difficultas ita solvi videtur *(Cf. Lugo, Disp. II, n. 41—56)*; si usus intelligatur qua jus ad certum tempus irrevocabile et a voluntate dantis independens, non videntur res primo usu consumptibiles usui concedi posse, sed potius in dominium transire. Aliter est judicandum, si usus intelligatur merum factum revocabile et plene dependens a voluntate concedentis: ita ad coenam alienam invitatus conviva habet usum cibi et potus, quae sibi apponuntur, non habet tamen eorundem dominium. Hujusmodi usum habent omnes religiosi solemniter professi; enimvero cibus, vestis etc. ipsis usui tantum conceduntur, manente dominio harum rerum apud communitatem religiosam. Franciscanis vero strictioris observantiae id est proprium et singulare, quod solo simplici facto utendi gaudent, dominio rerum manente vel penes offerentes oblata, vel, si hi dominio renuntiaverint, penes Sedem Apostolicam.

[2]) Cf. Побѣдоносцевъ К., *Курсъ Гражданскаго Права*, ч. I, § 62; ч. III, § 41.

c) *pastio* aut jus ducendi pecora in pascua aliena; d) tandem hic referri possunt *diversae species commodati*, ut usus equi, vestis etc.

46. *De usu*, nisi legis sanctio aut peculiaris conventio, eidem non adversa, aliud statuat, *haec in genere sunt tenenda*: a) Usurarius, licet ex suis vivere possit, jus tamen habet ex re aliena eam utilitatem capiendi, quae suae condicioni et propriae domesticae oeconomiae congruebat tempore, quo usum obtinuit. Quapropter, si sua condicio aut professio posterius mutetur, usum ampliare nequit; ex. gr. qui usum alieni horrei ad frumentum deponendum habet, si sua substantia inopinate augetur, nequit longe majus sibi spatium exigere, quam quod praevideri poterat. Excipitur nihilominus casus, quo usus v. g. esculentorum major exigitur, aucta familia per susceptionem liberorum. b) Usurarius jus suum alteri concedere, locare, vendere nequit. Qui usum horti habet, obtenta licentia pro custodia, quantum satis est, fructus comedendi, potest quidem eosdem fructus suis hospitibus apponere, nequit tamen extraneis eos vendere vel donare. c) Tandem usurarius in usu sese gerere debet, quemadmodum bonum patremfamilías decet et, nisi contraria consuetudo aut lex civilis aliud statuat, pro ratione usus ad modicas reparationes et culturae expensas subeundas obligatur. Uberius de usu disserendum nobis erit, quando sermo instituetur de contractibus commodati (*ссуда*), locationis, conductionis.

II. De usufructu

(*Vusufruit*; *użytkowanie*, *używanie dochodów*; *пользованіе полное и неполное*, *пользовладѣніе*).

47. *Ususfructus est jus temporaneum utendi simul et fruendi re aliena, salva tamen ejus substantia.* Ususfructus eo differt ab usu, quod dat jus in propriam utilitatem non tantum re aliena utendi, sed etiam ejus fructus capiendi. Qui fructus esse possunt: a) vel *naturales*, qui e re frugifera fere sua sponte nascuntur, ut fetus animalium, arbores silvae, gramina; b) vel *civiles* v. gr. pretium domus locandae, reditus annui; c) vel *industriales*, quos solertia humana aut sola, aut natura adjuvante lucrifacit, ut segetes, lucrum e pecunia in negotiationem tradita.

Ususfructus duplicis generis distingui solet: a) *legalis*, si ipsa lege civili aut canonica constituitur; hujusmodi usumfructum habent

parentes e bonis filiorum minorum; juxta Cod. Nap. maritus e quibusdam bonis suae uxoris; juxta Jus Canonicum beneficiarii ex suis beneficiis ecclesiasticis; b) *conventionalis*, qui mutuo paciscentium contractu determinatur, nec juri positivo adversatur.

De quadam ususfructus specie Jure Rossico sancitum est t. X, p. I, art. 1691—1736 et 2064—2099; Cod. Nap. civili art. 578—624 [1]); Jure Romano Dig. lib. VII tit. de usufructu. De juribus et obligationibus beneficiariorum lege Jus Cononicum et Statuta dioecesana [2]).

Jura et obligationes ususfructus, si est legalis, ipsa lege positiva propius definiuntur; si vero est conventionalis, mutua pacta sunt servanda, dummodo ne alicui justae legi aut aequitati naturali contradicant. Integrum de usufructu exhibere tractatum juridicum non est nostrum. Satis erit praecipua scitu necessaria tradere; quaedam particularia dicentur, quando sermo habebitur de illis contractibus, ubi species ususfructus continentur. In singularibus vero difficultatibus consulendi sunt jurisperiti. Haec igitur in genere de usufructu sunt tenenda.

48. **Jura usufructuarii:** Usufructuarius omnes fructus rei alienae percipere potest, quemadmodum verus rei proprietarius, et pro arbitrio de iisdem disponere, sibi retinendo, locando vel vendendo. Metallorum tamen fodinae nuper detectae vel thesaurus inventus, nisi peculiaris intercedat conventio, juxta Jus Rossicum et Cod. Nap. proprietario adjudicantur. Quod pertinet ad fructus naturales et industriales, usufructuarius jam ab initio suos facit omnes adhuc pendentes (*rei frugiferae adhaerentes, ut poma arbori, frumentum solo, będące na pniu*) absque obligatione quid solvendi pro cultura, semine etc. Fructus vero civiles (*ut plurimum pecuniarios*) eos solos percipere potest, qui a die ususfructus incipiunt deberi; civiles enim fructus usufructuario debentur pro ratione temporis, quo ususfructus perdurat. Quapropter, si praedium locatur alicui tertio pro 365 rubelis quotannis solvendis, et ususfructus ejusdem praedii per 100 dies perdurat, usufructuarius habet jus ad 100 rubelos. *Insuper haec particularia de usufructuario sunt adnotanda*: qui usumfructum silvae habet, frui ea debet ut bonus paterfamilias; ideoque ea tantum ligna caedere potest,

[1]) Lege hac in causa **Okolski** Ant. *Zasady Prawa Cywilnego, obowiązującego w Królestwie Polskiem* księga II, tytuł III.

[2]) In dioecesi Samogitiensi postrema statuta dioecesana hac in causa anno 1752 sunt promulgata; insuper habentur instructiones ab episcopo **Mathia Vołonczevski** pro opportunitate aliquoties datae.

quae vere sibi sunt necessaria, nisi silva ita sit oeconomice ordinata, ut quovis anno certa ejus pars ad caedendam est destinata (*gospodarstwo leśne*); quo in casu usufructuarius morem potest sequi a proprietario incoeptum.—Arbores fructiferae, quae demoliuntur, vel casu sunt avulsae aut confractae, ad fructuarium pertinent, dummodo alias novellas eodem numero substituat.—Usufructuarius aeque ac proprietarius utitur metalli fodinis et lapicidiis, quae jam tempore incoepti usufructus exercebantur.—Si ususfructus sit rerum, quae ipso usu consumuntur, ut pecuniae, vini, grani, rerumque similium, usufructuarius iis uti potest, cum onere tamen, finito usufructu, tantundem in eadem et quantitate et qualitate et valore restituendi, vel earum aestimationem praestandi.—Tandem usufructuarius utitur emolumentis, quae per alluvionem (*przymulenia*) augentur, pariterque servitutibus praedialibus; imo hisce non solum potest, sed etiam uti debet, ne consuetudine contraria per praescriptionen amittantur.

49. **Obligationes usufructuarii** in genere ad tria reducuntur: usufructuarius tenetur ipsam substantiam rei alienae salvam conservare; ea uti sicut bonus paterfamilias; tandem, usufructu finito, eandem proprietario restituere.

Quod ad singula pertinet, haec adnotare licet: *ab initio* usufructuarius vi Cod. Nap. curare debet, omnium rerum, quae ad usumfructum spectant, descriptionem (inventarium) fide dignam conficiendam (art. 600). Jure Rossico pacta de usufructu rerum mobilium (*рабочаго скота, подводъ и т. п.*) viva voce iniri possunt; contra, rerum immobilium et navium (*недвижимыхъ имуществъ, также мореходныхъ и рѣчныхъ судовъ*) ordinarie confici debent in scripto, quibusdam casibus exceptis (т. X, ч. I, ст. 1700).—*In decursu* seu tempore ususfructus debet usufructarius facere sumptus minores, qui dicuntur conservatorii; fidelem procurare rei alienae culturam; lites, quae circa usumfructum a tertia persona moveantur, propriis sumptibus subire; tandem exequi omnia onera tum gubernio, tum municipiis fortasse praestanda.—*In fine* ususfructus obligatur usufructuarius ad rem proprietario eo in statu reddendam, in quo post bonam administrationem ipsa esse potest et debet; fructus naturales jam maturos et separatos sibi potest assumere, non vero immaturos citius ante tempus congruum colligere; nequit sibi recompensationem petere pro cultura, semine, modica melioratione; ornamenta suis sumptibus adjecta licite quidem potest auferre, ea tamen condicione, ne perinde res in deteriorem statum redigatur, quam quae ante usumfructum fuerat. — Si res ipsa

usufructuarii culpa pereat, hic ad omnia damna proprietario reparanda adstringitur. Jure Rossico usufructuarius hoc in casu potest rem, sua negligentia corruptam, sibi retinere, ejus pretium solvendo [1]). Contra, ad nihil tenetur usufructuarius, si res, usuifructui data, ipsa natura v. gr. ob vetustatem dilabatur, vel aliquo infausto casu aut vi praevalente (in bello) destruatur, nam tunc res domino perit; attamen usufructuarius debet probare, rem sibi datam naturali condicione periisse, nec proprietarius facile ei fidem praestare tenetur. Quod in specie ad *usumfructum gregis* pertinet, haec Cod. Nap. art. 615 et 616 sunt statuta: si unius tantum animalis ususfructus habetur et animal sine usufructuarii culpa perit, hic ad nihil tenetur. Si grex in usumfructum datus casu aut morbo absque fructuarii culpa totus perierit, hic coria tantum vel eorum pretium proprietario restituere debet (*powinien oddać właścicielowi skóry albo ich wartość*) Tandem si grex perit non totus, in locum demortuorum capitum usufructuarius totidem alia ex novo fetu supplere tenetur. Quae omnia valent in conscientia.

50. **Cessat ususfructus** hisce in casibus: a) Si est personalis, *per mortem* usufructuarii naturalem vel civilem; mors civilis in Rossia consequitur privationem omnis juris (*лишеніе всѣхъ правъ и состоянія*). b) *Per expirationem temporis* pro usufructu concessi. Jure Rossico species ususfructus, quae наемъ имущества dicitur, generatim non potest longius, quam ad tempus 12 annorum concedi (ст. 1692). Codice vero Nap. maximum tempus definitur pro personis tantum juridicis, cujusmodi sunt municipia, corporationes, instituta benefica etc.; pro hisce tempus maximum ad 30 annos restringitur (art. 619). c) *Per consolidationem*, qua usufructuarius donatione, testamento aut alio contractu ipse rei dominus efficitur. d) Si usufructuarius re aliena *frui negligat temporis spatio ad praescriptionem requisito,* tunc jus suum prorsus amittit; Jure Rossico ad praescribendum 10 anni sufficiunt; Codice Nap. bona immobilia sine titulo 30 annis elapsis praescribuntur. e) Si res usuifructui data *integre destruatur aut pereat;* contra, ususfructus non cessat, si res ex parte tantum deterior fiat vel dilabatur; quod si fiat culpa proprietarii, usufructuarius indemnis fieri debet. f) Si usufructuarius *re aliena abutatur,* intercedente sententia judicis potest usufructu privari. g) Ususfructus cessat *per legi-*

---

[1]) Если кто взятое въ ссуду имущество испортитъ своимъ нерадѣніемъ, то обязанъ заплатить хозяину цѣну онаго; поврежденное же имущество можетъ взять себѣ (ст. 2068).

timam renuntiationem sui juris ab usufructuario factam; usufructuarius tamen nequit sua sponte decedere de jure suo cum damno creditorum vel suae familiae. k) Tandem ususfructus resolvitur, si condicionatus fuerit et *condicio adimpleatur*.

51. Ad naturam ususfructus proxime accedit **emphyteusis**, quae definiri potest: *jus reale habendi plenum usumfructum* (*dominium utile*) *rei immobilis ea condicione, ut domino annua pensio solvatur*. Origo hujus juris est romana: Senatus loca inculta non semel in perpetuum, aut saltem ad tempus diuturnum civibus ea condicione offerebat, ut ibi agri cultura institueretur et annua pensio civitati solveretur. Medio aevo proximam emphyteusis similitudinem **feuda** prae se ferebant: dominus-princeps suis ministris (vassalis) immobilia bona sub onere fidelitatis et obsequii sibi praestandi concedebat. Quaedam feudi species etiam *in antiqua Lithuania* usu veniebat, quando Magni Duces viris bene meritis, qua stipendium pro re militari, ad terminum vitae aut etiam amplius bona immobilia tribuebant, cum quibusdam tamen restrictionibus, in documento publico expressis. Quae bona feudataria in comitiis Horodlensibus, licet ex parte tantum, jus proprietatis obtinuerunt. Porro in comitiis generalibus Lublini 1569 an. omnibus nobilibus bona feudataria pleno jure proprietatis sunt condonata. Quia tamen deinde etiam reges Poloniae bona Reipublicae viris pro patria bene meritis jure feudi impertire solebant, ideo usque modo bona feudataria (*ленныя владѣнія*) habentur in districtu Vilnae, Kaunae, Grodnae, Minsci, Kijów, Wołyń, Podole; subsunt regiminis inspectioni (*министерству государственныхъ имуществъ*), nequeunt inter heredes dividi, debitis onerari, locari aut alii familiae vendi. Anno 1871 dona feudataria personis rossicae nationis sunt jure proprietatis plene remissa; reliqua manent in statu pristino [1]).

Emphyteusis aeque hodie in quibusdam regionibus viget, potissimum tamen qua contractus inter personas privatas, in perpetuum aut ad tempus diuturnum initus. Ab usufructu eo differt, quod ad tempus longum et contractu oneroso tribuitur (*ususfructus etiam gratuito offerri potest*), non est personalis, potest locari aliis, vendi, hereditate transferri, salvo tamen semper jure ipsius proprietarii. Emphyteusis usque modo Jure Rossico agnoscitur in Bessarabia [2]) et qua jus

[1]) Сводъ Зак. т. VIII, ч. I, изданіе 1893. Cf. etiam **Побѣдоносцевъ**, Курсъ Гражд. Права, кн. I, § 62, стр. 507.

[2]) Разъясненіе Прав. Сената 1895 года, № 59.

census perpetui (*чиншевое право*) in novem guberniis lithuanicis (*Сѣверо-Западный Край*) [1]. Qui jure census perpetui gaudent, quotannis rei proprietario solvere debet pensionem, ut plurimum, sat parvam, jam antiquitus a majoribus determinatam. Rei proprietarius nequit jam a contractu recedere, censuarium jure suo privare, aut annuam pensionem augere. Lites circa pacta de censu perpetuo, ante 1840 an. inita, Statuto Lithuanico dirimuntur, recentiora autem moderantur communi Jure Rossico [2]. Denique ad emphyteusim in Rossia referri possunt: безсрочное пользованіе крестьянъ казенною землею и отдача оброчныхъ статей въ долгосрочное содержаніе) [3].

III. De servitute praediali

(*сервитутъ вещный, service foncier ou servitude, służebność gruntowa*).

52. Servitus in genere est jus, quod habet persona aut aliqua res, ut ipsi aliena persona aut res serviat. Si persona alii personae inservire debet, habetur stricto sensu servitus personalis, cui subjacebant servi seu mancipia apud romanos, hebraeos, aliasque gentes. Quando autem res aliqua, praeter proprium dominium, etiam alii personae servitium et utilitatem praestat, habetur servitus mixta (*droits de jouissanse*), quales sunt usus, ususfructus. Tandem servitus realis vel praedialis ea dicitur, vi cujus res rei commodum et emolumentum praestare est obligata.

Haec *servitus* praedialis *active* accepta definiri potest qua *jus, quod proprietarius occasione sui praedii ad aliquod emolumentum ex praedio alterius percipiendum habet; passive* vero accepta servitus realis *est onus praedio impositum ad usum et utilitatem praedio alterius proprietarii praestandum*. Ad servitutem igitur praedialem constituendam duo requiruntur praedia, quorum alterum fert onus et dicitur *serviens*, alterum utilitatem capit et *dominans* dicitur. Nomine praedii hic intelligitur quaecunque res immobilis: aedificia, aqua, ager, silva, via, pascua etc. Res mobiles servitutis incipaces esse dicuntur.

Ratione diversi originis distinguitur servitus: a) *naturalis*, si naturali

---

[1]) Разъясненіе Прав. Сената 1883 года, № 106, къ ст. 514.

[2]) Законъ 25 іюня 1840 года.

[3]) Касс. рѣшеніе 1881 года, № 99.

rerum condicione vel situ locorum oritur, ut cursus aquae; b) *legalis*, si speciali lege instituitur: ita lege rossica quibusdam colonis rusticis (*крестьянамъ*) agnita est servitus pascendi gregem in silvis vel pascuis nobilium; c) *conventionalis*, si ex mutuo pacto partium oritur.

Ratione diversi objecti servitutes in Jure Romano dividebantur in *urbanas* et *rusticas*, prout in utilitatem aedificiorum (etiam ruri), aut agrorum inserviebant; quae tamen distinctio in recentioribus codicibus fere nullibi usu venit. Majoris momenti est distinctio servitutum praedialium in Cod. Nap. recepta: *in continuas et discontinuas, apparentes et non apparentes*. Continuae (*ciągłe*) dicuntur, quorum usus absque hominis facto est aut esse potest continuus; cujusmodi sunt aquaeductus, stillicidia. Discontinuae (*przerywane*) in suo exercitio exigunt hominis factum, ut servitus pascui, transitus, aquam hauriendi (art. 688). Servitutes apparentes illae habentur, quas aliquod opus indicat exterius, veluti porta, fenestra, aquaeductus. Contra, si deest externum indicium, dicuntur non conspicuae (*niewidoczne*); tale est jus prohibendi, quominus vicinus aedificia altius erigat (art. 689).

53. Nullibi jus servitutis tanto cum studio et plenitudine est elaboratum, ac in Codice Italico, anno 1865 edito, potissimum quae ad servitutes aquae pertinent. Jus Romanum, licet suo tempore admodum accuratum et perfectum erat, nostrae tamen aetati, condicionibus vitae hominum socialis non parum immutatis, non amplius usui sufficit, neque alicubi, nisi pro opportunite et locorum condicionibus sat immutatum, retinetur [1]).

In Codice Rossico propria notio servitutis, qua distinctae speciei juris, deest. Quae aliquo modo ad servitutes accedunt, veniunt sub generali titulo: *о правѣ участія въ пользованіи и выгодахъ чужаго имущества* (Св. Зак. т. X, ч. I, ст. 433—451) et *о правѣ угодій въ чужихъ имуществахъ* (ст. 452—466). Servitutes, si ita eas appellare licet, in Jure Rossico distinguuntur *communes* et *particulares*, in quantum vc. lege sunt constitutae in commodum aut omnium civium, aut singularis tantum personae. Ad communes illae pertinent, quae respiciunt vias magnas (*большія и проселочныя дороги*) et navigabiles fluvios eorumque ripas. Particulares in genere hae indicari possunt: servitus aquae—*водяное право* ст. 442—444; servitus vici-

[1]) Si quis Jus Romanum in causa servitutum cognoscere velit, legat hac de re opus a Szczaniecki compositum: *O służebnościach gruntowych według prawa rzymskiego*. Kraków, 1862.

niae—*право сосѣдства* ст. 445—447; servitus itineris—*право прохода и проѣзда* 448—451; servitus silvae — *право въѣзда и право звѣриныхъ и другихъ промысловъ въ чужой дачѣ*. Quae postrema species servitutis, vc. jus negotiandi in aliena silva, *potissimum in Statuto Lithuanico* magna cum diligentia per singula erat jure determinata et usque modo pro districtu Czernihoviae et Poltaviae in Codice Rossico est recepta (ст. 466).

54. **Servitutes, quae in districtu ad Mare Balticum** (*Curlandia, Livlandia, Estlandia*) usu veniunt, sedulo et copiose magnam partem e Jure Romano sunt descriptae, condicioní hodiernae vitae accomodatae et Summa Auctoritate 1862 an. confirmatae [1]). Distinguuntur urbanae et rusticae. Ad servitutes *rusticas* referuntur: a) servitus itineris (jus semitae, jus agendi pecora sine via permanente, jus viam habendi); b) servitus pascendi; c) servitus foenum demetendi; d) servitus aquae (jus aquaeductus, aquaehaustus, pecoris ad aquam appulsus; e) servitus silvae; f) servitus curae apium. Servitutes *urbanae* hae sunt principales: a) servitus aedes in aërem extollendi supra aedificia vicini; b) servitus aedes proprias muro alieno fulciendi; c) servitus stillicidium in alienum fundum avertendi; d) servitus colluvies in alienum fundum effundendi; e) servitus prospectum et lumen aedificiis non impediendi etc.

55. **Jure Rossico et in Livonia idem est modus servitutes acquirendi**, et quidem: aut lex positiva easdem a principio decernens, aut sententia judicis legitimo tempore obfirmata (*рѣшеніе суда, вошедшее въ законную силу*), aut tandem conventio partium; haec tamen, ut quid valeat, actis publicis esse debet inscripta (*внесено въ крѣпостныя книги*); sola nuda praescriptione servitutes acquiri nequeunt; contra, conventionales servitutes extingui possunt in Imperio per non usum 10 annorum et in Livonia per praescriptionem more romano; insuper conventionales cessant per renuntiationem, publicis actis inscriptam, per rei servientis destructionem, tandem per consolidationem, quando rei et servientis et dominantis idem proprietarius efficitur [2]).

---

[1]) Высочайше утвержденное мнѣніе Государственнаго Совѣта 1862 г.—Остз. Зак. Гражд. ст. 1089 - 1334.

[2]) Разъясненія Правительствующаго Сената къ ст. 442: 1873 г. № 1245; 1883 г. № 119; 1887 г. №№ 10, 30; 1893 г. № 90; 1896 г. № 17.

56. **Codice Napol. servitutes praediales** art. 637—710 sunt definitae. *Servitutes naturales,* quae tamen lege sunt confirmatae, triplicis speciei distinguuntur: a) servitus aquae (aquaeductus et aquae usus); b) servitus limites statuendi (*każdy właściciel zobowiązać może sąsiada swojego do ograniczenia stykających się własności; koszta ograniczenia są wspólne,* art 646); c) servitus suum praedium circumsepiendi. *Servitutes, quae sola lege* positiva *civili* sunt sancitae, respiciunt: murum et fossam communem art. 653—673, intervallum ob aliquas constructiones requisitum art. 674, prospectum in vicini fundum art. 675—680, tectorum stillicidia art. 681, jus itineris art. 682—685. Tandem *servitutes* stabiliri possunt *mutua partium conventione* aut aliquo hominis facto, dummodo tamen ne personis imponantur [1]), neque aliunde publico regimini adversentur. Insuper id etiam est animadvertendum, solum proprietarium posse servitutem aliis concedere, sua praedia in gratiam alterius praedii gravando. Nequeunt id usufructuarii concedere, nam cum jus eorum sit transitorium, non possunt praedium onere perpetuo gravare, quemadmodum id in servitutibus obtingit. Insuper, cum per servitutis concessionem quaedam fiat alienatio, facile intelligitur, non quemlibet proprietarium eandem concedere posse, sed tantum eum, qui sit sui juris; ergo excipiuntur minores, civiliter mortui etc. Minores tamen, licet servitutes aliis concedere nequeunt, possunt tamen easdem sibi acquirere, aut rescindere actus sibi noxios.

57. *Triplici modo servitutes conventionales acquiri possunt:* a) *Per quemcunque titulum ex se aptum ad transferendnm dominium,* sive hic titulus sit gratuitus (donatio, testamentum), sive onerosus (emptio). Solus tamen titulus non sufficit: aliquod scriptum documentum est necessarium. b) *Per destinationen patrisfamilias,* quae tunc implicite adesse censetur, quando duo praedia, nunc divisa, in unius dominio exstitisse probantur, et ab ipso in eo statu esse ordinata, ex quo servitus oriatur. Qui modus acquirendi servitutem vel tunc obtinet locum, quando proprietarius duorum praediorum alterutrum quocunque modo alienat, vel quando post mortem proprietarii ejus duo praedia duobus haeredibus contingunt; in utroque tamen casu ad servitutem stabiliendam duae condiciones adesse debent: 1) ut servitus sit continua et apparens; 2) ne dominus, quando de alterutro praedio

---

[1]) Servitutes personales sunt extinctae per Указъ a. d. VI Nonas Martias, 1864 an.

decernit, usum servitus excipiat. c) *Per praescriptionem.* Qua in causa non desunt plures difficultates, quas tamen jurisperitorum disputationibus relinquimus. In genere autem haec sunt observanda. Servitutes continuae et apparentes acquiruntur per usum 30 annorum; imo, accedente aliquo titulo vero, 10 anni sufficiunt. Non idem est dicendum de servitutibus vel non continuis, vel non apparentibus; ad hasce enim servitutes acquirendas, ut plurimum, non sufficit etiam immemorabilis possessio et usus, sed exigitur insuper aliquis honestus titulus. Quod utique perquam justum est: nam si in hisce ad praescribendam servitutem solus nudus usus quid valeret, jam inter vicinos multa impedirentur, quae vulgo tolerari solent, atque tali pacto pax et concordia, adeo inter vicinos exoptandae, perturbarentur; quisque enim, rerum suarum tenax, continuo angeretur, ne forte suus vicinus quid praescriberet.

58. Quamvis *servitutes* praediales, utpote jura realia, natura sua sint perpetuae, per accidens tamen *cessare aut prorsus extingui possunt*, et quidem: a) *Per* talem *mutationem rei* servientis aut dominantis, ut ille, cui servitus est obligata, eadem amplius uti non possit: v. gr. si domus dominans aut serviens destruatur, praedium submergatur, aut fons aquae exsiccetur (art. 703). Quo tamen in casu servitus potius suspendi, quam penitus extingui dicitur; nam reviviscere solet, si res serviens ita restituatur vel restauretur, ut usui adhiberi possit, et nisi tempus, ad legitimam praescriptionem sufficiens, praetereat. b) *Per confusionem* vel consolidationem, quando nempe utriusque praedii dominantis et servientis idem ipse proprietarius efficitur. c) *Per non usum* vel legitimam praescriptionem. Non semper tamen servitus non usu extinguitur; si enim servitus dominans indivisa ad plures dominos pertinet, ipsa salva manet pro omnibus, etiamsi unus tantum ea utatur (art. 709). Idem est tenendum etiam in casu, quo nemo servitute communi utitur, dummodo inter servitutis condominos quispiam habeatur, adversus quem praescriptio non valet, cujusmodi est minor (art. 710). Hisce casibus exceptis, omnis servitus tum apparens et non conspicua, tum continua et discontinua per non usum triginta annorum praescriptione prorsus extinguitur; nec requiritur, ut alibi, bona fides in praescribente; non enim obstringitur proprietarius praedii servientis ad monendum suum vicinum, ut hic ad praescriptionem declinandam jure suo uti velit. d) Tandem servitus cessare potest aut *tempore elapso*, si non in perpetuum erat concessa, aut *impleta condicione,* si condicionata erat, aut denique *voluntaria remissione* seu con-

donatione aperta vel tacita (per aliquod factum servituti indubie contrarium) ex parte illius, qui servitutis usum habebat.

59. **Pro usu vitae haec de omnibus servitutibus in genere sunt observanda.** Quae de servitutibus a legislatore ad mutuam civium concordiam et pacem conservandam sunt sapienter decreta, obligant subditos in conscientia. *Possessor praedii servientis* ordinarie non tenetur aliquid positive facere, sed solummodo: a) nihil agere, ex quo servitus fiat deterior; b) permittere alteri facultatem jure suo pacifice utendi. Si tamen ratione servitutis proprietarius impediatur, quominus negotia domestica melius agat, ipsi licet locum, servitutis exercitio aeque aptum, offerre domino praedii dominantis, quem hic sine ratione recusare nequit. Sumptus ad rem servientem integre servandam et reparandam ordinarie ab illo fieri debent, qui jure servitutis gaudet; qui enim emolumenta capit, etiam onera portare debet. Attamen etiam proprietarius rei servientis, si et ipse re serviente utitur, aeque partem in erogandis expensis, servata proportione, habere debet; ita uterque ad reparandam viam obligatur, si eadem simul utuntur.

Possessor praedii dominantis omnia tum ad servitutem exercendam, tum ad eam conservandam sibi necessaria perficere potest; nequit tamen ipsam servitutem ampliare; imo, in dubio jus suum est stricte interpretandum, est enim odiosum vero proprietario praedii. Si praedium dominans inter plures dividatur, servitus singulis debetur, dummodo tamen ne condicio praedii servientis exinde deterior fiat.

60. Fatendum tamen est, jus servitutum praedialium esse maxime implicatum, quod facile inter vicinos ansam odio et discordiis praebet atque ad ruinam familiarum non semel confert; de hoc enim jure saepissime lites in judicio moveri et per tempus diuturnum protrahi solent. *Parochi et confessarii est sacrum officium, curare has lites aut praecavendas, aut tollendas,* quin tamen jura litigantium laedantur. In dubio utique adhortandae sunt partes adversae, ut in re adeo incerta et implicata potius de jure aliquatenus cedant, quam fortunam et mutuam concordiam periculo exponant. Ut tamen monitum et consilium sit prudens et sanum, tum parochus, tum confessarius, est necesse, calleant principia juridica, et leges suae regionis, quae hanc materiam spectant, probe cognoscant [1]); quod tamen studium non est promptum et facile, utpote cum inter ipsos jurisperitos saepe non

---

1) Idem monent **Marres**, *De Justitiae et Jure*, lib. I, n. 447; **Waffelaert** I, n. 86.

constet, quid in singulari aliquo casu sit tenendum. Difficultas vel maxime exinde oritur, quod pro variis locorum vicissitudinibus et pro continua transmutatione, cui vita hominum socialis est obnoxia, vix aut ne vix quidem possunt legum conditores omnia praevidere et jure sancire.

IV. Dominium.

(*La propriété, prawo własności, право собственности*).

Dominii natura.

Dominium et proprietas non ab omnibus clare distinguitur, et tum in sermone populari, tum apud theologos, imo etiam in quibusdam codicibus civilibus (ut etiam in Codice Napol.) non semel promiscue qua idem esse assumitur. Verum tamen proprietas est nihil aliud, quam ipsa res propria, dominium autem est jus seu facultas decernendi de re propria. Quapropter proprietas, si cum dominio comparetur, hujus objectum constituit et ita quidem, ut dominium personae insit, proprietas autem cum re in idem cadant. Theologi scholae dominium appellare solent proprietatem subjectivam, ut tali ratione eam distinguant a vera proprietate, quam objectivam dicunt.

Dominium definiri solet, qua facultas pro arbitrio decernendi de
61. *re aliqua, eamque assumendi in omnem usum, lege aut pacto non prohibitum* [1]). Dominium igitur est illius juris, quod objectum justitiae commutativae constituit, species vere perfecta; in ipsa enim continentur tum jus re utendi, tum jus ejus fructus percipiendi, tandem jus de eadem re, qua sua, pro arbitrio decernendi. Quae juris perfectio

---

[1]) **Cod. Nap.** art. 544: *La propriété est le droit de jouir et de disposer des choses de la manière la plus absolue, pourvu qu'on n'en fasse pas un usage prohibé par les lois ou par les règlements.*

Гражд. Зак. ст. 420: *Власть въ порядкѣ, установленномъ гражданскими законами, исключительно отъ лица посторонняго, владѣть, пользоваться и распоряжаться имуществомъ вѣчно и потомственно, доколѣ хозяинъ не передастъ сей власти другому.*

satis indicatur verbis «*in omnem usum*», quibus jus vendendi, donandi, consumendi etc. continetur. Quidam, ut, quo possunt, meliore modo dominium, qua jus perfectum, definiant, illud dicunt esse *facultatem re utendi et abutendi*. Quae definitio primo obtutu esse videtur absona, facile tamen sine offensione accipitur, si animadvertatur, verbo «*abuti*» nihil aliud hic significari, nisi ipsius rei ejusque substantiae destructionem (ut in *Extravag. tit. XIV*) per oppositum ad simplicem usum, quo rei substantia salva manet. Sed etiamsi vocabulum abutendi sensu proprio interpretetur, certe nihil aliud hic significat, nisi quod ipse abusus rei, si a domino fiat, jus strictum alterius non laedit, licet peccatum est.

62. Quamquam dominium est jus vere perfectum, tamen ejus usus, quemadmodum etiam usus aliorum jurium, legitimo imperio obtemperat atque per leges et pacta restringi potest. Ita, pupillus-proprietarius lege prohibetur, quominus rem suam alienet, donec maturam aetatem adipiscatur; non quidem perinde dominium a proprietario aufertur, sed tantum ejus usus ob graves rationes ad certum tempus restringitur, non secus ac, pedibus ligatis, actus ambulandi impeditur, quin tamen ideo ipsa ambulandi potentia tollatur. Lex tamen ipsa, ut dominium alicujus coercere possit, sufficiente ratione moveri et esse justa debet; alioquin enim sequeretur, legislatorem-principem pro arbitrio de proprietatibus civium decernere posse, quod genuinae notioni juris repugnat.—Insuper usus dominii restringi potest per pacta et contractus, quibus potest aliquis usum vel usumfructum suae rei alteri ad tempus concedere.

Nomen dominii a pluribus theologis per quandam analogiam etiam usui et usufructui tribui solet; quod dominium, ut a vero et proprio dominio distinguatur, appellant non plenum, indirectum aut etiam dominium utile, quae ratio dicendi etiam in Jure Rossico est recepta, ubi, praeter dominium plenum et directum, agnoscitur: *право собственности неполное* (ст. 432).

Dominii objectum.

Objectum dominii in genere ea omnia constituunt, quae usui humano aliqua ratione obveniunt et sub potestate hominis esse possunt. Dici solent res vel bona. Quadruplex bonorum genus distingui potest:

vita propria hominis, sua fama et honor, fortuna, persona alterius (*servitus personalis*). Singula separatim considerabimus.

a) De vita.

63. Duo sunt hic inquirenda: an quis dominium propriae vitae et suorum membrorum habeat, et quodnam hac in causa competat dominium Reipublicae et Principi, habita relatione civium. Uberius haec causa et diligentius in peculiari scrutatur tractatu, ubi de homicidio et suicidio sermo habetur. Hic generalia tantum sunt statuenda principia, quibus justitia commutativa temperatur.

Homo dominium directum suae vitae et membrorum non habet, enimvero in ss. Litteris potestas necis et vitae tanquam proprium et speciale Dei attributum exhibetur: *Videte, quod ego sim solus et non sit alius Deus praeter me: ego occidam et ego vivere faciam... et non est, qui de manu mea possit eruere* (Deuter. XXXII, 39). Aut alio in loco Scripturae sacrae: *Tu es enim, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem... homo autem occidit quidem per malitiam* (Sap. XVI, 13—14). Nec est mirum, quod Deo, non homini competit verum et proprium dominium vitae humanae, non enim proprio labore et industria acquiritur cujusque vita. *Nescio*, alloquitur Machabaea mater filios suos, *qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi, sed mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem* (II Machab. VII, 22).—Dominium fructuum terrae et animalium accepisse a Deo homo legitur multoties in S. Scriptura, nullibi vero dominium propriae vitae. Vita igitur est tantum depositum, homini a Deo concreditum, quo uti secundum Dei mandatum ei licet, quo tamen nequit pro arbitrio disponere sine injuria Creatoris, cujus est servus, et sine damno societatis, cujus est membrum.

64. Quod jam veteres philosophi ratum habuerunt. Ita, Pythagoras genus humanum magno comparat exercitui bene ordinato, in quo Supremus Bellidux (*Deus*) cuique propriam destinat stationem, de qua hic nequit pro arbitrio decedere, donec a Supremo Rectore revocetur. Cujus sententiae ratione ita Cicero: *vetat Pythagoras injussu imperatoris i. e. Dei de praesidio et statione vitae decedere* [1]. — Insuper,

---

[1]) Cicero, *De Senectute*, cap. XX.

homo est subjectum dominii; vix ergo, aut ne vix quidemp otest idem simul et suum objectum esse.—Quod vero affirmamus de vita hominis, idem etiam pro rata parte de propriis membris est observandum; his enim particulatim ipsa vita hominis continetur.—Hinc nemini licet propria auctoritate seipsum directe occidere, nisi ex singulari fortasse superna inspiratione, ut accidisse creditur *Samsoni* (Judic. XVI, 30), *Eleazaro* (I Machab. VI, 46) [1], *S. Apolloniae*, quae, carnificem praecurrendo, sese in ignem praecipitavit.

Neque Reipublicae aut principibus est datum verum dominium in vitam et membra civium; nulla enim ratione tale dominium sibi asserere illi possunt. Si enim potestas civilis orta esse dicatur immediate ex consensu et optione civium, est res manifesta, non potuisse Reipublicae illud jus a civibus agnosci, quo ipsi carebant. Si autem origo potestatis civilis immediate ab ipso Deo est quaerenda, atque tunc illud dominium vitae et mortis nullibi Reipublicae a Deo esse concessum legitur, utpote cum ad bonum societatis non sit necessarium. Unde inter omnes constat, principes non posse pro suo arbitrio de vita subditorium decernere.

65. Aliter se res habet, quod ad usum vitae et membrorum pertinet, vel si placet, quod dominium utile spectat: quisque homo absque cujuslibet injuria iis ad suam necessitatem et adjumentum, in quantum id nulla lege est prohibitum, certe uti potest; nihil enim homini videtur esse magis suum, quam proprium corpus et quae cum eodem sunt connexa vinculo necessario. Donatus est homo vita et corpore, ut hisce in terris, qua viator, Creatori fideliter serviat, Ipsius gloriam annuntiet, suamque felicitatem assequendam curet. Quem finem obtinere nequit, nisi actibus liberis; sed libertas humana absque libero usu vitae et membrorum non subsisteret. Hic tamen usus homini est concessus, qua creaturae rationali; ideoque rationabiliter tantum adhiberi potest: licet quidem homini sese discrimini vitae exponere, attamen non absque summa necessitate; potest aeque membrum corporis sibi amputare, si id est necessarium ad totum corpus censervandum.

Ad bonum vitae referri possunt omnia essentialiter constitutiva hominis: *anima, dona supernaturalia divinitus collata, virtutes acquisitae et infusae* etc.; quorum etiam homo dominium utile habet, qui-

---

[1]) Cf. s. Ambrosium, *De Officiis*, lib. I, cap. 4, ubi laudatur magnum facinus Eleazari.

bus potest uti et non uti sine cujuslibet hominis injuria et quibus ab aliis sine vera laesione juris spoliari nequit [1]).

66. *Respublica et Princeps* neque etiam utile habent dominium vitae et membrorum, quae sunt civium propria, quemadmodum non habent dominium rerum, quae subditi sibi legitime acquisierunt. Cum tamen ipsis cura incumbat, bono publico efficaciter prospiciendi, ideo *gaudent hac in causa jure administrationis vel jurisdictionis*, quod cum exercent, possunt legitime etiam ea pro bono publico civibus praecipere, quae secum discrimen vitae afferunt, quemadmodum evenire solet militibus in bello, medicis et animarum curatoribus tempore publicae pestis. Jure pariter administrationis, securitatem publicam procurando, possunt principes poena mortis malefactores plectere.

b) De fama et honore.

67. *Fama, a fando* dicta, in genere *est illud judicium, quod de nostra persona et de operibus nostris homines inter ipsos palam pronuntiant.* Inchoative quidem fama nascitur judicio unius hominis, perficitur tamen et stabilitur aestimatione plurimorum. Fama esse potest bona et mala. Communi tamen usu, quem hic sequimur, est receptum famam sumere pro bona aestimatione (*sława*). Nomine boni hic subintelligitur quaelibet perfectio, qua homo laude dignus efficitur; cujusmodi est vel maxime virtus et sapientia; dein indoles bona, ingenium mentis, nobilitas, valetudo, divitae etc. *Honor est testimonium bonae aestimationis, quod alicui, qualibet ratione praesenti, exhibemus.*

Honor et fama homini in societate viventi generatim sunt necessaria, efficiunt enim, ut alii ei fidem praestent, commercia cum eo ineant, operam ejus vel societatem quaerant, ei officia et munera demandent.

68. *Card. Cajetanus* († 1534) affirmabat, hominem non habere suae famae dominium, cum haec sit bonum totius societatis humanae. Merito tamen alia est communis hominum persuasio et theologorum sententia, qui libenter agnoscunt, quemque jure sua uti, quando se libere humiliando detrimentum honoris patiatur, vel quando contra calumniatorem in judicio actionem instituat et restitutionem famae petat, vel quando injuriam sibi factam liberaliter condonet. Omnibus igitur id

---

[1]) Cf. Reuter, *Theologia Moralis,* lib. III, cap. 3, n. 28.

qua justum et aequum confitentibus, homo exercet plures actus, qua verus suae famae et honoris domínus. Quod non est pariter absque ratione: quisque enim bonam apud homines aestimationem acquirit proprio labore et studio, propriis meritis et virtutibus, quae res etiam pretio pecuniario aliqua ratione aestimari potest. Ita, qui artem aliquam exercet aut negotia industrialia gerit, quo utiliorem fortunae eventum obtineat, non parva solertia et sumptibus bonam sibi aestimationem opud homines curare solet; qua si semel defraudatur, magnum certe detrimentum etiam fortunae patitur. Nullum igitur esse potest dubium, quin homo habeat dominium vel jus strictum ad bonam famam, quam proprio marte apud homines sibi comparavit et quae veritati innititur.

69. Non diffitemur tamen rem esse sat arduam probare, *hominem ad bonam famam apud homines adhuc jus retinere, etiamsi deiceps propter vitium aut delictum aliquod occulte superveniens aliorum bona de eo aestimatio veritati non amplius innitatur atque prorsus falsa fiat.* Utique hoc in casu homini jus absolutum ad bonam aestimationem nullo pacto agnosci potest. Rationes, quae etiam tunc temporis prohibent, quominus proximus de fama detrahatur, non tam directe ex ipso jure hominis ad falsam famam petuntur, quam potius ex alio fundamento vel fonte, quo proximo jus ad famam in tantum agnoscitur, in quantum illae rationes subsistunt. Audiamus hac in causa card. de Lugo, qui praeclare et acute hanc difficultatem solvit: «Jus, quod quilibet homo habet ad suam famam, diversum est in ordine ad *veram* famam, et in ordine ad famam *falsam*, seu fundatam in bonitate non vera sed apparenti et existimata: nam in primo casu jus illud est *simpliciter* et *obligat universaliter*, vera enim probitas dat *jus intrinsecum*, ut talis homo judicetur et pronuntietur ab aliis, qualis revera est. At vero in secundo casu non est jus ita universale, sed magis *limitatum*: quatenus *propter inconvenientia, quae contra commune bonum et pacem et tranquilitatem sequerentur*, oportuit defectus ocultos non publicari, nisi in iis circumstantiis, in quibus ad eamdem pacem et bonum vítae humanae expedit eorum publicatio» [1]). Ex hisce verbis clarissimi theologi apparet, defectus occultos proximi publicari non oportere propter inconvenientia, quae contra commune bonum et pacem et tranquilitatem sequerentur; quae inconvenientia si aliquando desunt, amittitur jus ad famam.

---

[1]) Lugo, Disp. XIV, n. 97.

70. Quae inconvenientia ad haec in genere revocari possunt. Imprimis *publica pax et rectus ordo caritatis* in reo corrigendo servandus prohibet, quominus proximus propter occulta delicta illico a quolibet privato publice judicetur et corripiatur; Christus enim monet: *si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum* (Matth. XVIII, 15) Ipse proximus potest juste detractorem quaerere: *quis te constituit... judicem super nos* (Exod. II, 14). Ut quis proximi delicta judicare possit, non solum requiritur, ut causam proximi ejusque adjuncta omni ex parte cognoscat, sed etiam ut ad causam judicandam publica auctoritate esse idoneus declaretur; alioquin enim temeraria judicia aliique abusus juste timeri possunt, quibus publica securitas et pax in distrimen vocantur. Insuper *proximus*, qui hucusque bonam aestimationem apud homines habebat, *est in possessione suae bonae famae*. qua non potest fraudari, nisi publica auctoritate: quemadmodum aliquis proprietarius non potest privari jure ad bona fortunae, quae in solo facto possessionis fundantur, nisi interventu publicae auctoritatis alterius jus ad illa bona esse melius probentur; secus actum esset de securitate publica. Porro *bona fama proximi est necessaria bono publico et societati*, in qua proximus vitam agit; quandoquidem sine fama homo munere suo et officio utiliter fungi non potest, omnem auctoritatem amittit, instar membri mortui et inutilis efficitur, proxime conjunctos et aliunde innocentes quadam ignominia afficit. Tandem *bona fama*, qua quis licet immerito gaudet, est magnum *praesidium contra majora vitia* [1]), qui vero famam semel plene amisit, bibit quasi aquam iniquitatem (Job. XV, 16).

Etiam mortui, ut recte Marres animadvertit, *jus ad famam habent*, quia fama post mortem perseverat, atque ad illam etiam post mortem servandam homines multa in vita aut praeclare agunt, aut patienter ferunt. Mortui tamen, cum fama minus indigeant, cum ratione minus inviti esse praesumuntur, ut illorum vitia ad utilitatem viventium revelentur; sed jure merito prorsus inviti esse habendi sunt,

---

[1]) Recte scribit Cathrein: „Der gute Ruf ist eine mächtige Schutzwehr des sittlich guten Lebens. Wer gar nichts mehr an seinem Rufe zu verlieren hat, ist ohne sittlichen Halt; der Abgrund der Verworfenheit öffnet sich schrankenlos vor ihm. Die berufsmössigen Gauer und Dirnen sind die charakteristischen Gestalten dieser Art. Thatsächlich wird auch durch die Furcht vor Schande oder Verlust des guten Rufes unzähliches Böse verhindert und viel Gutes bewirkt“. - *Moralphilosophie*, t. II. lib. II, cap. III.

ut eorum vitia aut absque ulla ratione, aut ex mera malignitate pandantur [1]).

71. Quamquam tamen homo *dominium propriae famae et honoris* habet, nihilominus suum jus *ex parte est restrictum*. Qua de re ita Doctor Angelicus: *sui arbitrii est detrimentum suae famae pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum»* [2]). Reipsa *fama alicujus hominis aliquando est necessaria suis proximis,* quam ipse absque detrimento aliorum amittere nequit. Quod duplici ratione evenire potest: a) quando fama alicujus hominis stricto nexu cum fama alterius conjungitur; ita. ex infamia patris infamia suae familiae sequitur; infamia monachi totum coenobium de fama detrahitur. b) Quando alicujus fama est necessaria ad rite praestanda proximis officia, stricto jure ipsis debita; ita pastor animarum, praelatus, episcopus non possunt suis muneribus rite fungi sine bona fama. Hujus rei rationem habere videtur s. Augustinus, cum dicit: nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra [3]). Quo in duplici casu homo, si absque sufficiente ratione et scienter propriae famae nocet, perinde efficitur causa detrimenti alieni, ad quod reparandum, in quantum potest, stricte obligatur.

72. Quamquam, si id sine alieno detrimento fieri potest, cuique, ut vero domino, propria fama et honore uti licet, id tamen est ei concessum, *qua creaturae rationabili;* quapropter iisdem convenienter rationi uti debet. Nequit igitur absque sufficienter justa causa propriae famae detrimentum pati, eo minus ad hoc actu positivo conferre, quemadmodum non licet ei divitias in vanum dissipare; hoc enim esset contra caritatem sibi debitam. Contra, quisque suam famam et honorem ordinate curare tenetur, suadente id Spiritu s. per Eccl.: *curam habe de bono nomine*: *hoc enim magis permanebit tibi*, *quam mille thesauri pretiosi et magni* (XLI, 15). Homo ordinatam famae curam habere debet, quia ipsa est donum Dei, quia absque ea vim beneficam et auctoritatem in societate humana exercere nequit, quia homo, bona aestimatione privatus, a honesto removetur consortio et consilio hominum, qui cum paribus et similibus tantum congregari volunt, tandem quia ordinata cura famae et honoris ad magna honestaque facinora, ad praeclara gesta incendere solet [4]). Cura tamen honoris et famae ita

---

[1]) *De Justitia*, lib. II, n. 313.

[2]) 2. 2. q. 73 art. 4.

[3]) *De bono viduitatis*, cap. XXII, n. 27.

[4]) Ohne das «mild erwärmende Feuer», den Trieb nach Achtung und Ehre wären viele der herrlichsten Grossthaten der Welt nie zu stande gekommen. Cathrein, *l. c.*

ordinari debet, ut postremo ad suum fontem, qui est Deus, referatur. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Ps. CXIII, 1). *Soli Deo honor et gloria in secula seculorum* (I Tim. I, 17).

Seipsum tunc solummodo de fama licet detrahere, quando id altior suadet ratio; ex. gr. ad discretam humilitatem fovendam, aut Dei misericordiam profitendam. Talem rationem discrete secuti, S. Paulus in epistulis suis se minimum Apostolorum et Ecclesiae Dei persecutorem non semel appellabat, S. Augustinus libros confessionum conscripsit, S. Franciscus Seraphicus e publico suggestu suos defectus palam faciebat et s. p.

c) De bonis fortunae.

73. Hominem habere dominium bonorum, quae externa dici solent, satis constat ex principiis generalibus juris (p. 29 n. 28). Quod dominium laudibus effert Psaltes, cum dicit: *constituisti eum* (hominem) *super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus* (Ps. VIII, 7).

Ut tamen homo alicujus in specie rei habeat dominium, praeter legitimum titulum quaedam requiruntur condiciones tum jure naturae, tum lege positiva. *Jure naturae tres condiciones* esse prorsus necessariae a jurisperitis judicantur [1]: a) *ut res humano imperio obtemperare possit*; quapropter homines non dicuntur habere dominium corporum coelestium juxta illud: *coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum* (Ps. CXIII, 16). Homo rerum illarum *solum* habet *usum*, quo nequit sine injuria privari (*servitus luminum*). b) *Ut res alicui usui obvenire possit*, dominium enim ad utilitatem humanam et ad commodum hominibus est collatum. Vix tamen aut ne vix quidem indicari potest res, quae alicui usui inservire nunquam prorsus possit. Ita, a quibusdam araneae, muscae, mures dominii humani prorsus expertes, qua inutiles, esse judicantur. Sane ordinarie id est verum; haberi tamen possunt casus, quando et hae creaturae homini fiunt necessariae et, quod inde sequitur, dominio hominis aliquando subsunt. Ita, mures a Sinensibus manducari solent; sub Ludovico XIV Pellisson, amicus ministri Fouquet, carcere inclusus, ibi mansuetam habuit araneam, quae sibi unicum in solitudine consolamen erat. c) Requiritur,

---

[1]) Puffendorf, *De Jure naturae et gentium*, lib. IV cap. 5.

ne res sit usus inexhausti, vc. ne simul possit usui omnium inservire; enim vero non aliam ob rationem privatum rerum dominium, natura duce, inter homines est introductum, nisi ad praecavendas rixas et dicordias inter ipsos, cum homines simul iisdem bonis uti non poterant. Ubi vero hoc periculum est sublatum, deest etiam ratio privati dominii. Quapropter aër, ventus aliaque similia objectum privati dominii non constituunt. Seculo XVI cum magna animarum contentione inter jurisperitos batavos, anglos, germanos disceptabatur, *an mare sit capax dominii* [1]). Utique partes maris, terrae proximae, item sinus et freta, etiam mare saltem ex parte circumscriptum terra possunt a finitima gente occupari, ejusque imperío subesse: ne quid enim dicam de piscatu, rerum pretiosarum exploratione, salis excoctione, id exigere aliquando videtur securitas gentis maritimae, ne cuique ad sua littora proxime accedere liceat. *Oceanus tamen et maria nimis spatiosa*, juxta theologorum sententiam, objectum humani dominii non constituunt; quandoquidem non possunt custodiri et usum praestant inexhaustum.

Quaedam bona externa a dominio prívato *lege positiva* eximuntur. Ita, Jure Rossico hujusmodi sunt: viae publicae, majora flumina et lac spatiosum, arces, portus, publica monumenta, coemeteria etc.

74. Habita ratione acquirendi privatum dominium, **in diversis legum codicibus non eodem modo bona externa dividi solent.** In *Jure Romano* gravissimi momenti erat bonorum distinctio *in res corporales et res incorporales;* ad illas referebantur omnia objecta externa, quae tangi possunt: veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, denique aliae res innumerabiles. Incorporales autem dicebantur, quae tangi non possunt, qualia sunt ea, quae *in jure* consistunt: sicut haereditas, ususfructus, usus et oblígationes quoquo modo contractae [2]). Haec rerum divisio in recentioribus codicibus aut prorsus usu non venit, ut in Jure Rossico, aut ex parte tantum est retenta, ut in Codice Napoleonis. Longe gravioris momenti tum in *Jure Rossico, tum in Cod. Nap. est distinctio bonorum in mobilia et immobilia*: non enim eodem modo haec et illa bona juxta utrumque Codicem acquiruntur, venduntur, locantur et s. p. In Jure Rossico deest definitio bonorum mobilium et immobilium, res potius exemplis illustratur [3]). Bona immo-

---

1) Cf. Carrière, *De Justitia et Jure*, t. I cap. III n. 36.

2) Corpus Juris Civilis, *Institutionum* lib. II, tit. II.

3) *Гражд. Зак.* Недвижимыми имуществами признаются по закону земли и всякія угодія, дома, заводы, фабрики, лавки, всякія строенія и пустыя дво-

bilia subdistinguuntur in ea, quae propria industria sunt acquisita (*благопріобрѣтенныя*) et quae jure haereditario sunt obtenta (*родовыя*); bona autem mobilia in ea, quae possunt vel non possunt corrumpi (*тлѣнныя и нетлѣнныя*). In Cod. Napol. bona immobilia ea dicuntur, quae sunt talia vel sua natura, vel destinatione, vel ratione rei ad quam referuntur (n. 517), bona vero mobilia sunt vel sua natura talia, vel lege talia esse declarantur (n. 527). Quae sint in specie bona mobilia et immobilia, Codex exemplis illustrat (n. 517—536).

d) De servitute personali.

75. Nemo hominum habet verum dominium suae vitae; a fortiore dominium vitae alienae nemini agnosci potest. *Usus* tamen suae vitae est homini certe concessus in proprium commodum. *Utrum hic usus, qua servitus perpetua, etiam ad alterum deferri possit?* Sunt, qui, cum libertatem et aequalitatem hominum plus justo tueri velint, servitutem personalem juri naturae adversari dicant et Religionem Christianam criminis accusent, quod eandem non statim abrogaverit.

Servitus personalis a theologis *definiri* solet, qua *status subjectionis perpetuus, vi cujus aliquis omnes operas suas alteri pro alimentis tribuere tenetur*. A famulatu servitus eo distinguitur, quod ille, ut plurimum, ad tempus suscipitur, nec pro solis alimentis, sed simul pacto pretio conducitur. Servitus, qua subjectio, esse potest magis vel minus severa; apud Romanos servi, qua res considerabantur, neque quid sibi, sed soli domino acquirere poterant; dominus vitae et necis potestatem in eos habebat. Ex genuina tamen notione servitutis minime sequitur, domino talem incircumscriptam potestatem in servos suos competere. Imo ipsa alimenta jure naturae servis erant debita etiam tempore morbi, quando laborare non poterant; enim vero, si

---

ровыя мѣста, а также желѣзныя дороги (ст. 384). Движимыя имущества суть: мореходныя и рѣчныя суда всякаго рода, книги, рукописи, картины и вообще всѣ предметы, относящіеся къ наукамъ и искусствамъ, домовые уборы, экипажи, земледѣльческія орудія, всякаго рода инструменты и матеріалы, лошади, скотъ, хлѣбъ сжатый и молоченый, всякіе припасы, выработанные на заводахъ, наличныя руды, металлы, минералы и все то, что изъ земли извлечено (ст. 401). Наличные капиталы, заемныя письма, векселя, закладныя и обязательства всякаго рода принадлежатъ къ имуществамъ движимымъ (ст. 402).

obligationes ex parte servorum erant perpetuae, etiam ex parte domini eaedam suspendi non poterant.

76. **Servitus non est per se illicita.** Jam antiquitus justo Abrahamo fuisse dicuntur *vernaculi*, quorum *318 contra hostes suos duxerat* (Gen. XIV, 14). Porro idem Abraham circumcidisse dicitur *omnes vernaculos domus suae, universosque, quos emerat* (Gen. XVII, 23). Moyses aeque servitutem, jam tunc temporis existentem, agnoscit, simulque vetat, *ne quis concupiscat proximi sui servum aut ancillam* (Exod. XX, 27); vult quidem, ut *servi de exteris et advenis sumantur* (Levit. XXV, 44), simulque tamen praevidet casum, quo *frater, paupertate oppressus, seipsum vendiderit.* In Evangelio pariter nihil habetur, ex quo sequatur, servitutem esse prorsus illicitam et juri naturae repugnare. S. Petrus vult, ut *servi subditi sint in omni timore dominis etiam dyscolis* (I Petr. I. 18). S. Paulus quidem in epistula ad Philemonem hunc obsecrat pro Onesimo servo, minime tamen eum redarguit, quod hoc servo utebatur. Idem Doctor gentium in epistula ad Ephesios praecipit quidem *dominis, ut servos cum omni mansuetudine suscipiant, scientes, quod illorum et ipsorum est Dominus in coelis,* simulque tamen servos admonet, ut *oboediant dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis sicut Christo* (VI. 5—9). Ecclesia christiana primis seculis, licet, exemplum S. Pauli secuta, vel maxime dominis mansuetudinem erga servos qua fratres commendabat, hosque, quando poterat, libertati restituendos curabat, nihil tamen unquam de jure dominorum derogabat, nec servitutem esse in se prorsus illicitam arbitrabatur, quod satis constat ex Ecclesiae sanctionibus de servis non ordinandis, de conjugio servorum etc.

77. **Nec juri naturae servitus repugnat.** Nascitur quidem homo natura liber; cum tamen sit suarum actionum dominus, nihil repugnat, quominus easdem in utilitatem alterius tum ad tempus, tum etiam in perpetuum alienet. Quod si ipse ad hoc valet, etiam ab aliis ex justo titulo ad id cogi potest. Hinc S. Thomas: *servitus, pertinens ad jus gentium, est naturalis* [1]).

Justi servitutis tituli quatuor a card. de Lugo indicantur [2]): pactum, bellum, delictum, nativitas. Imprimis servitus oriri potuit *ex mutuo pacto;* nullatenus enim juri naturae et rationi repugnat, quominus quis vel ad propriam indigentiam et inopiam sublevandam, vel alia causa conci-

---

1) 2. 2. q. 57 art. 3; 1. 2. q. 94 art. 5.

2) Lugo, Disp. VI n. 11—19.

tatus, suae libertati voluntarie prorsus renuntiet. Molina [1]) et Lessius [2]) exemplum beati Paulini episcopi afferunt, qui ex eximia caritate Dei et proximi se ipsum in servitutem dedit, ut cujusdam viduae filium a servitute redimeret. Porro, servi *jure belli justi* obtineri poterant. Si enim ad securitatem gentis suae licet victori in bello justo hostem captivum occidere, ut docent Lugo, Lessius, Molina aliique, a fortiore licet eundem qua servum sibi retinere: bonum enim vitae est majus bono libertatis. Bossuet [3]) non sine ratione arbitratur, bellum fuisse potissimam servitutis originem; exinde et servi a servando sunt appellati, quia in bello non occidebantur, sed servari solebant. Tertius servitutis titulus esse potest delictum et *justa condemnatio*; profecto enim, si reus gravissimi delicti ad maximam poenam, quae est mors, potest condemnari, eadem ratione potest certe in servitutem redigi. Ita, in conc. Lateranensi Alexander III constituit, ut christiani, naves saracenorum—piratarum gubernantes, servi fierent capientium. Tandem apud Romanos aliasque gentes servitus oriri potuit *ipsa nativitate;* Jure enim Romano servi sunt, qui ex serva matre nascuntur, nam partus sequitur ventrem. Hic tamen titulus, qua justus difficulter agnosci potest. Utique, si servitus parentum ex delicto est orta, tunc saltem aliqua ratione intelligitur, quomodo etiam in filios extendi possit; plures enim poenas, ut infamiam, privationem bonorum, filii ob culpam parentum ipso facto sortiri solent. In aliis casibus sanctio legis civilis, ad quam Lugo hac in causa provocat, non videtur difficultatem solvere; nam ipsa lex, ut in conscientia valeat, esse debet justa. Felicior fortasse est illa, qua Lugo utitur, comparatio, vi cujus infans sequitur sortem matris, quemadmodum fructus naturam arboris. Sed comparatio nondum est ratio. Quidquid tamen de hoc postremo titulo arbitretur, certe servitus, si legitima via subeatur, est licita nec juri naturae repugnat.

78. Non ideo tamen negamus, contra, libenter agnoscimus, **Religiosem Christianam** per sua divina principia, amore proximi informata, lenta sed **jugi vi et auctoritate multum ad abrogandam paulatim servitutem contulisse**; quod satis apparet ex ipsa historia: Athenis in censu Demetrii Phaleraei 400 milia servorum sunt recensita. Romae, teste Seneca, tam ingens erat servorum multitudo,

---

[1]) **Molina**, t. I, Disp. 33 n. 12.

[2]) **Lessius**, lib. II cap. 5 n. 15.

[3]) Cf. **Carrière**. De Justitia et Jure, lib I cap. 3 n 45.

ut esset periculum eos numerare. ne suam copiam et turbam cognoscerent. Simul tamen ac Religio Christiana est incoepta divulgari, servitus pedetentim cessat. Ante Christum natum nulla religio, nullus legislator aut philosophus quidquam de servitute abroganda ausus est dicere [1]. .Primum Religio Christiana docere coepit, coram Deo *non esse servum nec liberum, sed omnes unum esse in Christo Jesu* (Coloss. III, 11), *omnes in unum corpus baptizatos esse sive servos, sive liberos* (I Cor. XII, 13). Hac divina doctrina primo est effectum, ut, qui religionem christianam susciperent, servos suos humanissime tractarent; porro, incitamento caritatis erga proximum commoti, servos suos libertate benigne donabant. Ipsae illae gentes barbarae, quae V et VI seculis in Imperium Romanum invaserunt, suscepta religione christiana, quos servos secum adduxerunt vel in bello ceperunt, eosdem in libertatem restituerunt. In causa igitur servorum, si verba pro Ecclesia Christi tacuissent, ipsa facta loquerentur. Religio Christiana non subito servitutem abrogavit, nam christianismus, ut ait de Maistre [2], cum operetur divinitus, operatur lente et ordinate. Manumissio servorum etiam eam ob causam primitus Religione Christiana exigi non poterat, cum absque ordinis socialis perturbatione id evenire non posset: servi, antequam libertate donarentur, prius doctrina christiana et honestis moribus sufficienter imbui debuerant, ne, maturius liberi facti, tanto beneficio in damnum socialis ordinis abuterentur; unde non minora mala societati imminerent, quam si inferna suos vinctos emisissent [3]. Insuper, si Christianismus sine discrimine omnes servos libertate donasset, hoc emolumentum fieret sola causa movens ad religionem christianam absque fide sincera ab eis amplectendam.

79. Paulatim tamen sub jugi etsi lenta vi divinae doctrinae servitus apud gentes christianas est abrogata, donec Europae incolae, reperta America, ad terras ibi colendas, iterum ministerio servorum uti coeperunt, quos maximam partem ex **nigris gentibus Africae** conquirebant. De hac renata servitute, quod ad Lusitanos pertinet, multum erudite Molina [4] disseruit; non omne quidem servorum com-

---

[1] De Maistre, *du Pape,* lib. III c. 2, p. 28: Enfin la loi divine parut sur la terre. La religion commença à travailler sans relâche à l'abolition de l'esclavage, chose, qu'aucune autre religion, aucun législateur, aucun philosophe n'avait jamais osé entreprendre, ni même rêver.

[2] *loc. cit.*

[3] Cf. Carrière. *De Justitia et Jure* lib. I cap. 3 n. 52.

[4] Molina. *De Justitia et Jure,* Disp. 34—36; t. I.

mercium prorsus condemnavit, licitam tamen solummodo eorum emptionem esse judicavit, qui in sua patria juste libertate essent privati.

Emptio hominum nigrorum, quod primo obtutu absonum esse videtur, *suo tempore et in quibusdam circumstantiis non solum licita, sed ipsis servis erat opportuna;* quandoquidem more illarum regionum, ubi servi nigri venebant, pater in filios, princeps in subditos, victor in victos absolutum vitae dominium habebant, et nullum celebrabatur festum, quin plures homines diis immolarentur vel epularum usui essent. Attamen spe lucri e venditione percipiendi ab hisce caedibus saepenumero abstinebatur; minus autem est malum vendere hominem, quam eum necare. Insuper servi nigri, in Americam transvecti, ibi sub patrocinio legum non semel feliciorem agebant vitam, quam in sua patria; duros quidem subire solebant labores, sed eorum indoli ad voluptatem pronae id erat opportunum [1]).

80. Temporum tamen decursu **servitus Nigritarum propter innumeros foedos abusus prorsus importuna nec ulterius toleranda evenit**: *quaestus enim causa sexcenti afri etiam liberi per vim e rusticis pagis abripiebantur vel dispersi tanquam ferae in silvis Africae capiebantur, catenis vincti ac caesi verberibus, fere absque vestitu et necassario victu, nullo aetatis ac sexus discrimine, longo itinere trahebantur ad fora, ubi pecudum instar promercalium exhibebantur ac venebant* [2]), ut tandem in Americam transvecti ad plantationem agrorum inhumanissime abuterentur. Quapropter Romani Pontifices iniquum afrorum commercium identidem acriter insectabantur, ut Paulus III. Urbanus VIII, Benedictus XIV, Pius VII. Gregorius XVI sua constitutione, quae exorditur verbis: «*In supremo Apostolatus fastigio*», afrorum commercium declaravit inhumanum et christiano nomine prorsus indignum, simulque severe prohibuit, quominus quis illud veluti licitum publice vel privatim tueri praesumeret. Tandem Leo XIII *cardinali Lavigerie curam demandavit obeundi praecipuas Europae civitates, ut mercatus hujus turpissimi ignominiam ostenderet et principum civiumque animos ad opem ferendam aerumnosae genti inclinaret* [3]).

Jam principes foederati anno 1815 commune consilium inierunt,

---

[1]) Uberius hac de causa Lg. **De Bonald**, *Le spectateur français au XIX siècle*, t. I, p. 259 et seq.

[2]) Ita **Leo XIII** in Epistola Encycl. «*Catholicae Ecclesiae*».

[3]) In Epistula Encycl. cardinali Lavigerie (1890) data «*Catholicae Ecclesiae*»

omnia adhibendi media ad commercium afrorum tam odiosum et inhumanum prorsus abrogandum. Porro, anno 1831 ad illud commercium efficacius reprimendum est inita inter Galliam et Britanniam mutua conventio, cui plures aliae civitates licet non omnes accesserunt; nihilominus tamen usque modo illud dedecus nostrae aetatis nondum radicitus est sublatum.

Dominii Subjectum.

81. Omnis et sola creatura rationalis esse potest subjectum dominii capax; dominium enim est facultas decernendi de re aliqua tanquam sua; atqui hujusmodi facultas et capacitas intellectum et liberam voluntatem praesupponit. Quam ob causam *Deus*, quia natura intellectuali supremum obtinet locum, perfectissímum etiam habet omnium rerum dominium. De *Angelis* testatur card. Lugo [1], eos pariter aliquorum bonorum spiritualium certe habere dominium, sunt enim domini propriae famae, honoris, et sine injuria hisce bonis fraudari nequeunt. Disceptationem tamen, quam quidam theologi sat subtiliter rimantur, an Angeli etiam bonorum temporalium habere possint dominium, cum vitae usui id parum obveniat, missam facimus. — *Infideles, haeretici, peccatores* profecto sunt dominii capaces; id quidem Wicleffus et Ioannes Huss saltem ex parte abnuebant, non tamen recte: fundamentum enim dominii non status gratiae vel fides constituunt, sed facultas cognoscendi rerum utilitatem et voluntas easdem sibi acquirendi. Ceteroqui, si opus esset statu gratiae vel fide ad dominium acquirendum, ipsa dominia incerta fieret. Respublica quidem potest propter bonum commune aliquem ob crimen patratum privare dominio rerum (*лишить правъ состоянія*); id tamen lege positiva, non ipsa natura efficitur. Major esse videtur difficultas, utrum *parvuli* et potissimum *amentes* sint capaces veri dominii; cum enim usum rationis non habeant nec rationabiliter de rebus decernere possint, non videntur esse capaces ad res suas habendas. Nihilominus neque ipsis natura vel saltem jure gentium dominium denegatur. Habent enim naturam humanam, ex se capacem dominii, et cum diversas homini proprias experiantur necessitates, quibus absque rerum possessione satisfacere nequeunt, ideo dominium ipsis agnosci debet. De parvulis id expresse

---

[1]) Disp, III n. 4—8.

testatur S. Paulus, cum dicit: *quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit* **dominus** *omnium* (Gal. IV, 1). Molina hac in causa ita ratiocinatur: sine dubio dominos eos (*parvuli et amentes*) esse rerum, quae ad ipsos spectant. Dominium namque in potentiis fundatur, hoc est, in eo, quod secundum se et suam naturam natus quis sit uti rebus per liberum arbitrium, licet arbitrium ipsum quoad usum sit impeditum; alioquin eo ipso, quod quis dormiret, amitteret dominium suarum rerum, quod est ridiculum [1]). Porro *nondum nati*, sed tantum concepti, sunt pariter dominii capaces, quod cum Cod. Napoleonis, tum Jure Rossico expresse est declaratum [2]). Imo, per quandam juris fictionem *homo, nullo pacto existens*, fieri potest subjectum dominii. Ita, ex. gr. frater moriendo potest sua bona testamento legare sororis filio, qui ordine tertius nascetur. Tandem non solum singuli homines, sed etiam singulae *associationes et communitates* tum ecclesiasticae, tum civiles sunt capaces proprii dominii, quae juris fictione ut juridicae vel morales personae habentur [3]).

82. **Homo dominii incapax sola lege positiva declarari potest**; hujusmodi sunt Jure Canonico singuli *religiosi solemniter professi* et Jure Status *civiliter mortui*. Ceteroquin etiam tunc homo quidem privatur vero dominio, non autem usu rerum, quae sibi sunt necessariae. In Rossia mors civilis absoluta non plene agnoscitur. Codex Napoleonis, qui eam ratam habet, pro Regno Poloniae hac in causa est mitigatus [4]). Jure quidem Rossico condemnatus ad metalla (*каторжныя работы*) privatur omnibus bonis, quae habebat (*лишается всѣхъ правъ состоянія*), non videtur tamen ei prorsus adimi omnis facultas quidquam acquirendi in posterum [5]). Licet tamen nemo Jure Rossico et Codice Polonico absolute dominio privatur, sunt tamen plures, quorum ipsa potestas de bonis propriis decernendi plus minus coercetur. Ita, juxta utramque legislationem *perpetuo amentes*, publica auctoritate qua tales declarati, perpetuae subsunt tutelae, quam, propinqui vel etiam

---

1) Molina, t. I tr. 1 Disp. 18.

2) *Гражд. Зак. ст. 1106*: отъ права наслѣдованія не устраняются дѣти, хотя бы оныя не были еще рождены, но токмо зачаты при жизни отца. Conceptio supponitur intra 306 et 180 diem ante nativitatem, *vd. cm. 125, 131, 132*.

3) Гражд. Зак. ст. 698.

4) Per decretum 29 (17) Junii 1841 an. Cod. Polon. art 21—25. Cf. Przegląd Sądowy 1868 r. t. I str. 241.

5) Cf. Побѣдоносцевъ, *Курсъ Гражд. Права*, кн. III, § 6, ст. 34; Мейеръ, *Русское Гражданское Право*, изд. 7, гл. II, § 13.

exteri sub auspiciis regiminis in se suscipere solent; bona amentium, dum vivunt, nec vendi, nec debitis onerari, neque aliqua ratione alienari possunt. Pari modo *surdo-muti* et simpliciter *muti* Jure Rossico usque ad 21 annum aetatis subsunt tutelae. Posterius, maturae aetatis facti, si ad mentem suam sufficiente ratione declarandam et ad communicandam aliis valent, plenum dominium suorum bonorum obtinent [1]). Codice Napoleonis surdo-muti subsunt perpetuae tutelae, nisi artem scribendi calleant (art. 936). Porro, quarundum personarum dominium legislatione positiva magis implicate coercetur, quapropter in id per partes inquiremus.

a) Dominium Filiorumfamilias.

83. *Filiifamilias* hic intelliguntur, qui *ex legitimo matrimonio suscepti,* cujuscunque sint sexus, *paternae adhuc subsunt potestati.* Ab hisce distinguuntur: a) filii *emancipati*, qui etiam quaedam officia jure naturae suis parentibus praestare debent, ut officia honoris, amoris, reverentiae, officium in casu necessitatis praestandi victum et tectum, qui tamen suorum bonorum plenum habent dominium et sunt sui juris; b) filii *illegitimi* vel *extra matrimonium nati* [2]), qui nisi jam aetate magis tempestiva ad sibi providendum valeant, subsunt auctoritati et curis suae matris (etiam patris, si ab eo agnoscantur), usque dum maturitatem assequantur, qui tamen bonorum, quae propria acquirunt, aeque plenum habent dominium (*Cod. Pol. art. 485—488*); c) filii *adoptivi*, qui subduntur quidem aliqua ratione novae auctoritati quasi

---

[1]) *Гражд. Зак. ст. 381:* глухонѣмые и нѣмые состоятъ подъ опекою до двадцати лѣтъ съ годомъ отъ роду. По достиженіи полнаго совершеннолѣтія производится имъ законное освидѣтельствованіе. Когда окажется, что свидѣтельствуемый можетъ свободно изъяснять свои мысли и изъявлять свою волю, то предоставляется ему право управлять и распоряжаться своимъ имуществомъ наравнѣ съ прочими совершеннолѣтними.

[2]) Lege pro Imperio Rossico nuper promulgata (*3 іюня 1902 г.*) condicio liberorum illegitimornm in multis est melior facta: liberi tum a puella non nupta, tum a vidua nati, tum etiam adulterini jam non illegitimi, sed simpliciter *extra matrimonium nati (внѣбрачныя дѣти)* sunt dicendi (ст. 132). Cognomen accipere possunt matris, si ipsa in id consentit. Haereditate obtinent partem ex bonis matris, proprio labore acquisitis (ст. 132[12]). Pater simul cum matre ipsis prospicere debent secundum suam condicionem (ст. 132[4]). Legitimantur liberi extra matrimonium nati par subsequens matrimonium ipso facto (ст. 144[1]).

paternae, in propria tamen bona, ut plurimum, etiam jus plenum habent, si sunt maturae aetatis [1]).

Proprii filiifamilias ex diversis codicibus non eadem ubique habent jura in sua bona. In hoc tamen convenire videntur omnes fere codices civiles, quod nullum filiisfamilias agnoscunt jus rigorosum in bona parentum, qui adhuc vivunt: filiifamilias, parentibus adhuc vivis, ad sola alimenta et tectum habent jus rigorosum, usque dum sibi sufficienter prospicere possint.

84. **Jus Romanum** saltem temporibus posterioribus potestatem filiorumfamilias in propria bona sat diligenter et accurate definit, magnopere est accomodatum juri naturae, recentioribusque codicibus exemplo fuit et norma. Antiquitus tamen Jus Romanum, quod ad filiosfamilias pertinet, erat admodum durum; hi enim in familia, patre adhuc vivo, non personae, potius res habebantur, et quidquid acquirebant, non sibi, sed patri obtinebant. Temporum decursu hoc severum jus erga filios est temperatum per *peculium*, quod dicebatur; vi cujus filio uti vero proprietario pars bonorum, quae acquirebat, reservabatur. Quadruplex peculium sub romanis imperatoribus pedetentim est admissum. a) Bona *castrensia* filius occasione militiae obtinebat, v. gr. stipendium menstruum, praedam ab hostibus captam, donum filio militatum abienti a patre datum etc. Hoc peculium castrense ideo in gratiam filiorum est concessum, ut juvenes ad militiam allicerentur. b) Bona *quasi-castrensia* acquirebantur, ut dicebatur, militando in curia vel palatio vc. occasione militiae togatae, sacrae, litterariae, fungendo munere judicis, medici, ludimagistri et s. p. c) Bona *profectitia* dicebantur, quae filius a patre, vel intuitu patris ab aliis accipiebat, vel quae e rebus patris, ejus nomine negotiando, lucrabatur. d) Bona *adventitia* filius consequebatur vel a matre ejusque consanguineis, vel intuitu matris ab aliis, propria industria, prospera fortuna (*inventione thesauri*) etc. Bonorum *castrensium et quasi-castrensium* filiifamilias *plenum* habebant *dominium* vc. tum jus proprietatis, tum usumfructum; poterant de iis pro suo arbitrio decernere tum per contractus, tum

---

[1]) Cod. Polonico soli maturi adoptari possunt; Jure autem Rossico etiam ante 14 annum aetatis dummodo tamen ipse adoptans sit 30 annorum, nullos alios habeat liberos, a legitimo matrimonio non sit impeditus (по сану своему не обреченъ на безбрачiе); discrimen aetatis inter adoptanteum et adoptatum sint 18 anni. Proprios autem liberos extra matrimonium susceptos quisque jam maturus adoptare potest, dummodo ne legitimi et uxor contradicant.

per testamenta, neque ullus patris consensus unquam requirebatur. Si tamen filiusfamilias nondum erat pubes (*puer ante 14 annum completum*, *puella ante 12 an.*), opus erat auctoritate judicis ad sua bona valide alienanda, vel ad alios contractus ineundos. Bonorum *profectitiorum* filiifamilias non habebant nisi *solam administrationem et usum*; proprietas vero et ususfructus erant patris. Si tamen bona patris publico aerario addicebantur, hoc peculium filio non auferebatur. Aeque filius jus plenum in bona profectitia obtinebat, quando pater, eum emancipando, hoc peculium sibi expresse non excipiebat. Tandem bonorum *adventitiorum* filius habebat *proprietatem*, pater vero administrationem et usumfructum, nisi peculiaris condicio, a doni largitore hisce bonis apposita, ipsum usumfructum filio expresse addicebat; quo in casu hoc peculium extraordinarium appellabatur. Si pater filium sponte emancipabat, dimidiam partem bonorum adventitiorum in remunerationem gratiae, quamdiu vivebat, sibi retinere poterat [1]).

85. **Codex Napoleonis**, si in causa filiorumfamilias cum Jure Romano comparetur, est sat clemens et liberalis; in quo elucet ratio atque inclinatio temporis (*duch czasu*), quo est confectus: auctores Codicis, post Perturbationem Gallicam nimis libertatis tenaces, in id vel maxime intendebant, ut juvenes suae causae conciliarent; potestatem autem paternam manifesto imminuerunt. Filiifamilias solummodo usque ad maturam aetatem (*21 annum completum*) paternae subsunt potestati; imo etiam antea a potestate paterna liberari possunt per emancipationem, quae ipso jure contingit per matrimonium, vel concedi potest gratia parentum post 15 annum aetatis completum, vel, hisce defunctis, a consilio familiae post 18 annum aetatis. Filiifamilias maturi vel emancipati plene sui juris fiunt et de bonis, quae sibi acquisierunt, pro arbitrio decernere possunt.

Filiorum, qui imperio parentum adhuc obtemperant, bona distinguuntur: a) acquisita filii industria separata, vel ipsi soli data; b) obtenta quocunque alio modo, v. gr. negotiatione nomine patris, haereditate, dono intuitu personae patris etc. Omnia bona filiorum, qui paternae adhuc subsunt potestati, administrare debet pater vel, post ejus mortem, mater; a quo officio parentes se eximere nequeunt, nisi auctoritate publica ad id inhabiles declarentur. *Bonorum, quae filii propria industria* obtinueruut, vel quae ipsis solis sunt ab aliis data, parentes solam administrationen exercent; proprietas vero et usus fru-

---

[1]) In Livonia valet fere plene Jus Romanum Cf. Остз. Гр. Зак. с. 197—240.

ctus ad filios pertinent. *Bona vero alterius generis* pater, vel post ejus mortem mater non solum administrant, sed etiam eorundem usumfructum habent, simulque tamen ex hisce proventibus obligantur tum ad filios pro sua condicione alendos et educandos, tum ad alia onera usufructuariis propria subeunda [1]. *Quando filiusfamilias fit sui juris* vel per emancipationem, vel per maturitatem, parentes non aliter, ac si essent externi, obligantur ad reddendam ei rationem suae administrationis [2].

Hic apte adferri potest causa, in quam inquirit card. Lugo [3], vc. «*an sicut pater, videns et tacens, censetur remittere usumfructum filio, sic etiam filius, ad quem jam pertinet de jure ususfructus, videns patrem etiam deiceps usumfructum percipere, et tacens, censeatur remittere (condonare) usumfructum, atque adeo, patre defuncto, non possit ab haeredibus illum petere?*» Lugo magis se acclinat ad sententiam negativam, quae tacitum filii consensum non sufficere dicit; attamen ipse subjungit: «possunt aliquando tales circumstantiae inveniri, in quibus ex filii patientia non minus arguatur ejus consensus, quam ex patientia patris... totum ergo hoc ex circumstantiis pendet». Certe, tacenti et volenti non fit injuria. Verumtamen tacitus filii consensus non tam facile hic praesumitur, cum filio bene educato ob reverentiam patris est res ardua instar filii prodigi aperte dicere: *pater, da mihi portionem substantiae, quae me contingit* (Luc. XV, 12), aut, quod pejus est, patrem suum in jus vocare, vi art. 341 Cod. Pol. Pater tamen, usumfructum filii suum faciens, alia ratione fortasse saltem aliquando excusari potest, vc. qua pater, qui ex bonis filii expensas victus et educationis sibi subducere potest. Quid in aliquo singulari casu sit tenendum, ex circumstantiis pendet.

86. **Jure Rossico** filiifamilias distinguuntur: a) pupilli (*малолѣтнія*) ad annum 17 completum b) impubes (*несовершеннолѣтнія дѣти*) ad 21 annum; c) maturi post 21 an. completum; d) tandem dotati (*отдѣленныя*), qui ex bonis paternis partem suam jam obtinuerunt; secus dicuntur indotati (*невыдѣленныя*).

Omnia bona filiorum, propria industria aut quocunque alio modo acquisita, sunt sua; pater, aut eo mortuo mater, si ipsa velit, habent eorundem solam administrationem jure tutelae, tempore quo filius est adhuc *pupillus* (*cm. 226 et 229*); pro qua administrationis cura

[1] Cod. Pol. art. 343.
[2] Cod. Pol. art. 341.
[3] Lugo, Disp. V, n. 29.

ex annuis reditibus 5% obtinent (*cm. 284*), non aliter ac etiam externi, si mortuis parentibus, qua tutores instituuntur. *Post 17 annum aetatis* completum filii remanent quidem usque ad maturitatem sub tutela patris vel alius tutoris, propria tamen bona ipsi administrare possunt (*cm. 220*) et nonnisi ad quid notabile v. gr. ad bona immobilia vendenda, aut ad scriptos contractus ineundos non valere censentur absque consensu sui tutoris per litteras dato.—*Filia, simul ac nupsit*, ab omni tutela parentum eximitur.—Filiusfamilias, dum sub tutela aut parentum, aut alius tutoris manet, absque eorum consensu nequit se pretio conducere (*cm. 2202*). Filii *nondum dotati* licet maturi de bonis parentum nec contractus cum externis inire, nec quidquam ex illis vendere aut locare possunt absque permissione parentum scripto data; alioquin omnes eorum contractus, vivis adhuc parentibus, nulli habentur; post mortem tamen parentum ad illos contractus servandos, si jam maturi eosdem inierunt, certe obligantur.—*Filii dotati* partem sibi a parentibus obtentam cum pleno dominio administrant, absque ulla ulteriore parentum permissione; imo ipsos parentes in jus vocare possunt, si partem semel sibi datam recuperare velint (*cm. 193, 195.*).

In *districtu Czernihoviae et Poltaviae* filiifamilias aeque usque ad aetatem maturam tutelae parentum vel externi tutoris subsunt. Pro administratione bonorum externus tutor accipit 10% ex puris annuis reditibus, solutis omnibus expensis (*чистаго дохода cm. 285*); si vero tutoris munere pater aut mater funguntur, omnes fructus rei administrandae suos faciunt et ad solam substantiam filiis maturis salvam reddendam obligantur (*cm. 295*).

87. Quamquam filiifamilias maturi facti aut etiam ante maturitatem legitime emancipati juxta recentiores codices civiles fiunt pleni juris et bona, quae propria et separata industria obtinuerunt, pro suo arbitrio absque parentum consensu administrare, alienare, generatim disponere possunt, nihilominus tum jure naturae, tum etiam lege positiva *non omnia eorum officia erga perentes suspenduntur*. Imprimis, filius, cujuscunque sit aetatis, parentes suos *honore et reverentia* prosequi debet [1]). Porro, *ratione pietatis* et decentiae expedit, ut in gravioribus

---

[1]) *Cod. Nap. art. 371; Cod. Pol. art. 336; Гражд Зак. cm. 177*: Дѣти должны оказывагь родителямъ чистосердечное почтенiе, послушанiе, покорность и любовь; служить имъ на самомъ дѣлѣ, отзываться объ нихъ съ почтенiемъ и сносить родительскiя увѣщеванiя и исправленiя терпѣливо и безъ ропота. Почтенiе дѣтей къ памяти родителей должно продолжаться и по кончинѣ родителей.

causis, etiam quae propria bona administranda spectat, consilium parentum exquirant, nisi hi minus exculti et minus in his rebus periti apparent. Deinceps, filiifamilias jure naturae, imo lege positiva parentibus *praebere debent victum et tectum, quando ratione provectae aetatis aut morbi ipsi ad sibi providendum amplius non valent* [1]. Insuper, cum parentes in pueris educandis non parvas sollicitudines et sumptus subire soleant, ideo in mutuis parentum et liberorum obligationibus justitiae, si quod dubium oritur, arbitramur jura parentum in filiorum bona latius in genere esse interpretanda. Quid vero in singulari aliquo casu solvendo sit sentiendum, ex circumstantiis dijudicari potest. Tandem, ut jam finem huic causae imponamus, opportunum esse judicamus duas difficultates solvere.

88. *Quaes. I.* **Quale dominium habeant filiifamilias in bona, sibi a parentibus data?** Bona hic animo comprehendimus minuta, mobilia, quae frequentiori usui obveniunt; nam de bonis immobilibus, vel etiam mobilibus gravioris momenti valent principia generalia juris, quae in singulis codicibus civilibus sunt statuta. In bona mobilia minuta, a parentibus *absque ulla apposita condicione* sibi oblata, filiifamilias jus plenum habent eademque pro arbitrio disponere possunt; contra, bonorum, quae sibi ad *certum usum sunt* donata, solum usum habent. Utrum igitur filii, rem aliquam sine consensu parentum alienando, contra justitiam, an vero contra solam oboedientiam peccent, pendet quam maxime ex illa intentione, quam parentes habebant, donum elargiendo. Intentio in actu non declarata perspicitur ex circumstantiis et potissimum ex ipsa natura rerum, quae donantur: si res sit primo usu consumptibilis, nisi contrarium apparet, absolute concessa merito censetur; contra, libri, vestes aliaque hujusmodi ad solum usum data praesumuntur, quae proinde vendi, permutari, donari aliis absque injustitia, insciis vel contradicentibus parentibus, nequeunt. *Pecunia*, quamquam est res primo usu consumptibilis, non facile tamen filiis absolute esse concessa censetur, nisi moraliter constet, eam esse datam honestis recreationibus impendenda. Sotus, Laymann, Navarrus arbitrantur, filium, si centum aurei studiorum causa sibi mittantur, posse quinque ex iis in honestas recreationes consumere. Generatim parentes, ait Marres, filiis, qui extra

---

[1]) *Cod. Nap. art. 205; Cod. Pol. art. 238; Гражд. Зак. ст. 194*: Quantitas subsidii, si parentibus videtur non sufficere, juxta Jus Rossicum auctoritate judicis definitur. *Разъясненіе Прав. Сен. 1873 года № 1446.*

domum paternam degunt, ut studiis vacent, commercium aut industriam vel addiscant vel exerceant, jure merito ea indulgere praesumendi sunt, quae juvenibus ejusdem condicionis vulgo tribuuntur [1]) Tandem in res, pecunia sibi ad arbitrium a parentibus data emptas. filiifamilias sane jus plenum acquirunt, etiamsi hae res primo usu consumptibiles non sint.

89. *Quaes II.* **An filius habeat aliquod dominium illorum bonorum, quae in domo paterna aut etiam extra eam nomine patris prae reliquis filiis lucratur, vel saltem an habeat aliquod jus ad salarium?** Hac de causa olim magna cum contentione animorum inter theologos disputabatur. Pro jure filii ad aliquod stipendium plus minus stant Lessius [2]), de Lugo [3]), Collet, D. Bouvier aliique. Ipsi tum provocant ad illud in Jure Romano receptum axioma: *pietatem liberi parentibus non operas debent*; tum affirmant, filium non esse pejoris condicionis extraneo, qui jus ad aliquam mercedem certe habeat. Contrariam sententiam defendunt Molina [4]), Laymann [5]), Antoine [6]) aliique; quorum argumenta ad haec revocari possunt: filius, dum paternae subest potestati, ad oboedientiam parentibus exhibendam absque ullo stipendio obligatur; hinc etiam ei a patre injungi potest, ut gratis bona familiae administret. Porro, pater certe potest sibi deducere sumptus, quos in alendo et educando filio erogaverat; vix autem quis pater non plus pro filio egit, quam rigore juris tenebatur. Tandem pax familiarum vel maxime expostulat, ne filiorum cupiditati nimis indulgeatur; esset enim valde periculosum et innumeris abusibus obnoxium compensationem praesertim occultam illis permittere.

Haec causa usque modo difficutatibus non caret, nec pro diversis circumstantiis et condicionibus unum generale principium statui potest.—Imprimis filius certe nihil sibi exigere potest, neque occulta compensatione uti ei licet, *quando nondum est maturae aetatis* factus, cum prudenter timeri possit, ne ob suam imperitiam bonis ad laxiorem vitam abutatur; administratio et ususfructus sunt parentibus

---

1) Marres, lib. I, n. 33; idem Waffelaert, t. I, n. 116.
2) Lessius, lib. II, c. 12, n. 81.
3) Lugo, Disp. V, n. 42.
4) Molina, Disp. 234.
5) Laymann, lib. III, tr. 4, c. 8.
6) Antoine, p. III, cap. 5, q. 13.

tunc tribuenda.—Nequit pariter filius occulte sibi laborem compensare, quando adest periculum, *ne bis congruam retributionem obtineat*; quandoquidem parentes peculiarem filii sollertiam et laborem per testamentum vel alia ratione prae reliquis liberis remunerare non semel intendunt.—A fortiore occulta compensatio permitti nequit, si filius *jam aliquod dono a patre* accepit; pater enim tali pacto laborem filii praesumitur voluisse recompensare.—Hisce casibus exceptis, filius utique non est pejoris conditionis famulo, qui est dignus mercede. **Nihilominus tamen pro ordinario labore filius admodum raro quid sibi vindicare potest**, potissimum a) si est junior et domi commoratur; tunc enim stipendium pro victu, amictu, anterioreque educatione computatur; b) si alii fratres simul vel ex ordine aeque laboraverunt; tunc enim merces communis suo tempore in heretitatis augmento obtinebitur; c) si opera filii etiam notabiliore est opus parentibus provectae aetatis; jure enim naturae et virtute pietatis filius parentibus vere egentibus pro viribus gratuito prospicere tenetur. **Facilius fortasse compensatio indulgeri potest filio pro labore extraordinario**, qui tunc adesse censetur, quando filius aut ratione suae condicionis laborare non tenetur, aut aliis fratribus certo notabilius laboravit; non dicitur tamen excessus laboris notabilis, quando fere adaequet ipsos sumptus sustentationis, quam a patre accipit. Porro, filius etiam *pro ordinario labore per accidens* aliquod salarium videtur posse petere, si solus in domo paterna negotiis domesticis operam locat, cum alii foras aut artes studiaque colunt et solos sumptus faciunt, aut nomine proprio aliquod opificium exercendo sibi lucrifaciunt.

90. **Confessario fere nunquam expedit occultam compensationem filiis consulere**; si tamen jam est facta non injuste, restitutio exigi nequit; *ante factum*, ait Lehmkuhl, *generatim in severiorem, post factum in mitiorem partem est inclinandum, explorando causam, quae a restitutione filium excuset* [1])

Tandem **pro usu vitae** illa subjungi possunt monita, quae Waffelaert recte praebet: «jura filiorum, quae potissimum bona temporalia spectant, non debent publice proponi, sed generatim pietas parentum in filios et filiorum in parentes, caeteraque officia et obligationes inculcari, potissimum vero auctoritas parentum. Sacerdos publice et privatim,

---

[1]) Lehmkuhl, *Theologia Moralis*, vol- I, n. 890.

et confessarius item, sedulo semper tueatur auctoritatem paternam, vicissim vero hortetur parentes, ut justum aliquod peculium conferant filiis, necnon aequam mercedem filiis apud se remanentibus. Per se, nisi graviora timeantur incommoda, non sunt consulendae conventiones inter parentes et filios cohabitantes, praesertim minorennes, ne filii fiant quasi commensales et inquilini; vel quod pejus est, ne ipsi parentes fiant inquilini apud filios» [1]).

b) Dominium uxorum.

91. Uxori jure civili, nisi Jus Rossicum excipiatur, ut plurimum, agnoscitur dominium non plenum suorum bonorum; id quidem fit non ratione sexus feminei, cum mulieres aeque ac viri sint dominii perfecti capaces, sed ratione conjugii, quod cum vitae, tum aliquatenus etiam bonorum communionem importat; quandoquidem vero uxor oboedientiam promittit viro, qui est caput familiae, exinde sua sponte communem conjugum vitam consequitur ea condicio, vi cujus uxor etiam ratione suorum bonorum est quadamtenus obnoxia imperio mariti.

Bona uxorum triplicis generis distingui solent: a) *Dos*, quae ab uxore, ejus parentibus vel uxoris benefactoribus ad onera matrimonii sustentanda marito traditur, ut tali ratione familiae provideatur; b) *Parapherna* (τὰ παράφερνα), quae uxor praeter dotem habet et sibi ante matrimonium specialiter reservat, item quae extraordinario labore vel dono acquirit, vel peculiari industria et oeconomia comparat, aliquid sibi de bonis ad victum, vestitum, oblectamenta a marito oblatis parcimonia substrahendo. c) Bona *communia*, quae mutuo conjugum pacto vel lege in communem bonorum cumulum conferuntur; huc pertinent etiam bona, quae uterque conjux ordinario labore et cura rei familiaris, subsistente matrimonio, lucrifacit.

92. **Jus Rossicum** [2]) in causa uxorum, quod ad bona fortunae pertinet, est admodum liberale et benignum, quae res a nonnullis [3]) explicatur auctoritate Elizabethae et Catherinae II, quibus imperan-

[1]) Waffelaert, De Justitia. t. I, n. 122.

[2]) Гражд. Зак., ст. 109—118.

[3]) Мейеръ. *Русское Гражд. Право,* ч. II, § 50.

tibus necessitudo conjugum in causa bonorum est legibus diligentius definita. Juxta tenorem Juris Rossici, quod bona temporalia spectat, condicio uxoris dici potest melior condicione mariti: hic enim obligatur lege ad victum et sustentationem uxori prospicienda secundum condicionem et facultatem sui status [1]), uxor vero omnium suorum bonorum plenum retinet semper dominium, potest eadem pro arbitrio disponere vendendo, locando, debitis onerando absque ullo consensu mariti, qui rigore juris bona uxoris administrare, alienare, aut pactis de eis decernere absque uxoris scripto mandato valide nequit. Generatim conjuges in causa bonorum sunt omnino suae potestatitis, et sui juris; possunt propria sibi acquirere etiam ordinaria industria, stante matrimonio; valent pariter ad mutua inter ipsos pacta gratuita et onerosa ineunda. Quae legum sanctio utique in tantum pro conscientia valet, in quantum uterque conjux aeque ex suís bonis ad onera matrimonii sustentanda et proles educandas justam adfert partem. Mortuo alterutro, superstes conjux praeter propria bona, si sunt suscepti liberi, mobilium quartam partem, immobilium vero bonorum mortui septimam usque ad mortem ab intestato obtinet; quod jus nec praescribi potest, nec per secundas nuptias amittitur [2]). Si desunt suscepti liberi et consanguinei; tum omnia hereditate obtinet.

93. In districtu *Czernihoviae et Poltaviae* jura conjugum in sua bona **Statuto Lithuanico** ita terminantur: Dotis proprietas manet penes uxorem, quae tamen eandem alienare aut locare absque assensu mariti nequit, hic enim habet usum et usumfructum dotis. Bona immobilia mariti, quae ad dotem securam reddendam sunt reservata, stante matrimonio, non possunt, nisi annuente uxore, vendi aut debitis enerari [3]). Cetera bona, quae uxor peculiari labore aut alia ratione obtinet, sunt ejus propria, de quibus fas est ei pro arbitrio statuere. Post mortem alterius utrius, quod spectat bona

---

[1]) Мужъ обязанъ доставлять женѣ пропитаніе и содержаніе по состоянію и возможности своей (*ст. 106*). — Cf. Разъясненія Прав. Сената, 1886 г., № 29; 1890 г., № 18.

[2]) Вступленіемъ въ новый бракъ и пропущеніемъ десятилѣтней давности не лишается какъ жена, такъ и ея наслѣдники своей части, если только просьба о выдѣлѣ оной подана при ея жизни (*ст. 1152*).

[3]) Недвижимое имущество мужа, на коемъ обезпечено приданное жены, не можетъ быть отчуждаемо, ни обременяемо долгами безъ ея согласія (*ст. 111*).

separata et propria, neque uxor marito, nec maritus uxori haeres succedit. Bonorum vero, quae communi labore comparantur, superstiti pars tertia debetur, si adsunt suscepti liberi; si vero desunt, totam substantiam superstes conjux obtinet.

Si matrimanium declaretur nullum, aut conjuges judicio ecclesiastico a thoro et cohabitatione *separentur*, tunc haec sunt observanda: a) si id culpa mariti est factum, hic ad dotem uxori restituendam obligatur, simulque usque ad ejus mortem concedere debetei usumfructum illorum bonorum, quae ad dotem securam reddendam erant reservata (*служившее приданному обезпеченіемъ*); b) si conjugium solvitur culpa uxoris, haec in gratiam mariti dote privatur; c) si uterque scienter et mala fide contraxit matrimonium, ratione consanguinitatis invalidum, uterque defraudatur jure possidendi et disponendi sua bona, quae obtinent vel liberi, si qui ex priore fortasse legitimo matrimonio sint suscepti, vel, hisce deficientibus, propinquiores consanguinei, ea tamen condicione, ut illis fallacibus conjugibus, secundum ipsorum statum et bonorum reditus, congruam sustentationem suppeditent.

94. In **Livonia** bona uxorum non ubique locorum eodem jure temperantur, maximam tamen partem obtinet Jus Romanum [2]).

Jure Romano, quod pertinet ad dotem, uxor retinebat dominium (*proprietatem*), marito ususfructus et administratio erat. Mortuo marito, uxor omnibus personalibus mariti creditoribus pro dote recuperanda praeferebatur. Haec, etiam vivo marito, dotem repetere poterat, si merito timebatur, ne vir, prodige et sumptuose vivendo, ad illam restituendam impotens fieret. Si dos uxoris consistebat in pecunia aut in aliis rebus, quae vel primo usu consumuntur, vel pretio aestimata animo venditionis tradebantur, tunc maritus in illam plenum acquirebat dominium, cum obligatione tamen, conjugio soluto, valorem dotis restituendi; ideoque in casu, quo hujusmodi bona periebant, viro periisse judicabantur.—Bonorum, quae paraphernalia dicuntur, uxor habebat plenum dominium atque de iis pro arbitrio statuere poterat.—Tandem bonorum communium, quae peculiari pacto qua talia declarabantur, proprietas et ususfructus ad utrumque pertinebat, administratio soli marito relinquebatur.

---

[1]) *Остз. Зак. Гражд.*, ст. 10—131; 1991, 1992. Cf. Побѣдоносцевъ, *Курсъ Гражд. Права*, кн. II, § 15, стр. 139.

95. **Codice Polonico** [1]) dominium uxorum in causa suorum bonorum est satis restrictum. Qua in re haec imprimis generalia sunt observanda: a) uxor [2]) absque consensu mariti nequit in causa civili tum qua actrix, tum qua rea in jus vocata, versari in foro (*stawać w sądzie*). Si tamen maritus injuste consensum denegat, uxor appellare potest ad judicem *(sąd okręgowy)*, qui, cognita causa, facultatem uxori concedat vel deneget (*C. P. art. 185*). Consensus mariti tunc solummodo non requiritur, quando uxor ad securitatem suorum bonorum in judicio exigit, ut bona mariti sibi hypothecae dentur (*C. P. art. 206*) vel quando uxor in jus vocatur, vel actrix comparet in causa criminis (*art. 183*). b) Uxor nequit absque mariti consensu donare, dono accipere, bona immobilia alienare aut debitis onerare: nequit titulo gratuito bona alienare (*art. 184*), hoc enim esset detrimento familiae; nequit etiam dono aliquid accipere absque mariti consensu, nam causa movens donandi esse potest suspecta vel inhonesta. Nunquam pariter potest uxor sua bona immobilia aliquo modo alienare, viro contradicente, etiamsi ratione pacti ante matrimonium initi habeat suorum bonorum administrationem. Contractus tamen hujusmodi, si fortasse ab uxore sine mariti consensu ineantur, sunt tantum rescindibiles, qui vc. a marito, ipsa uxore, eorumque successoribus rescindi possunt, non autem ab iis, qui cum uxore contractum inierunt (art. 188). Consensus mariti generalis ante matrimonium datus, quo ei jus concedatur alienandi bona immobilia, nullus esse consetur (art. 190). Uxor, matrimonio adhuc ligata, bona immobilia sine peculiari consensu mariti solummodo per testamentum potest ordinare (art. 189).

96. Ante matrimonium Codice Polonico sponsis conceditur facultas in causa suorum bonorum omnia, quae voluerint, pacta ineundi, dummodo haec coram publico notario cum indice temporis (*diei*), loci, nominisque ipsius notarii fiant, nec bonis moribus, legibus paulo ante explicatis, aut paternae maritalique auctoritati repugnent. Quae pacta in causa bonorum non solum tempus matrimonii subsistentis, sed aeque casum mortis alterius utrius spectare possunt;

---

[1]) Codicis Napoleonis liber primus, qui jura personarum definit, annis 1825 et 1836 pro Regno Poloniae novis est commutatus articulis; quapropter allegari solet qua *Codex Polonicus*, in quo jura conjugum realia sunt determinata 1825 an., jura vero personalia et solemnitates matrimonii anno 1836.

[2]) Uberius hac de re Cf. A. Suligowski. *O prawie assystencyi męża.* Warszawa. 1881 r.

semel autem scripto consignata, stante matrimonio, nec mutuo conjugum consensu deiceps immutari possunt; unus nonnisi casus excipitur: haec pacta mutuo consilio conjugum mutari possunt, quando ipsi a communi mensa et toro separantur. Quamquam sponsi, antequam matrimonio copulentur, in pactis ineundis magna gaudent libertate, ne tamen aliquid contra jus positivum paciscatur, triplex eorum genus, quod regimen (*umowa przedślubna*) dici solet, a lege indicatur: regimen separationis, regimen dotis, regimen communitatis conventionalis.

Stante *regimine separationis*, uxor retinet sibi usumfructum et administrationem suorum bonorum; oportet tamen in pacto determinari, quamnam partem onerum matrimonii et alendae sustentandaeque familiae uxor e suis bonis ferre teneatur; quod ni fiat, debet ad id conferre pro suis et mariti facultatibus et, si marito desunt opes, ipsa ad omnes matrimonii sumptus subeundos obligatur (art. 201, 213).

Si *regimen dotis* ineatur, idem fere valet, ac in Jure Romano: uxor retinet dotis proprietatem, marito est ususfructus et administratio. Bona tamen dotis immobilia aut pecunia hypothecam obligans (*kapitały hypotekowane*) nec viro consentiente possunt ob uxore alienari aut debitis gravari; uxor tamen, etiam marito condradicente, potest partem bonorum etiam immobilium tribuere filiis suis indigentibus, si quos fortasse ex priore matrimonio suscepit (art. 219).

Regimen communitatis, quae *conventionalis* dicitur, est illud, quo communitas legalis (proxime explicanda) magis vel minus amplificatur aut restringitur, intra tamen fines lege non prohibitos. Communitas bonorum conventionalis inter sponsos pacisci potest aut pro tempore, quo matrimonium subsistit, aut pro casu mortis, simulque aut omnia utriusque bona spectare potest aut partem tantum eorundem. Si communitas bonorum pro tempore subsistentis matrimonii paciscitur, tunc nec maritus absque uxoris consensu, neque uxor, marito contradicente, dimidiam partem bonorum immobilium et pecuniae nomine hypothecae obligatae aliqua ratione alienare possunt (art. 228). Si conventionalis bonorum communitas pro casu mortis alterius utrius statuitur, tunc conjux superstes debitis, si quae sint, antehac solutis, dimidiam accipit partem bonorum communium. Quia tamen ob infaustam fortasse, stante matrimonio, bonorum administratonem superstiti uxori obtingere potest sors, quae propria ejus bona, ante matrimonium in communitatem oblata, non adaequet, ideo, mortuo marito, lege indulgetur uxori, si velit, bonorum communi-

tati renuntiare et bona, quae ante matrimonium propria habuit, sibi revindicare; tunc amittit omne jus ad haereditatem ex parte consanguineorum mariti et, si quae ipsa contraxerit debita, e propria substantia eadem solvere tenetur.

97. Si pactum in causa bonorum sponsi ante matrimonium inire praetermiserunt, tunc ipso jure *regimen communitatis legalis* constituitur atque hisce continetur: stante matrimonio penes maritum est ususfructus et administratio omnium bonorum, tum quae uxor ante nuptias adtulit, tum quae ipsi deiceps donatione aut alia prospera fortuna obtingunt (art. 193). Simulque tamen maritus ad omnes matrimonii sumptus tolerandos obligatur. Rationem suae administrationis generatim maritus uxori reddere non est obligatus; nequit tamen ejus bona immobilia alienare aut debitis onerare; ipsum usumfructum sine uxoris consensu ad tres tantum annos alteri locare (*wydzierżawić*) potest. (art. 198). Bona, quae, subsistente matrimonio, uterque ordinario labore et industria procurat, item omnes reditus bonorum marito obveniunt. Contra, bona, quae uxor consentiente marito et proprio nomine obtinet, exercendo aliquam artem vel commercium peragendo, fiunt sua (art. 204). Si maritus, bona uxoris male administrando, eadem periculo amissus exponit, vel si eorum proventus a creditoribus mariti ita sunt obsessi, ut hic ad uxorem et liberos honeste sustentandos amplius non valeat, fas est uxori apud judices bonorum administrationem sibi repetere; quam si obtinet, ad omnes matrimonii et familiae sumptus tolerandos est obligata, atque insuper in rebus gravioris momenti transigendis semper licentia mariti aut judicis indiget (art. 199—201). Tandem si vir aere alieno obligatus moritur, uxor ejusque haeredes pro sua proprietate repetenda omnibus mariti creditoribus personalibus praeferuntur (art. 205).

Quod pertinet ad sortem, quam *alteruter superstes conjux ex bonis mortui* obtinet, nisi id peculiari pacto ante matrimonium inito definiatur, haec sunt jure statuta: quando supersunt suscepti liberi, superstes conjux iis aequiparatur, vc. obtinet eandem sortem ac singuli liberi, hac tamen condicione, ut obtentae sortis solum usumfructum ad vitae suae terminum percipiat. In defectu liberorum, si habentur consanguinei ad quartum gradum civilem, superstes conjux quartam obtinet partem et quidem jure proprietatis. Si soli consanguinei quarto gradu remotiores supersunt, pars dimidia haereditatis, si usque ad 12 gradum desunt consanguinei, tota haereditas pleno jure superstiti conjugi adjudicatur (art. 232, 233). Tali ratione super-

stes conjux haereditatem mortui ab intestato consequitur; per testamentum vero ejus sors dimidio minui potest [1]).

98. **Pro usu vitae.** Quae legibus civilibus sunt definita uxorum jura et obligationes in causa bonorum, eadem aeque in conscientia valent, si quis eorum patrocinio uti velit. Cum tamen conjuges, spiritu christiano imbuti, ut plurimum, non solum vitam in connubio communem agant, sed pariter bona sua mutuo consilio in communi possideant et administrent, nec rigorem juris civilis in usu vitae sequi soleant, hinc ad simplicem normam juris naturae sua sponte dirigi merito censentur. Qua in causa haec sunt in genere observanda: «cum bona communia ad onera matrimonii sustentanda, ad familiam alendam, prolem honeste educandam, ideoque ad conjugum officia caritatis et pietatis implenda inservire debeant, hinc contra pietatem et caritatem (etiam contra justitiam), et graviter quidem in materia gravi (ea sc. cujus laesione pax familiae graviter turbari solet) peccat uterque conjux, qui bona communia dissipat, aut in usum perversum et a matrimonio alienum convertit, ex. gr. maritus, qui potationibus indulget, adulteram sustentat, uxor quae ultra limites suae condicionis luxuriosum cultum sectatur [2]). Restitutio si quae fieri debet, conjugibus omnia in communi possidentibus et administrantibus, ut plurimum, non alia ratione peragi potest, quam parcius in posterum rebus communibus utendo, aut majorem rei familiaris curam impendendam. Quod ad alterutrum in specie conjugem spectat, haec sunt tenenda: *Uxor*, etiamsi propria habeat bona, potest tamen ex bonis communibus munera et eleemosynas secundum justam consuetudinem aliarum piarum mulierum suae condicionis elargiri, etiam marito id in genere prohibente. S. Thomas quidem contrariam tenet sententiam et nonnisi in extrema necessitate constitutis eleemosynam facere, sine consensu viri expresso vel praesumpto, permittit uxori [3]). Longe tamen communior est sententia theologorum, quorum auctoritas in causa justitiae est gravissima [4]), docet, consuetudine legitima uxori tribui jus pauperibus succurrendi, quo jure maritus uxorem fraudare

---

[1]) De testamentis in genere commendare potest opusculum brevi et populari ratione conscriptum ab Fr. Podlewski. *O spadkach i testamentach wykład popularny.* Warszawa, 1900.

[2]) Ita Marres, *De Justitia*, lib. I, n. 70.

[3]) 2. 2. q. 32 art 8.

[4]) Lugo, Disp. XVI, n. 64; Molina, Disp. 274 et 686; Lessius, cap. 12, dub. 14; S. Liguorius *Theol. Moralis*, lib. IV n. 540.

non possit: hoc enim ad decentiam status et condicionem uxoris pertinere. Quapropter confessarius, a mulieribus consultus, nequit prohibere, quominus suo jure utantur, simulque tamen eis regulas prudentiae indicare et praescribere debet, ne in eleemosynis elargiendis modum excedant. Confessarius non consultus, si constat maritum non esse liberalem, uxori eleemosynas ipse ne commendet, ne pax familiae absque ratione in discrimen vocetur. Porro uxori, si propria non habet, licet e bonis communibus subvenire suis parentibus et filiis, ex alio matrimonio fortasse susceptis, si egent, ut secundum suum statum vivere possint; jure enim naturae ad eosdem in indigentia alendos obligatur. Quando tamen quantitas subsidii notabilior erogatur, opus est uxori contendere, ut saltem majore parsimonia et diligentiore cura rei familiaris illud damnum marito reparet. Etiam est sententia probabilis [1], uxorem proportioni convenienter aeque posse suis fratribus et sororibus vere indigentibus succurrere per modum eleemosynae et quidem largius, quam alienis pauperibus; id enim genuinus ordo charitatis postulat.

99. Deiceps non peccat uxor, ait S. Alphonsus, subducendo aliqua vel compensationis causa, si vir est prodigus, quia is tunc facit uxori injuriam, partem ipsius profundendo; vel pro victu, vestibus, caeterisque sibi vel familiae necessariis, quae mariti saepe non intelligunt et frustra ab illis peterentur [2]. Si maritus, ait Lugo, in familiae praejudicium bona dilapidet vel prodigat, potest uxor ea abscondere et reservare in bonum familiae [3]. A fortiore non peccat uxor, si aliqua accipiat, quae maritus facile et certo concederet, si rogaretur, quia tunc licentia habetur praesumpta, et est justa causa illam non petendi, ne se ostendere velut ancillam cogatur [4]. Caveant tamen uxores a plus aequo arbitratu, potissimum in vestibus splendidioribus sibi comparandis et vitae voluptatibus quaerendis, cum hac in causa minus prudentes esse soleant. Tandem potest uxor e bonis communibus in aliquo singulari casu etiam notabilem bonorum quantitatem expendere, quam prudenter judicat esse necessariam ad grave damnum familiae avertendum, ut ex. gr. ad maritum e carcere liberandum. Ita Abigail ad salvandam vitam sui mariti sine ejus

---

[1] S. Alphonsus Lig., lib. IV, n. 542, Lesius, Lugo, Molina.
[2] S. Alphonsus, lib. IV, n. 541.
[3] Lugo, Disp. XVI, n. 67 et Molina, Disp. 74.
[4] Reuter, *Theologia Moralis*, p. III, § 47, n. 7.

consilio non parva obtulit dona Davidi (I Reg. XXV, 18—27). Potest etiam uxor dona offerre pro Missae sacrificio celebrando et eleemosynas pauperibus elargiri ad implacandam a Deo impii mariti conversionem a pravis moribus et s. p. Causam uxorum absolvimus animadversione Molinae: durum atque irrationabile valde esset, miseram mulierem, quae in manus incideret austeri atque avari viri, nihil omnino posse alienare ad suum decentem ornatum, competentes eleemosynas atque honestam recreationem neque illa, quae mediocres mulieres sui status alienare consueverunt absque illius facultate; valde irrationabiliter et injuste enita esset censenda talis societas bonorum inter virum et uxorem [1].

100. *Quod pertinet ad maritum*, utique ei tum legibus positivis, tum etiam jure naturae, qua familiae capiti, majus agnoscitur jus in bona communia; ipse tamen etiam nequit pro suo arbitrio ea cum damno familiae et uxoris decernere; quapropter peccat contra justitiam, si bona communia ad suum commodum unice convertit vel inscia uxore dona conspicua suo patri, matri aut filiis ex altero matrimonio susceptis facit [2], nisi uxorem absque dote ducendo et potissimum solus pondus diei et aestus portando, omnia bona esse sua merito dicere possit. Peccat etiam a fortiore contra justitiam, si bona communia praecise in fraudem uxoris dissipat vel notabiles mulctas ratione criminis solvendas incurrit. Tandem non tantum contra pietatem peccat, sed pariter jus strictum uxoris laedit maritus, si tribuere ei renuit, quae ipsi e bonis communibus competunt, ut sibi suisque prospiciat; contractu enim explicito aut saltem tacito ad mutuam sustentationem conjuges se obligant, bona in communi possidendo simulque laborando. Hinc injustus maritus, nisi damna familiae diligentiore cura et labore reparaturum et in posterum sese emendaturum esse promittat, absolutione certe non est dignus. Altera ex parte est animadvertendum, non esse idem, bona familiae ex malitia dissipare et eadem minus prudenter administrare: hoc enim absque culpa mariti contingere potest, neque onus restitutionis secum importat; contra illud pro viribus et opibus est reparandum.

---

[1]) Molina, Disp. 274.

[1]) Molina, Disp. 275.

c) Dominium quorundam nobilium.

101. Singulari et quidem gratiosa restrictione dominii gaudent praedia quorundam nobilium (*имѣнія заповѣдныя*), primum 1845 anno in Rossia eum in finem jure instituta [2]), ne condicio quarundam familiarum nobilium temporis decursu deterior fiat. Origo hujus juris est germanica. Bona hujusmodi restricta nec locari, nec debitis onerari, aut inter heredes dividi, neque unquam praescribi aut etiam, tributa publica solvendi gratia, a fisco venalia proponi possunt. Post mortem proprietarii eadem ad natu maximum in linea recta transeunt. Si proprietarius talis praedii absque testamento moritur, uxor sua quotannis sextam accipit partem redituum, filii autem natu minores eam sortem, quae reditus duorum annorum praedii restricti non excedit. Testamento tamen uxori quinta pars redituum legari potest, filiis vero natu minoribus sors, quae reditus trium annorum adaequat. Nobili progenie extincta, praedia restricta fiunt ordinaria et consueto jure hereditatis inter consanguineos etiam ignobiles dividi possunt. Praedia, qua restricta, institui possunt, quae saltem quinque milia decumarum fundi continent, nec centum milia superant; quibus conjungere licet eodem jure certam quandam pecuniam, cujus solo fenore proprietarius uti possit. Insuper, ut praedia hujusmodi jure restringi possint, tum confirmatio **Suae Majestatis**, tum nobilitas familiae requiruntur; uti autem hoc privilegio possunt non solum personae rossicae nationis, sed etiam nobiles catholicae familiae.

Jura praedii restricti, legitima auctoritate confirmata, valent in conscientia; quia tamen cedunt in praejudicium ceterorum liberorum, hinc paterfamilias ita eosdem educandos et instituendos curare in conscientia debet, ut deiceps juxta condicionem suae familiae decenter vivere possint. Debita, si quae proprietarius mutuo contraxit, solvere e reditibus tenetur, parce et sobrie vivendo.

102. Praeter bona restricta, quae aliquo modo perpetua dici possunt, lege a. d. VIII Calendas Junias an. 1899 lata nobilibus, si qui eo uti velint, datum est privilegium instituendi praedia ad tempus solummodo restricta, vc. pro filio et nepote: hereditatem obtinet non natu maximus filius, sed quem paterfamilias elegerit. Quo autem

---

[1]) Гражд. Зак., ст. 467—493

major nobilium numerus hoc privilegio uti possit, minor census pro hujusmodi praediis exigitur; sufficit, ut saltem 15000 rubelorum praedium aestimari possit. Tali pacto praecaveri conatur, ne familiae nobiles, *qua columen et subsidium Imperii et Throni*, tam subito adversae fortunae succumbant. Eximuntur ab hoc privilegio Regnum Poloniae, Caucasus, Livonia; in 9 guberniis lithuanicis solae personae rossicae natíonis, quibus vc. ibi praedia emere licet, hoc privilegio uti possunt.

Bonis restrictis proxime accedunt bona, quae in guberniis lithuanicis e bonis feuodalibus, bonis S. J. fisco adjudicatis, aliisque, benigne ab **Imperatore** viris rossicae nationis largiri solebant (*maioраты*) [1]. Quae bona prope iisdem juribus gaudent, ac bona restricta. Possunt tamen contractu locari ad 6 annos; debent quotannis 3% redituum publico hospitio militum debilium (*домъ инвалидовъ*) solvere; extincta familia, ad fiscum redeunt. Hereditatem obtinet semper natu maximus masculini generis; excipitur filia primi beati proprietarii, quae, si fratres desunt, bona obtinet pro filio natu majore [2].

c) Dominium Clericorum.

103. Inde jam a seculo XII (*Arnoldus Brixiensis*) usque ad nostram aetatem non defuerunt, qui negarent, *Ecclesiae ejusque ministris competere dominium rerum temporalium*. Est tamen de fide, Ecclesiam ejusque ministros et posse et legitimo jure possidere bona fortunae; enim vero damnata est a conc. Constantiensi propositio Wicleffi sub n. 10: *contra S. Scripturam est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones*; aeque a Pio IX damnatae sunt in Syllabo propositiones sub n. 26: *Ecclesia non habet nativum et legitimum jus acquirendi et possidendi;* sub. n. 27: *sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.* Ecclesiae ministros legitimo jure posse bona temporalia possidere,

---

[1]) Bona immobilia (*имѣнія*), quae in Regno Poloniae inde ab anno 1835 personis rossicae nationis dono largiri solent, etiam dicuntur *маіораты*, gaudent tamen fere pleno jure proprietatis subjectivae. Cf. *40 приложеніе къ ст. 711 Гражд. Код.* Высочайшій указъ 4 (16) окт. 1835 г. о пожалованіи имѣній 16 лицамъ.—Постановленіе Намѣстника 29 апрѣля 1842 года.—Постановленіе Учредительнаго Комитета 11 (23) апрѣля 1869 года.

[2]) *Граж. Зак.* ст. 494—512; 1214—1217.

satis constat e Scriptura S., ubi discipuli Christi Domini dicuntur habuisse propriam pecuniam, qua victui necessaria emerent: *euntes emamus ducentis denariis panes et dabimus illis manducare* (Marc. VI, 37). Ipse Christus dicitur habuisse *loculos*, cujus rei gratia ita S. Augustinus: *quare habuit loculos, cui Angeli ministraverant, nisi quia Ecclesia ipsius loculos habitura erat* [1]). Merito Doctor Angelicus ait: *stultum autem videtur dicere, quod tot sancti Pontifices, sicut Athanasius, Ambrosius et Augustinus illa praecepta transgressi fuissent, si ad ea servanda se crederent obligari* [2]). Ceterum potius ad Jus Canonicum et Theologiam Dogmaticam pertinet demonstrare, Ecclesiam legitime bona temporalia possidere, simulque ejus hac in causa libertatem ab arbitrio potestatis temporariae vindicare.

104. Nostrum est, ad norman justitiae commutativae honestum indicare usum rerum, quae sunt Ecclesiae ejusque ministrorum. Qua in causa triplicis generis distingui solent bona clericorum *patrimonialia, industrialia, ecclesiastica.*

1) **Bona patrimonialia** dicuntur, quae clerici eadem via et ratione, ut ipsi homines civiles, obtinent. Hujusmodi bona sunt, quae clericis obveniunt e paterna hereditate, ex institutione scientiae profanae, e donatione, ex aliqua prospera fortuna et s. p.

2) **Bona industrialia vel quasi-ecclesiastica** acquirunt clerici ut Ecclesiae ministri et operarii, mercede sua digni. Quibus bonis communiter adjudicantur: a) *stipendia Missarum*; b) *distributiones quotidianae*, quae *canonicis* pro assistentia in choro praebentur, prout S. Poenitentiaria d. 9 Januarii 1823 an. id declaravit; c) *reditus* qui dicuntur *stolae* vel illae oblationes fidelium, quae parocho ejusque coadjutoribus qua stipendium laboris porriguntur, v. gr. pro funeribus, sacramentorum et sacramentalium administratione, pro singularibus precibus etc. [3]); d) *pensiones*, quae a civili regimine solvuntur capel-

---

[1]) S. Augustinus *in Psalmum CXLVI, n. 17.*

[2]) 2. 2. q. 185 art. 6.

[3]) De reditibus stolae lege civili non ecclesiastica pro Imperio ita est decretum: Сборы, производимые въ церквахъ по воскреснымъ и праздничнымъ днямъ и подаянія въ пользу церквей, а не священниковъ, при совершеніи духовныхъ требъ (jura stolae) причисляются также къ составу имуществъ церковныхъ. *(Св. Зак. т. XI, ч. I, ст. 111 примѣчаніе).* Pro Regno Poloniae an. 1865 est sancitum: Плата, взимаемая за исполненіе духовныхъ требъ (jura stolae), записывается сполна въ особую шнуровую книгу, которая должна быть на сей предметъ заве-

lanis, qui ad nutum amoveri possunt, presbyteris senio vel adversa valetudine confectis, professoribus, qui munere docendi Theologiam aut aliam scientiam sacram funguntur, religiosis, qui clauso monasterio, indigent tecto et alimentis, tandem pensiones, quae vicariis parochi coadjutoribus solvuntur, nisi hae pro beneficiis fisco adjudicatis restituantur; e) *parva collecta*, quae a fidelibus in capsulas publice expositas inferri solent sive occasione alicujus functionis parochialis v. gr. concionis, sive aliunde more recepto; quae collecta jure communi ad parochum pertinent, nisi alicubi aliud aut ab Episcopo loci sit ordinatum, aut consuetudine sit introductum, aut nisi illa a fidelibus ad finem aliquem determinatum erogentur, v. gr. ad ornatum cujusdam sacelli, imaginis miraculosae, altaris, ad reparandam ecclesiam, ad pauperes sublevandos et s. p.; f) tandem bonis quasi-ecclesiasticis adnumerari probabilius possunt *dona*, quae e fidelium liberalitate etiam annue offeruntur aut colliguntur v. gr. tempore visitationis parochiae (*kolędy*), nisi eae collationes, uti decimae, legitima auctoritate imponantur et jure exigi possint.

105. 3) **Bona ecclesiastica** dicuntur reditus et proventus, quos clerici ratione dignitatis et muneris spiritualis e beneficiis Ecclesiae percipiunt. Dominium beneficiorum est penes Ecclesiam, clerici autem solo eorum usu et usufructu gaudent. Quibus bonis ecclesiasticis aeque annumerantur *annuae pensiones*, quae episcopis, canonicis, parochis a gubernio pro beneficiis fisco adjudicatis solvuntur, quemadmodum id e declarationibus s. Poenitentiariae pro Belgio an. 1819 et pro Gallia an. 1821 satis constat. Idem probabilius esse dicendum videtur *in* supplementis, quae alibi parochis a municipiis, fabricis, parochianis in *communi* solvuntur ad augendam insufficientem aut prorsus deficientem pensionem, non vero quae a singulis personis privatim liberaliter offeruntur, licet in eundem finem. *Bona ecclesiastica subdividuntur*: a) *in necessaria*, quibus minister Ecclesiae, habita ratione suae condicionis et dignitatis, ad vitam honeste agendam indiget; b) *parcimonialia*, quae clericus e beneficii fructibus, ad congruam vitam certe necessariis, sibi reservat, frugalius et parcius, quam id suae condicioni convenit, vivendo; c) tandem *superflua*, quae e beneficii proventibus

---

дена при каждой церкви. Часть сего дохода отчисляется въ пользу церковнаго причта. Остальная затѣмъ часть предоставляется въ распоряженіе церковнаго попечительства (дозора) на необходимые для богослуженія расходы... (*Св. Зак т. XI, ч. I, ст. 162*).

usui honesto et necessario, non autem lauto superesse possunt. Quid honestae clerici vitae usuique decenti conveniat, ratione mathematicorum definire est res admodum ardua et perdifficilis, nec generalis huic rei modus poni potest: plus enim episcopo congruit, quam canonico, plus canonico cathedrali, quam simplici presbytero, plus hoc loco, quam illo et s. p. «Insuper, ait Laymann, aestimanda etiam sunt beneficiati merita ac labores, quos Ecclesiae utiliter praestat doctrina, consilio, scriptione. Nam ob hanc causam ejusmodi beneficiatus plus, quam alii ejusdem ordinis et status, sed minus Ecclesiae utiles, ad sustentationem suam ex reditibus ecclesiasticis accipere potest, sumpto argumento ex verbis Apostoli I ad Timoth. V: *qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina»* [1]. Quapropter, cum nihil certi hac in causa definiri possit, observari debet modus, qui apud clericos ejusdem condicionis simulque religiosae conscientiae et bonae mentis usu venit. Generatim ad honestam beneficiarii vitam ea censentur esse necessaria bona, quibus ipse indiget ad propriam personam domesticosque famulos in victu, vestitu, domicilio decenter sustentandos, imo etiam ad personas sibi sanguine proxime conjunctas, velut parentes, alendas, si id saltem aliqua ratio suadet; pariter quae ad hospites comiter excipiendos, ad honesta oblectamenta capienda, ad moderatas donationes aliosque suae condicioni et dignitati decenter convenientes sumptus faciendos requiruntur. Ceterum episcopi, a fortiore simplices clerici, alta memoria teneant illud monitum, quod sacr. Synodus Tridentina de vita et honestate clericorum ita inculcat: «*ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiae, continentiae, ac sanctae humilitatis exempla petere possint. Quapropter non solum jubet* (synodus), *ut Episcopi modesta supellectili et mensa ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitae genere ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum praeseferat»* [2].—Debita, quae clericus, antequam ordinem est amplexus, fortasse contraxit, e bonis patrimonialibus solvi debent, non vero ex ecclesiasticis, nisi ex hisce parcimonia quid sibi reservaverit: non enim obligatur Ecclesia ad alendos nisi ministros, qui aliqua ratione sunt sui. Contra, debita, quae quis, saltem tonsura ordini clericali adscriptus, studiis in semi-

---

[1] Laymann, *Theolog. Moral*, lib. IV, tr. II, cap. 3.

[2] Conc. Trident., sess. XXV, cap. I, Reform.

nario vacandi gratia contraxit, probabilius e reditibus beneficii necessariis solvi possunt.

106. **Habita ratione diversae originis bonorum** (*patrimonialia, industrialia, ecclesiastica*), **quibus clerici gaudent, non idem jus in ea ipsis agnoscitur.** *Est causa extra controversiam, clericis perfectum et plenum competere dominium bonorum, quae* **patrimonialia** *dicuntur*, nulla lege positiva id clericis interdicente. Quapropter eadem, aeque ac personae civiles, in quos velint usus, impendere absque cujuslibet injuria possunt, dummodo ne pravo affectu moveantur. Quo jure ipsi viri sancti nonnunquam sunt usi. Ita s. Franciscus una cum suo fratre, in episcopatu Genevensi coadjutore, testamento an. 1622 condito heredem bonorum patrimonialium fratrem Ludovicum instituit. Cum vero deiceps in s. Rit. Congr. de ejus virtutibus causa moveretur, anonymus quidem exinde ansam quaesivit, ipsam s. Francisci sanctitatem impugnandi; fidei tamen promotor, simul ac demonstravit, bona a viro sancto per testamentum legata non fuisse e fructibus beneficii ecclesiastici, sed e patrimonialibus, inde jam fideliter conclusit, e commemorato testamento non posse adversus heroicas sancti viri virtutes quidquam excipi [1]).

107. Quod ad **bona clericorum industrialia vel quasi-ecclesiastica** pertinet, non omnes theologi unum idemque sentiunt. Quidam *patroni rigidioris sententiae, ut Antoine, Habert, Collet* aliique affirmant, clericos horum bonorum non habere plenum et perfectum dominium, sed *olum honestum usum vel usumfructum*, in quantum vc. id postulat necessitas vitae decenter tolerandae; sunt enim, ajunt, res sacrae, cum e sacris proveniant. «Ejusmodi bona, affirmat Antoine, sunt Deo consecrata, utpote intuitu religionis et cultus divini, perinde ac bona beneficiorum, data ad sustentationem ministri et alios pios usus. Neque fideles dant illam pecuniam ut mercedem operis vel pretium laboris, nam hoc esset simoniacum, cum opus et labor sint spiritualia» [2]). Porro, ad auctoritatem Doctoris Angelici provocat, qui ita ratiocinatur: *oblationes, quae a populo Deo exhibentur, ad sacerdotes pertinent, non solum ut eas in suos usus convertant, verum etiam ut eas fideliter dispensent, partim quidem expendendo eas in his, quae pertinent ad cultum divinum, partim vero in his, quae pertinent ad proprium victum...*

---

[1]) Cf. Benedictus XIV, *De serv. Dei beatif.*, lib. III, cap. 34, n. 23.

[2]) Gabriel Antoine, *Theologia Moralis*, p. I, tract. de obligationibus, cap. I, q. 5.

partim etiam in usus pauperum [1]). Insuper etiam ea circumstantia et ratio non est oblivioni danda, bona Ecclesiae, quae a ss. Patribus bona Dei et in pios usus impendenda dicebantur, non alia primis seculis fuisse, quam pecunia et alia mobilia, quae a fidelibus ratione ministerii spiritualis offerebantur, quae hodie reditus stolae dici solent. Quae argumenta et rationes certe sunt ejus gravitatis, quae contemni nequeunt.

108. Verum tamen *communior est sententia* eademque theologorum, quorum auctoritas in rebus morum est maxima, *ut card. de Lugo* [2]), *Lessii* [3]), *Molinae* [4]), *Laymann* [5]), *S. Alphonsi* [6]), *Benedicti XIV* [7]), aliorumque, quae tenet, *bonorum quasi-ecclesiasticorum clericis plenum et verum dominium competere;* neque id absque solida ratione commemorati docti viri tuentur. Fideles illa bona clericis tanquam rem ipsis debitam ob ministerium personale, qua stipendium erogant, eaque liberae eorum dispositioni relinquunt, quin aliquid oneris ipsis imponere expresse intendant; sed nec possunt aliquod onus justitiae ipsis imponere, quando solvunt stipendia intra limites legitima auctoritate constitutos, ut erudite probat Suarez [8]); clerici enim, qui aliunde votum paupertatis non emiseruut, non sunt pejoris condicionis, quam advocati, judices, medici, qui pro officiis, quibus funguntur, plenum dominium stipendii obtinent. Esset quidem simonia, si clerici stipendia velut pretium rei sacrae acciperent. Non ita tamen res se habet: stipendia enim accipiuntur tum honestae sustentationis causa, tum pro sumptibus, quos clerici subire debent, altari serviendo, tandem qua pretium laboris extrinseci. *Dignus est operatius mercede sua* (Luc. X, 7). Insuper, recte animadvertit Scavini, bona ista vel ad clericos pertinent, vel ad Ecclesiam, vel ad donatores; atqui non ad Ecclesiam, quia ipsi nunquam fuerunt appropriata; non ad donatores, quia iisdem se abdicarunt actu donationis; ergo sunt clericorum [9]). Hinc S. Poenitentiaria responso d. 9 Jan. 1823 dato censuit: *stipendia quae*

---

1) 2. 2. q. 86, art 2.
2) Lugo, Disp. IV, n. 23.
3) Lessius, lib. II, cap. 4, dub. 6.
4) Molina, Disp. 142.
5) Laymann, lib. IV, tr. II, cap. 3.
6) S. Alphonsus, *Theol. Moral.*, lib. IV, n. 491.
7) Benedictus XIV, *De synod. Dioeces.*, lib. XIII, cap. 12, n. 22.
8) Suarez, *De Relig.*, t. I, lib. IV, cap. 46.
9) Scavini, *Theol. Moral.*, t. II. De dominio, cap. II, art. 1.

dantur laborantibus, inserviendo Ecclesiae et functionibus ecclesiasticis, tanquam merces operis et ad operantis sustentationem esse bona quasi-patrimonialia.

Quamquam clerici secundum hanc communiorem theologorum sententiam plenum habent dominium bonorum quasi-ecclesiasticorum eaque, in quos velint usus, adhibere possunt, quandoquidem tamen ad majorem sunt vocati perfectionem vitae, majorem certe ab iis, quam a personis civilibus postulare licet considerationem et gravius judicium in usu bonorum, quae occasione altaris ipsis obveniunt, *ne, divitiae si affluant, cor ad eas apponant* (Ps. LXI, 11), sed potius ut Christum pauperem sequantur. Meminerint etiam moniti: *tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor* (Ps. IX, 35). Neque oblivisci debent, quantum fideles scandalizari soleant, si clerici e bonis pro ministerio altaris acceptis praedia emunt, consanguineos ditant nec saltem testamento pia legata faciunt.

109. Quod ad **bona** spectat, quae simpliciter **ecclesiastica** dicuntur, haec hodie extra controversiam sunt certa: bonorum beneficialium clerici dominium non habent, hoc enim soli Ecclesiae competit; Ecclesia tamen suis ministris ob spirituale eis concreditum officium horum bonorum beneficialium administrationem et usumfructum concedit, quibusdam tamen condicionibus circumscriptum et quidem: a) *clerici plenum habent dominium illorum beneficii proventuum*, qui ad decentem et honestam ipsorum vitam *sunt necessarii*; haec enim pars redituum est justa merces eorum, qui Ecclesiae ministerio funguntur; equidem justum est ac aequum, ut, qui Ecclesiae inserviunt, ab ea etiam sustentent tur. *Dominus ordinavit iis*, ait s. Paulus, *qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (I Cor. IX, 14). *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* (ibid. vers. 11). Quapropter merito Conc. Constantiense contra Wicleffum et Tridentinum (*sess. XXV, cap. 12*) declararunt, solutionem decimarum ad subveniendum pastoribus spiritualibus ex parte fidelium non gratuitam, sed jure debitam. Quo jure, vc. proventus beneficii ad vitam honestam necessarios faciendi suos, clerici defraudari nequeunt, etiamsi aliunde propria bona patrimonialia habeant et sint divites: non enim ratione paupertatis, sed laboris gratia habet clericus jus, ut ab Ecclesia et a fidelibus sustentetur, quia semper est aequum, ut qui altari servit, de altari vivere possit. *Quis militat suis stipendiis unquam?* (I Cor. IX, 13). Clerici non sunt pejoris condicionis, quam personae civiles Reipublicae inservientes, quae licet aliunde sint divites, juste nihilo-

minus stipendia accipiunt. Quamobrem, si clericus e bonis patrimonalibus vivat, tantundem e fructibus beneficii sibi retinere potest.

b) Si qui clerici *e fructibus beneficii*, ad vitam honeste agendam *necessariis*, studiosa frugalitate et *parcimonia* sibi quidquam *reservaverint*, ejusdem residuae sortis aeque *plenum dominium* obtinent; parcendo enim sibi necessariis, reservant ea, quae jure sunt jam sua. Utique si id faciunt ex quadam avaritia, suam condicionem humiliando, aut ex alia sordida intentione, non vero ex amore paupertatis, peccant quidem inordinata cupiditate pecuniae, non autem injustitiae causa.

110. c) Quae tandem bona ecclesiastica vitae clerici honestae sustentandae supersunt (*superflua*), beneficiatus eadem in pias causas expendere sub gravi tenetur. Quod est adeo certum, ut demonstratione non indigeat: omnes ss. Patres, omnes Ecclesiae canones, omnes paene theologi id uno ore profitentur ac docent [1]). Quapropter s. Synodus Tridentina: omnino episcopis aliisque clericis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiae consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum et Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent... eas non distrahant nec dissipent illorum causa [2]).

Qui igitur beneficiati bona *ecclesiastica superflua in conspicua quantitate* aut dilapidant, laute vivendo, aut sibi addicunt, aut in usus profanos impendunt, certe *peccant mortaliter*. Quaenam tamen sit *illa conspicua quantitas*, ad peccatum mortale sufficiens, non satis constat inter theologos, qui tamen omnes agnoscunt, majorem hac in re quantitatem requiri, quam in ordinario furto. D. Thomas simpliciter arbitratur, ad id oportere *multum excessum*, quo mala fides latere non possit, cum dicit: *si quidam in modico deficiat vel superabundet, potest hoc fieri absque bonae fidei detrimento: quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet. Si vero sit multus excessus, non potest latere... et ideo non est absque peccato mortali* [3]). Secundum *Molinam* quantitas conspicua, quae ad peccatum mortale admittendum sufficiat, non est una eademque pro omnibus, sed in singulis casibus *comparate tantum ad ipsam redituum copiam* determinari potest: quantitas, quae culpam efficiat lethalem, ait ille, eo major requiritur, quo portio propria beneficiarii major fuerit, plusque bene-

---

[1]) Cf. Benedictus XIV, *De Synod.*, lib. VII, cap. 2.
[2]) Conc. Trid., sess. XXV, cap. 1 reform.
[3]) 2. 2. q. 185 art. 7.

ficiarius, attentis omnibus circumstantiis concurrentibus, ad congruam sustentationem suam indiguerit [1]). Juxta sententiam card. de Lugo [2]), quam deiceps sequuntur Mazzota, Lacroix, s. Lignorius aliique, ad culpam lethalem efficiendam *abusus partis vigesimae* bonorum, quae superflua dicuntur, sufficere videtur.

111. **De ratione superflua dispensandi.** Nulla bona, quantumvis sint opulenta, Ecclesiae ministris dici possunt plane superflua; jure merito dicit Molina: reditus ecclesiastici eo fine sunt collati, ut ministri Ecclesiae inde sumerent competentem sustentationem et haberent, *unde eleemosynas et opera pia exercerent,* quae ipsos commendatiores redderent coram populo; *id quod in ipsorum congrua sustentatione quodammodo includitur,* quippe cum ad eorum statum spectet eas exercere, caeterisque pietatis et caritatis christianae exemplum praebere [3]). Fideli igitur dispensatori bonorum ecclesiasticorum nulla dici possunt vere superflua. Sed *hic jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur?* (I Cor. IV, 2). Optima sane ratio bona, quae dicuntur superflua, dispensandi est ea, qua quovis anno exeunte in finem congruum, quae propriae honestae sustentationi supersunt, erogentur; id tamen rigore juris vel officii non est religiose necessarium; etenim, si aliqua ratio suadet, neque necessitas continua contrarium postulat, possunt superflua conquiri et accumulari per annos, ut deiceps quid insigne instituatur; ex. gr. ecclesia, confugium infirmis et pauperibus, aut quid simile. Prudenter tamen animadvertit Scavini, hodie adeo multas et quotidianas haberi necessitates, ut non facile excusari valeant clerici sub quocunque praetextu thesaurizantes; praeterea, si superflua accumulantur, maxima tunc cautela est adhibenda, ut ea a propriis bonis secernantur, item illico, quid in posterum sit de iis agendum, determinetur, ne differendo de die in diem mors ingruat et tales reditus a propriis consanguineis diripiantur, ut non semel lugendum est [4]). Non absque ratione vulgo dici solet: melius est dare, quam legare.

112. Bona ecclesiastica superflua, licet peculium pauperum dici solent, non necessario solis pauperibus sunt eroganda: aeque in alios pios

---

[1]) Molina, Disp. 144 n. 20.

[2]) Lugo, Disp. IV, n. 42; Mazzota, *Theol. Moral.*, t. II, p. 419; Lacroix, *Theol. Moral.*, lib. IV, n. 1358; S. Alph. Liguor., lib. IV, n. 491.

[3]) Molina, tr. II, Disp. 144, n. 20.

[4]) Scavini. *Theol. Moral.*, t. II, n. 478, De dominio, art. 1.

usus, ex. gr. in cultum templi, in Missas pro animabus purgatorii celebrandas atque in alia pia opera impendi possunt. Quando tamen pauperes adsunt in gravi necessitate constituti, ipsis prae aliis piis causis est succurrendum; imo, ut animadvertit s. Liguorius, episcopi et parochi tenentur insuper inquirere hujusmodi pauperes, non tamen beneficiarii non pastores [1]). Porro, quamquam congruentius esse videtur, pauperibus loci, ubi beneficium habetur, superflua distribui; id tamen non est praeceptum; quia pauperes loci, ut ait s. Alphonsus, nisi extrema vel saltem gravi egestate laborent, non habent, saltem non constat, eos habere peculiare jus ad illa bona.—Nomine pauperum non soli ostiatim mendicantes, sed ii omnes veniunt, qui sine alieno subsidio ad suum statum honeste conservandum non valent. Charitas autem bene ordinata postulat, ut consanguinei aliis pauperibus etiam magis egentibus praeferantur, dummodo id fiat moderate, vc. ad eorum veram inopiam sublevandam, non autem ad opes augendas. Tridentina Synodus omnino clericis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiae consanguineos familiaresve suos augendos studeant, sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant [2]). Secundum sententiam Roncagliae, quem s. Alphonsus recte judicasse dicit, soli episcopo ratione ejus dignitatis licet condicionem consanguineorum saltem proximorum aliquatenus in meliorem immutare, si antehac admodum humilis erat, ut decentius vivere possint. Idem sentit et Lugo, cum dicit: quid enim absurdius, quam parentem vel fratrem cardinalis vel archiepiscopi videre adhuc ligna per urbem vendere vel calceos in publica platea resarcire... In hoc tamen non est consulendus affectus carnis et sanguinis, sed christiana prudentia et modestia [3]). Tandem communior est theologorum sententia, clericis e bonis superfluis licere in studiis prospicere suis proximis consanguineis, si id sua condicio postulare videtur et sui parentes ipsis succurrere nolunt, aut non possunt, nam, ut idem Lugo ait, vere indigent aliena sublevatione, et ex se est opus pium indigentes ad id juvare. Contra, opinio Laymanni: posse nepoti etiam non indigenti, ut studiis vacet, a clerico e superfluis bonis ecclesiasticis sumptus suppeditari, difficulter defendi potest.

[1]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 491.
[2]) Trid. Syn. sess. XXV, cap. 1 reform.
[3]) Lugo, Disp. IV n. 70 et 68.
[4]) Laymann, *Theol. Moral.*, lib. IV, tr. II, cap. 3 n. 5.

113. Quae igitur bona vere ecclesiastica vitae clerici honeste sustentandae supersunt (*superflua*), ea beneficiarius in genere sub peccato mortali in pias causas certe impendere tenetur. Non tamen constat inter theologos, utrum ad id beneficiarius ex justitia, an ex religione tantum obligetur. Utique recte animadvertit Bellarminus: parum refert, utrum praelatus damnetur, quia peccavit contra justitiam, an quia peccavit contra caritatem, non bene distribuendo suas facultates [1]. Altera tamen ex parte non sine ratione de ipsa natura obligationis inquiritur, cum justitiae non vero religionis vel caritatis est proprium obligationem restituendi imponere.

Opinio rigidior, quae affirmat, clericos ex justitia ad superflua in pias causas eroganda teneri, erat paene communis apud theologos veteres; ex recentioribus eam sequuntur plures theologi galli, ut Habert, Collet, Antoine, Carrière; ex aliis graviores sunt Amort, Laymann, s. Liguorius. Argumenta, quibus suam sententiam confirmare volunt, ad haec tria revocari possunt: a) Beneficiorum fundatores sua bona qua sacrificium pro peccatis saltem tacito pacto Ecclesiae obtulisse videntur, ut in cultum impenderentur divinum aliosque pios et Deo gratos usus, non autem in quascunque etiam profanas utilitates, quae sibi libuissent, ab Ecclesiae ministris abuterentur. b) A ss. Patribus et plurimis conciliis bona ecclesiastica appellari solent bona pauperum, patrimonia egenorum, vota fidelium, bona Dei et s. p., clerici vero oeconomi et dispensatores non autem domini illorum bonorum. Ita s. Gregorius in epist. ad Julianum de seipso testatur, non res suas, sed ad dispensandum res pauperum habere; dispensatoris locum, ait ipse, in rebus, sicut scitis, pauperum tenemus. S. Bernardus in epist. ad Fulconem: quod praeter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est. Concilium generale Lateranense III cap. 19 dicit: *Ecclesiarum bona et clericorum et pauperum Christi usibus sunt deputata.* c) Clerici olim nullam habuerunt facultatem testamento legandi res, quas ratione Ecclesiae obtinebant. Cujus rei plura habentur testimonia usque ad exitum XIV seculi. In conc. Lateranensi III cap. 9 ita est sancitum: «*licet clerici de his, quae... non habito respectu ad Ecclesiam pervenerunt ad ipsos, libere disponere valeant*; *de his tamen, quae consideratione Ecclesiae perceperunt, nulltum de jure possunt facere testamentum*».

114. Altera theologorum **sententia**, quae hodie est **communior**, **cle-**

---

[1]) Card. Bellarminns, *Epitula ad episc. Theanensem.*

ricos ad bona superflua in pias causas dispensanda ex sola religione vc. vi praecepti ecclesiastici **obligat.** Patroni hujus sententiae provocant ad s. Thomam, qui ita hac in causa ratiocinatur: «aliter dicendum est de illis ecclesiasticis bonis, quae principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum et ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium etc., et aliter de illis bonis, quae principaliter sunt attributa usibus ministrorum, sicut sunt praebendae clericorum et alia hujusmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum alius in suos usus assumit, quod est alterius: et ideo tenetur ad restitutionem tanquam defraudator rei alienae. In secundo vero non committitur peccatum, nisi per abusum: sicut et de bonis patrimonialibus dictum est. Unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam» [1]).

Haec altera opinio, teste Pallavicini, jam sat communis erat tempore Conc. Trident., cum enim sess. XXV quidam Patres addere vellent capiti I de reform: *episcopos esse dispensatores ecclesiasticorum proventuum*,— alii id improbarunt: *ne detrimentum inferret valde communi sententiae, quae docet eorum dominium penes illos esse* [2]).

Haec opinio, quamquam liberalior et minus tuta, est tamen probabilior tum gravitate argumentorum, tum auctoritate celeberrimorum patronorum. Praeter d. Thomam, eam sequuntur [3]) Dom. Soto, Molina, Lessius, de Lugo, s. Antoninus, Vasquez, Azor, tandem recentiores fere omnes, nisi excipiamus s. Alphonsum Lig., qui tamen ipse eam etiam probabilem esse agnoscit. Rationum et argumentorum, quibus suam sententiam tueri solent, haec est summa: In Conc. Lateranensi V: *clerici qui d. Officium non recitent* et in Conc. Trid.: *qui non resideant*, declarantur *fructus praebendae non facere suos* [4]); ergo, ratiocinando e contrario, consequitur, eos, qui officia aliaque debita adimpleant, fructus beneficii ecclesiastici facere suos. Porro, non constat, fideles, sua bona Ecclesiae dando, obligationem ex justitia imposuisse, superflua erogandi in pias causas; tacita autem, non clare apposita condicio in contractibus parum valet. Deiceps, ss. Patrum et

---

[1]) *Quodlibet*, 6 art. 12, ad. 3. Idem fere quod ad episcopos attinet: 2. 2 q. 185, art. 7.

[2]) Pallavicini, *Hist.* lib. XXIV, cap. 3 n. 4

[3]) Molina, Disp. 143; Lessius, lib. II, cap. 4, dub. 6, n. 43; Lugo, Disp. IV n. 2–8; Dom. Soto, lib. X, q. 4, art. 3.

[4]) Conc. Lateran., sess. IX § statuimus et Trid. Conc., sess XXIV, cap. 12 reform

Conciliorum effata, non est necesse, sensu rigoroso de obligatione justitiae interpretentur; aeque enim accomodari possunt obligationi charitatis vel religionis, eo magis, cum ss. Patres superflua laicorum etiam bona pauperum non raro appellent. Ita, s. Augustinus: *superflua divitum necessaria sunt pauperum. Res alienae possidentur, cum superflua possidentur* [1]. S. Gregorius Mag.: *cum quaelibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur* [2]. Quae ss. Patrum effata utique non de rigorosa justitia sunt interpretanda. Ecclesia quidem antiquitus invalida declarabat clericorum testamenta, quibus bona ecclesiastica legarent: maxime enim decet ministris Ecclesiae, ratione status et vocationis altae, succurrere pauperibus et piis causis; aeque hodie sub culpa gravi ad superflua in pios usus eroganda clericos Ecclesia obstringit. Ita Benedictus XIV, argumentis pro utraque opinione accurate expositis, neutrius patrocinium suscipit et ipsos episcopos monet, ne illam controversiam in suis synodis dirimant, quemadmodum nec Conc. Tridentinum, nec s. Carolus Barromaeus illam definivit; simulque tamen hortatur: *urgeant ipsi* (episcopi) *et inculcent clericis, ex Ecclesiae stipendiis victitantibus, gravem obligationem, quam habent, elargiendi pauperibus aliisque piis usibus applicandi redundantes sibi ecclesiaticos reditus* [3].—Tandem patroni hujus benignioris sen tentiae provocant ad quadruplicem bonorum Ecclesiae divisionem, quae sec. V a Simplicio Papa est facta, vi cujus episcopis, clero inferiori, pauperibus, fabricae Ecclesiae erant singulae partes assignatae; exinde concludunt, quae clericis tunc temporis et deinceps contigerint, esse sua. S. Alphonsus [4] et plures alii hanc divisionem in dubium vocant.

115. **Pro usu vitae.** Ex argumentis et rationibus pro utraque controversa opinione succincte expositis satis apparet, obligationem superflua in pias causas ex justitia erogandi esse saltem valde dubiam. Quapropter clerici, qui illa bona in usus profanos impendunt vel testamento consanguineis in conspicua quantitate legant, quamquam mortaliter peccant et ad se in posterum emendandos obligari possunt, confessarius tamen et ipsis clericis non liberalibus et eorum consanguineis heredibus rigorosam obligationem restitutionis, absolutionem denegando, imponere nequit, cum de obligatione justitiae non certo con-

---

[1]) S. Aug. in Ps. 147, n. 12.

[2]) S. Greg. M., *Reg. Pastor.*, lib. III, cap. 22.

[3]) *De Synod. Dioeces.*, lib. VII, cap. 2.

[4]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 492.

stet. Altera tamen ex parte quemadmodum beneficiarius saltem contra religionem vel caritatem mortaliter peccat, bona superflua in usus profanos impendendo, ita etiam peccant consanguinei aliique, qua causa movens, si importunis blanditiis vel fraude beneficiarium ad illa bona ipsis conferenda inducunt. Accipiendo tamen, quae ipsis a clericis proprio motu offeruntur, consanguinei non videntur peccare; quandoquidem non semper constat, utrum beneficiarius e bonis ecclesiasticis, an ex propriis industrialibus dona elargiatur; nemo autem malus praesumitur, nisi probetur; sed etiamsi certo superflua ecclesiastica bona consanguinei aliive acceperint, dummodo id bona fide fit, nec contra religionem, nec contra caritatem peccant, illa retinendo. «Non contra relígionen peccant, ait s. Alphonsus, quia tunc ipsi minime cooperantur peccato donantis; licet enim dominium rei non transferatur sine eorum acceptione, tamen peccatum donantis jam per ipsam oblationem etiam externe omnino consumatum est... neque contra charitatem ratione damni, quod ex illa donatione pauperibus obvenit, quia caritas non obligat hominem, ut cum suo aequali damno alienum nocumentum evitet [1]. Ceterum, beneficiarii obligatio, e virtute religionis superflua in pias causas erogandi, est mere personalis, quae suos heredes non ligat. Nihilominus nemo ignorat, recte adnotat, Delama, infelicissimum exitum bona haec a clericis ad consanguineos aliosque ditescendos relicta sortiri atque Dei maledictionem in cetera quoque istorum bona evocare [2]; quae res pariter a vulgo est perspecta; unde proverbium lithuanicum dicit: *kunigo naudą visi velnei gaudo.*

Sane controversia de superfluis restituendis hodie, nisi quasdam regiones, ut Hungariam, ex parte Hispaniam excipiamus, parum usui venire videtur, nam beneficia et pensiones, quae Ecclesiae ministris praestantur, soli vitae honeste tolerandae sufficere dicuntur. Ipsa tamen controversia sit clericis monitum, eosdem ex mente Ecclesiae ad vitam magis sobriam computatamque agendam et ad eleemosynas pauperibus liberaliores, quam personae civiles, elargiendas teneri. Et si quisque hominum ex praecepto charitatis succurrere debet pauperibus etiam in necessitate eorum ordinaria, saltem quinquagesimam partem suorum redituum eis erogando, a fortiore ad id tenentur ministri Ecclesiae, quos patres pauperum plebs christiana appellare solet; te-

---

[1]) **S. Alphonsus**, lib. IV, n. 492. Idem Cf. **Lugo**, Disp. IV, n. 50; **Molina**, Disp. 328.

[2]) **Delama.** *Tractatus de Justitia et Jure*, p. I, n. 32 corrolarium.

nentur autem ex praecepto charitatis ad has eleemosynas elargiendas ministri Ecclesiae non solum ex bonis quasi-ecclesiasticis, sed aeque ex quibuscunque proventibus suis, exemplum praestando iis, quos verbis evangelicis monent: *qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* (1 Ioan., III, 17).

d) Dominium Ecclesiae.

116. Ecclesia, cum sit societas perfecta, gaudet pleno dominio suorum bonorum, eaque potest jure divino acquirere, administrare, iisdem pariter uti, atque generatim in causa suorum bonorum est sui juris, quo spoliari nequit; qui vero contrarium praesumpserit, excommunicatione latae sententiae Summo Pontifici speciali modo reservata plectitur [1]) Quemadmodum Ecclesia universalis, ita etiam singulae particulares ecclesiae canonice erectae gaudent pariter pleno jure bona acquirendi, gubernandi, iisdem fruendi; et suis bonis, legitime obtentis, non possunt absque injuria etiam in gratiam alterius ecclesiae privari, nis annuente Sum. Pontifice. Quapropter, quando aliqua parochia ratione vastae amplitudinis, aut numero fidelium aucto, in duas partes dividitur (*potest dividi etiam invito parocho*), bona immobilia penes ecclesiam matricem remanent; «*illis vero sacerdotibus*, ait Conc. Trid., *qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio* (pensio annua) *arbitrio episcopi, ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus*» [2]). Jure civili Rossico ad erigendam novam parochiam in spatio non vasto saltem 100 familiae (*сто дворовъ*) requiruntur [3]).

Quodnam sit *subjectum universi dominii ecclesiastici*, non satis constat inter theologos: alii Christum Dominum proprietarium omnium Ecclesiae bonorum esse arbitrantur, alii Summum Pantificem, tandem alii, ut Molina [4]), universalem Ecclesiam cum suo supremo capite et ipsi subordinatis episcopis aliisque ecclesiarum rectoribus. Quidquid tamen sit, inter omnes certo constat, Romano Pontifici, qua Supremo

---

[1]) Constitutio „*Apostolicae Sedis*" Exc. XI.

[2]) Conc. Trid. sess. XXI cap. 4 reform.

[3]) Св. Зак. т. XI, кн. 1, ст. 124, прим. 1.

[4]) Molina, Disp. 142.

Ecclesiae Rectori atque visibili Ecclesiae Capiti secundum canones competere plenitudinem potestatis in bona ecclesiastica atque plenariam bonorum ecclesiasticorum temperationem. Qua suprema potestate Summi Pontifices nonnunquam sunt usi, cum injustam bonorum Ecclesiae alienationem, ad majora damna praecavenda, ratam haberent.

117. Aeque *episcopi*, unusquisque in propria dioecesi, salva suprema Rom. Pontificis auctoritate, sunt primi bonorum ecclesiasticorum administratores, quibus ceteri rectores subsunt et subesse debent. Episcopi tamen absque beneplacito apostolico bona immobilia aut mobilia pretiosa alienare nequeunt; secus alienatio invalida esse reputatur. Antiquitus res pretiosa esse censebatur, quae valorem 25 scutorum aureorum excedebat[1]); hodie, quando pecunia pretio multo viliore usu venit, res non censetur esse pretiosa, quae valorem 200 rubelorum non superat.

Singuli *parochi* bona ecclesiastica suae parochiae gubernant, qua administratores ordinarii, iisdemque frui possunt, in quantum sunt sibi necessaria ad vitam honeste agendam; nihil tamen possunt ex eorum substantia alienare aut destruere, nisi sit nullius momenti; imo etiam res, forma et specie corruptas aut antiquatas, quae nulli usui obvenire videntur, non facile propria auctoritate destruere possunt, cum ratione antiquitatis, qua res rarae, suum pretium non semper amittant, contra, nonnunquam cariora efficiantur. Generatim parochi in bonis ecclesiasticis administrandis subsunt episcopo dioecesano, qu eorum gubernandi facultatem potest restringere, definiendo ipsum modum eadem regendi, potest etiam exigere, ut totius rei gerendae ratio sibi reddatur. Quo in casu sine dubio peccant contra oboedientiam et fidelitatem parochi, qui rerum gerendarum fictam mittunt episcopo rationem, aut aliquid contra episcopi mandatum peragunt. Qui vero infideli aut negligenti sua gubernandi ratione damnum ecclesiae inferunt, insuper rei fiunt injustitiae et restitutioni sunt obnoxii, nisi bona fide excusentur [2]).

Jure civili de bonis ecclesiasticis haec sunt in Rossia decreta:

118. **Pro Imperio** [3]). Omnia post publicationem residua Ecclesiae bona mobilia et immobilia ab ipsis ecclesiarum rectoribus administrantur sub tutela et inspectione regiminis civilis; parochis insuper est

---

[1]) *Decret. S. Congr. Ep. et Regul.* 22 Maji 1611 an.

[2]) Cf. Marres, *De Justitia*, lib. I, n. 127—137.

[3]) Св. Зак. т. XI, кн. 1, ст. 111—132.

praeceptum, ut bona ecclesiastica juxta normam pro ecclesia S. Catharinae Petropolitana statutam [1]), nisi alicubi aliud sit decretum, regant et rationem administrationis suis superioribus (*episcopis*) reddant. Alienari aut obpignerari bona ecclesiastica absque Supremo concessu nequeunt; solae res inutiles et aedes vetustate obsoletae vendi possunt. Bona immobilia, episcopo permittente (*съ разрѣшенія епархіальнаго начальства*), locari ad certum tempus possunt; aedificia autem, si quae tunc a locatore in praedio ecclesiastico construantur, ecclesiae adjudicantur, remuneratione peracta (ст. 118). Ecclesiae pecunia apud mensam publicam (*государственныя кредитныя мѣста*) collocari debet aut, permittente Ministro officiorum internorum, etiam personis privatis cum fenore credi potest (ст. 119) Subnotare et custodire rationes utendi hac pecunia pertinet ad Spirituale Collegium (ст. 120). Monasteria, si quae adhuc supersunt, absque Supremo concessu bona immobilia acquirere nequeunt; ecclesiae seculares id possunt, annuente Ministro officiorum internorum, si bona pretium 5000 rubelorum non superant; secus requiritur **Imperatoris** gratia (ст. 113). Bona autem mobilia et pecunia, consentiente Ministro off. intern., tum eclesiis, tum monasteriis offerri possunt (ст. 114). Post clericos absque testamento defunctos, omnium bonorum *mobilium*, quae reliquerunt, quartam partem obtinet ecclesia, cui postemo ministrabant (ст. 115). Annuae pensiones tum ecclesiasticis institutis, tum ecclesiarum ministris e publico aerario solvuntur; exinde etiam congrua cujuscunque dignitati viatica (*прогоны*) obtinere possunt clerici, si officii vel muneris causa ab ipso regimine civili mittantur (ст. 98—103). Extraordinaria subsidia tum sacerdotibus, tum ecclesiis indigentibus, consentiente Ministro, solvuntur de centesimis pecuniae, quae dicitur auxiliaris (*вспомоществовательный капиталъ*) et cujus custodia Collegio Spirituali est commissa: ipsa pecunia (*капиталъ*) salva remanente, ex centesimis, consentiente Ministro of. int., singulis vicibus expendi possunt personis 900 rubeli, reaedificandis autem ecclesiis 10000 rubelorum; pro majore subsidio requiritur Suprema Gratia (ст. 128—132). Presbyteri senectute vel morbo confecti etiam e Collegio Spirituali subsidium quotannis intra 50 et 100 rubelos obtinere possunt, in monasteriis autem ad id destinatis, habitaculo et lumine gratis gaudent (ст. 107).

---

[1]) Т. XI, кн. 1, приложеніе къ ст. 123.

119. **Pro regno Poloniae** [1]. Omnia Ecclesiae bona tum immobilia (*exceptis aedeficiis et iis proxime accedente exiguo fundo*), tum pecunia pleno jure proprietatis fisco sunt addicta, inde singulae ecclesiae et earum ministri annuam obtinent pensionem (ст. 153, 154). Bona, quae a fidelibus dono tribuntur ecclesiis (*non vero ipsis ministris*), pari modo custodiae et auspiciis Ministri of. int. committi debent: bona immobilia venduntur et obtenta pecunia traditur tutelae Ministri, qui omnem ecclesiarum sortem pecuniariam apud mensam publicam collocat, ipsas vero schedulas Collegio Spirituali Petropolitano transmittit (ст. 171—173). Si quidquam e pecunia, quae ecclesiis Regni Poloniae earumque ministris quotannis assignari solet, sub finem anni superest, id tum singulis ecclesiis reparandis, tum sacerdotibus erga Ecclesiam et Statum bene meritis arbitrio Ministri of. int. impenduntur (ст. 169). Est prohibitum, quominus decimae sententia judicis exequantur (ст. 160). Ubi jure patronatus non privatae personae, sed Status aliqua ratione gaudet, ibi in consilio aedituorum (*dozór*) magister vici (*wójt gminny*) praesidet, et omnia pluralitate votorum decernuntur (ст. 177, 180); nulla onera aut tributa in favorem alicujus ecclesiae reparandae absque consensu vici imponi fidelibus parochianis possunt (ст. 178). Singulis monasteriis, quae potestate civili sunt obfirmata (*штатные*) quotannis 1750 rubeli solvuntur, et numerus monachorum 14 personas superare nequit. Monasterium tamen Częstochowiae gaudet singulari privilegio, vi cujus numerus patrum Paulinorum ad 24 personas pervenire potest, et annuam pensionem tria milia rubelorum obtinet (ст. 190). Monasteria, ubi numerus regularium octo personas non adaequat, a Ministro of. int., inito consilio Generalis Gubernatoris, supprimi possunt (ст. 187). Praeter annuam pensionem monasteria jure proprietatis reditus stolae obtinent (ст. 194). Post defunctos clericos, qui saltem aliqua ratione beneficiarii dici possunt, ecclesia, cui ministrabant, quartam obtinet partem bonorum industrialium, non vero patrimonialium; quam partem nequit beneficiarius testamento alicui valide legare. Beneficiarii esse censentur omnes, titulo perpetuo canonice instituti: archiepiscopus, episcopi, praelati, cathedrales et collegiales canonici, parochi, ecclesiarum rectores, perpetui vicarii etc., non autem: rector, inspector, professores

---

[1] Decreta d. 27 Oct. 1864 et d. 14 Decembr. 1865 an. Св. Зак., т. XI, кн. 1, раздѣлъ II.

in academia aut seminariis, pater spiritualis, bibliothecarius, capellani scholarum, vicarii ad tempus, emeriti, altaristae et s. p. [1]).

e) Dominium auctorum.

120. *Dominium auctorum est illud jus, quod auctores in fetus sui ingenii, certa forma conceptos, habent. Subjectum* hujus dominii sunt scriptores, artifices cujuscunque generis, concionatores, professores, tandem inventores rerum novarum. Objectum vero constituere possunt: opera vel dissertationes certa forma conceptae (*non ipsi libri in individuo*), conciones, praelectiones, imagines, cantus modis musicis excepti, novae artes industriales inventae etc. Pressius objectum dominii auctorum definire est admodum difficile. Enim vero non raro sola nova forma, qua res aliunde notae excipiuntur, constituit objectum hujus domini, ut: corpus legum ab aliquo in systema redactum, catenae sententiarum vel proverbiorum, collectaneae cantilenarum vulgi, farrago locorum ex operibus poëtarum vel scriptorum conquisita etc. Dominium auctorum neque est jus personale, cum etiam aliis personis, puta, consanguineis jure hereditatis vel bibliopolis per contractum alienari possit et non solam det actionem in aliquam personam, sed quoddam jus ad rem; simulque tamen non est jus reale, proprium quod dicitur, cum suum objectum non sit res, sed fetus mentis vel ingenii, certa forma externa conceptus; dici fortasse potest jus spirituale, vel mentale.

De dominio auctorum apud antiquiores theologos aut etiam juris peritos nulla occurit mentio; neque est mirum: enim vero, quo tempore ars libros typis exscribendi ignorabatur, vix aut ne vix quidem lucrum aliquod auctores e libris suis capere poterant. Sed etiam arte typographica inventa non continuo jus auctorum est agnitum, cum res ipsa gravibus difficultatibus non careat, potissimum quod ad objectum et rationem juris auctorum attinet. Primum sub finem XV seculi in Italia (*Venetiis*) typographis et bibliopolis qua peculiare privilegium libros typis exscribendi et vendendi incoeptum est concedi, longe tamen alia ratione, quam hodie auctoribus jus agnoscitur. De proprio dominio auctorum primum initiis XVIII seculi inter jurisperitos anglos et germanos (*Leibnitz*, *Kant*, *Fichte*) incoeptum est disceptari. Lege po-

---

[1]) **Cod. Pol.** art 723. appos. decr. d. 6 Jan 1824 an. et d. 16 Apr. 1862.

sitiva civili jus auctorum primum in Anglia 1709 an. est confirmatum. Tandem seculo praeterito lege civili omnium civitatum jus auctorum et agnoscitur et moderatur; nihilominus usque modo non omnes hac in causa difficultates, praesertim quae ad naturam et ipsum objectum dominii auctorum pertinent, a theologis et juris peritis sunt solutae. Omnes quidem theologi agnoscunt auctori jus in fetus sui ingenii, quousque illos palam nondum fecit; nihil enim homini magis est suum, quam fructus internarum facultatum. Hinc, quemcunque contra justitiam peccare dicunt theologi et ad damna exinde provenientia resarcienda obligari, qui inventori alicujus artis aut novi instrumenti secretum surripuerit ipsoque invito aut simpliciter inscio illud publici juris fecerit, item qui opus manuscriptum, auctore invito, typis mandaverit.

121. Simul tamen ac fetus ingenii certa forma externa conceptus, multiplicatis exemplaribus, ab auctore est divulgatus, juris periti et theologi animo cadunt, nec, quid auctori tunc sit concedendum, compertum habent. Fatentur quidem in genere auctori jure naturae esse agnoscendum aliquod emolumentum tum ratione laboris et industriae, tum ratione sumptuum, quos facere potuit; quid tamen in specie sit decernendum, arbitrio legis civilis concredunt, cujus patrocinium invocant. Ita ex. gr. gravissimus nostrae aetatis in rebus morum theologus *Lehmkuhl* ratiocinatur: illud etiam dicendum est, accuratos tandem limites assignare, quamdiu et quousque jus auctoris extendatur, perdifficile esse. Imo, cum illimitatum jus auctori ejusque successoribus tribuere, communi utilitati nocivum fieri possit, nihil aequius est, quam ut leges positivae jus auctorum tum defendant atque protegant, tum accuratius definiant [1]). Alii, ut *Waffelaert, Génicot* [2]), jus strictum auctori certe agnoscunt ad fructus primae publicationis; de reeditione praecavenda ancipites haerent. Haec nostra conclusio sit, ait Waffelaert, auctorem et inventorem jus habere ad fructus primae publicationis et praeterea omnino decere et aequum esse, ne alii per reeditionem hujusmodi operis ipsum impediant a lucro convenienti percipiendo; sed *haud satis constare de stricto jure auctoris ad hujusmodi reeditionem praecavendam* [3]). Ex hisce verbis sequi videtur, auctorem habere jus

[1]) Lehmkuhl, *Theol. Moral.*, p. I, t. II, n. 904.

[2]) Génicot, *Theol. Moral.*, t. I, n. 477—478. — Waffelaert, *De Justitia*, t. I, n. 171.

[3]) Lord Beaconsfield suum opus, quod *Endymion* inscribitur, decem milibus librarum anglicarum editori vendidit. Tempore, quo liber typis imprimendus erat,

ad fructus primae publicationis, etiamsi prima editio decem milibus exemplarium constet; quid igitur, si auctor tantum mille exemplaria typis impresserit? Num ergo secunda editio jure aequitatis ei amplius non adjudicabitur? Ultra progreditur *Vermeersch*, cum dicit: ultra quam statuunt leges, nequit urgeri, saltem ex justitia, aliqua prohibitio sive vertendi librum in alterum sermonem, sive illum denuo edendi, sive imitandi quodpiam inventum..... Omissa lege positiva, si conciones, praelectiones vere fuerint in publico habitae, poterunt, salvo justitiae officio..... mandari typis invito magistro vel oratore.... Confirmatur nostra sententia eo, quod viri integrae famae et timoratae conscientiae fere integras aliorum lucubrationes in sua opera transtulerunt, etiam omissa fontis indicatione.... Ita s. Bonaventura in suis commentariis de sacramentis.... [1]). *Gury quaerit*, an ille, qui librum typis edidit, jus habeat impediendi, ne quisquam illum praelo committat et vendat cum damno auctoris aut bibliopolae, cui auctor jus suum transmisit? *Respondet*: si agatur de jure naturali, controvertitur. Probabilius videtur, auctorem non habere jus perpetuum in opus suum, quia res in communitatem semel tradita, fit eo ipso de jure communi [2]). Ergo, qui primum exemplar novi editi libri emit, potest statim eum denuo edere et nova exemplaria, salva justitia naturali, viliore pretio cum damno auctoris vendere? *Ant. Ballerini* in nota huic causae apud Gury apposita perquam recte animadvertit: „haec ratio forte evinceret, fas esse cuique segetes aut uvas sibi sumere ad libitum, quod agri aut vineae dominus eas custodire non valet. Sane, si lex ipsa naturae postulat, ut cuique jus suum in fructum industriae atque ingenii sui servetur, fructus autem industriae in re nostra percipi nullus possit, nisi in communitatem opus, ut dicunt, tradatur, profecto eadem lex naturae postulat, ut traditio seu evulgatio operis in communitatem auctorem fructu industriae suae non privet."

---

navis, ad quemdam portum Angliae appulsa cum praeparato prelo typographico, clam exspectabat momentum opportunum. Furata sunt exemplaria corrigenda et, antequam navis Eboracum *(Novum Jorcum)* adiit, nova exemplaria sunt in itenere impressa et, lege positiva id non prohibente, pretio viliore venebant. Editor legitimus exinde certe magnum damnum est passus. Ergone dici possit, haud satis constare de stricto jure auctoris hujusmodi reeditionem praecavendi, quamdiu non intervenerit lex positiva?

[1]) Vermeersch, *Quaestiones de Justitia*, q. V, n. 250, 251, 248.

[2]) Gury, *Compendium Theol. Moral.* cum adnot. Ant. Ballerini, t. I, n 56..

122. Hinc jam cuique satis apparet, quanta sit inter theologos opinionum diversitas et incertitudo in causa auctorum. Omnia me convincunt, **auctori ipsa natura inesse jus perpetuum, fetum sui ingenii determinata forma conceptum in publicum edicendi et exinde lucrum capiendi.** Reipsa, quisque agnoscit auctori jus naturale in fructum sui ingenii, quousque in vulgus nondum est pronuntiatum; nihil enim homini magis est proprium, quam fructus sui ingenii. Auctor igitur qua verus dominus de re sua pro arbitrio decernere potest; eandem locando vel alienando, quas voluerit, apponere potest condiciones, dummodo honestati, alicui legi positivae justae, aut aliorum juri ne adversentur. Auctor vero, suum opus certa forma conceptum in publicum edicendo et venale exponendo, praesumitur singulis emptoribus pro pretio relative exiguo *solum usum privatum* concedere, non autem ipsam facultatem divulgandi illud et exinde absque ullo titulo lucrum sibi capiendi. Hinc, si fetus ingenii sunt comoediae typis mandatae, quisque emptor habet plenum jus in hunc vel illum librum in individuo; ipsarum tamen comoediarum in ea forma, qua sunt conceptae, obtinet solum usum privatum; quapropter emptor ejusmodi libri, potest comoedias legere, addiscere, ingenium perinde exercere, etiam publice explicare [1]), non vero, easdem arte typographica divulgando vel in scenam *publice* inducendo, absque saltem tacito consensu ipsius auctoris, inde lucrum ex re aliena capere. Altera ex parte quemadmodum auctor, qui suum opus typis divulgavit, non potest prohibere, quominus emptor ejus librum legat, ita pariter, qui novam stellam in firmamento detexerit, divulgata ejus notitia, non potest expostulare, ne alii, ipso invito, stellam istam considerare audeant [2]). Nisi auctoribus *ipsa natura* jus agnoscatur apponendi suis divulgatis operibus illam implicitam condicionem, qua proprietas in fetum sui ingenii et facultas illum divulgandi sibi reserventur, causa nunquam plene dirimetur nec difficultatibus carebit. Illam autem condicionem implicite apponere auctores et praesumuntur, et juste id possunt: sunt enim veri domini fetus sui ingenii et, si res externa suo domino fructificat, a fortiore id affirmandum est de facultatibus hominis internis; fructum vero propriae industriae auctor nullum potest percipere, ut recte Ballerini animadvertit, nisi opus in communitatem tradat, simulque sibi soli etiam in

---

[1]) NB. Quando explicat vel illustrat publice, proponit non eadem forma, qua ab auctore res est concepta; ergo proponit aliquid suum, non alienum.

[2]) Cf. Bucceroni, *Theol. Moralis*. De justitia, n. 32 et seq,

posterum reservet jus illud divulgandi. Hinc, ut omnia subsumam, auctor, fetum sui ingenii in publicum edicendo, singulis *emptoribus* concedit *usum* exemplarium, *sibi* autem, quousque res essentialiter in sua forma manet, reservat *jus proprietatis* ipsius fetus vel operis *ejusque usumfructum*, idque reservare potest in perpetuum jure naturae, qua verus rei dominus; quem usumfructum potest vel pleno jure vel ex parte locare bibliopolis, potest etiam jure hereditatis successoribus concedere; imo, nisi contrarium sit compertum, post mortem praesumitur iis concessisse; magis enim aequum esse videtur, ut legitimi successores fructum capiant ex re pretiosa suae familiae, quam aliquis negotiator aut bibliopola absque ullo titulo.

123. *Pluribus jurisperitis et theologis esse videtur periculosum, jus auctoris agnoscere perpetuum*, ne tali pacto pretium alicujus operis vel industriae inventae per decursum seculorum immerito in immensum augeatur. Timor profecto inanis! Si opus est exile et ineptum, tineae illud hereditate obtinebunt; si autem opus est reipsa gravissimi momenti, nec seculis decurrentibus aestimationem amittit, ut Divina Comoedia Dante, vel Summa Theologica d. Thomae, quis ei pretium definitum constituet? Porro, si alicujus operis aut artis inventae per longum tempus nullam habent curam consanguinei et, hereditatem inter ipsos dividendo, nullam mentionem illius operis aut artis faciunt, merito censeri possunt de jure suo cessisse in bonum publicum, et ipsa res, qua derelicta, est habenda.

Num ergo, quaeris, *nihil negotii et juris in causa auctorum lex positiva habeat*? Id minime dico. Jus quidem auctorum in fetum proprii ingenii est naturale et naturā perpetuum. Sed plura jura hominis naturalia, modo ne sint naturae negativae, lex positiva temperare et moderare potest virtute jurisdictionis, quando id aut bonum Reipublicae postulat, aut alia gravis ratio suadet. Multa sunt, ait Lugo, jure naturae permissa, quae tamen justis de causis jure humano aliquando prohibentur; alioquin nec esus carnium posset aliquando ab Ecclesia prohiberi, quia jure naturae licitus est [1]. Homo, natura duce, potest libere contractus inire, dominium rerum acquirere et alienare; nihilominus lex positiva ad eadem temperanda pro bono publico multum valet. Ita homo, ut mihi probabilius esse videtur, bona sua jure naturae potest consanguineis hereditate legare, et tamen lex positiva etiam jus hereditatis in multis potest coercere et ad certum consan-

[1] Lugo. *De Justitia,* Disp. IV, n. 52.

guinitatis gradum restringere. Idem valet lex positiva et in causa auctorum, quando id bonum Reipublicae postulat.

124. Imprimis, **est legitimae potestatis** *ipsum objectum juris auctorum pressius definire*, quando id per se non est certum: non omnia enim dicteria semel ore prolata, non omnis etiam exiguus locus de ephemeridibus, non quaevis immutatio rei aliunde notae objectum juris auctoris constituunt. Porro, lex positiva potest etiam *jus auctoris* in fetum sui ingenii, jus naturā perpetuum, *ad tempus determinatum restringere*, et quidem juste et aeque, cum id ad bonum publicum vel maxime conducit; tali enim ratione praecavetur incuria et negligentia heredum, simulque avertitur periculum, ne libri aliunde utilissimi, vel artes industriales novae, e commercio prorsus subtrahantur; tandem, quia quodvis monopolium diuturnum in damnum Reipublicae vertitur et pretium rerum plus justo augere solet, ideo legitima auctoritas virtute jurisdictionis ad damna communitatis praecavenda potest cupiditatem auctorum eorumque heredum coercere, ipsis solummodo ad definitum tempus indulgendo monopolium. Quod tamen tempus nequit ipsis nimis breve concedi, ne digna mercede spolientur: in conventu eruditorum *Bruxellae* (*1858 an.*) tempus 50 annorum, cujus intervallo scriptoribus monopolium indulgeretur, maxime congruens et aequum est agnitum. Tandem interventus auctoritatis legitimae eam etiam ob rationem in causa auctorum est vel maxime exoptatus, cum *sine patrocinio legis positivae scriptores et artifices sint inermes*, neque ipsi soli ad suum jus tuendum valeant. Hinc saltem nostra aetate omnes gentes excultae suarum legum sanctionibus proprietatem scriptorum et artificum, quamquam non eodem modo, et agnoscunt et tuentur; ubi tamen leges positivae hac in causa desunt, valet jus naturale. Quandoquidem tamen legum positivarum sanctiones solos cives ligat et intra determinatos tantum fines regionis urgeri possunt, ideo jus auctorum ab exteris impune eluderentur, nisi gentes ex communi conventu et pacto id praecaverent. Cujus rei gratia *Berni 1886 an.* indicta est *conferentia internationalis*, in quam suos delegatos miserunt regna: gallicum, anglicum, germanicum, italicum, hispanicum, belgicum, helveticum, quorum tamen mutuis pactis Rossia se non obligavit. Postremis annis scriptores gallici, quorum opera in linguam rossicam sine remuneratione transferri identidem solent, multum contendebant, sine fausto tamen eventu, ad mutua pacta inter Rossiam et Galliam in causa auctorum ineunda.

125. **Jura auctorum et artificum** *tum in Imperio Rossico, tum in Regno Poloniae* ab anno 1869 iisdem temperantur legibus civilibus et quidem: scriptores, interpretes, musici vel tibicines, qui cantus numerosque moderantur, item pictores, quo tempore vivunt, habent exclusivum privilegium reproducendi suum opus, ejusque exemplaria vendendi; quod privilegium etiam ad heredes transit, qui per 50 annos post mortem auctoris obtinent monopolium illius operis. Opera posthuma, vc. vivo auctore nondum in lucem edita, gaudent privilegio 50 annorum post primam divulgationem [1]). Iisdem fere juribus gaudent scriptores et artifices liberales pariter *in Gallia*, eo tamen cum discrimine, quod in Gallia scriptores gaudent etíam monopolio, suum opus vertend in aliam linguam; in Rossia autem lege non est prohibitum, quominus quilibet alienum opus litterarium in aliam linguam transferat, nisi auctor id sibi expresse reservet; quo in casu ipse versionem praeparare debet intra duos annos; alioquin sua reservatio nihil valet. Artifices industriales vel inventores rerum novarum, ut monopolium suae artis vel industriae *in Rossia* obtineant, debent privilegium emere: pro tribus prioribus annis solvunt 90 rubelos, pro 5 annis—250 r., pro 10 an.—450 rub.; tandem pro 12 an. 2500 r., pro tempore longiore privilegium non conceditur [2]). *In Gallia* inventores artium industrialium monopolium obtinere possunt ad 5, 10 vel 15 annos, prout petunt; in primo casu solvunt 300 francos, in secundo 800, in tertio 1500; diploma, quo monopolium novae industriae conceditur, brevet d'invention dicitur. *In Borussia* auctorum privilegium non extenditur ultra 30 annos post mortem primi editoris (9 Jan. 1876 an.). Ad obtinendum autem monopolium artis inventae pro 12 annis solvenda sunt 3300 Markes. In *Austria* scriptores litterarii et scientiarum juribus suis per 50 annos fruuntur. In *Anglia* auctores habent privilegium ad 7 annos post suam mortem heredibus tribuendum, aut ad 42 annos a príma operis editione.

126. **Pro usu vitae** haec de dominio auctorum adnotare expedit: cum ipsum objectum hujus juris non semper sit compertum, cumque tum juris periti, tum ipsi theologi non unum idemque de natura et amplitudine hujus dominii sentiant, ideo in aliquo dubio particulari de jure auctorum, nisi id lege positiva sit definitum, latior interpretatio, quae libertati favet, merito admitti potest; potissimum íd valet in casu,

---

[1]) *Гражд. Зак.* ст. 1185 и прилож. къ ст. 420.

[2]) *Промышл. Уставъ* ст. 167—191; см. *Новое Время*, 1896 г., № 7243.

quo nullum prorsus detrimentum auctori obventurum esse praevidetur. Quapropter ludere comoedias ab auctore typis mandatas aut declamare versus in aliquo circulo privato sine ullo lucro proprio, conficere catenas aureas ex sententiis aliorum scriptorum, allegare in suo opere etiam longiores locos alienos, vertere opus alienum in aliquam linguam parum notam et a regione auctoris maxime dissitam et s. p. non videtur esse injustum, cum consensus ipsius auctoris tunc merito praesumitur; hic enim nihil aliud intendere supponitur, quam ne fraudetur lucro, quod ex fetu sui ingenii obtinere possit. Jura autem auctorum et artificum, quae lege positiva sunt definita, valent in conscientia et sine injustitia violari nequeunt; reus hujus injustitiae tenetur omnia damna, legitimo auctori obvenientia, resarcire [1].

f) De personis moralibus.

127. Praeter singulos homines, qui natura sunt dominii capaces, etiam plures personae collective acceptae, ratione alicujus finis communis, considerari possunt velut unum corpus morale, capax dominii aut ipsa natura, aut privilegio legis positivae. Hujusmodi corpora moralia sunt societates humanae. **Societates humanae perfectae**, ut Ecclesia et Respublica, sunt ipsa natura dominii capaces: lex positiva earum jus non instituit, sed agnoscit. *Objectum dominii Ecclesiae* constituunt bona temporalia ipsi a fidelibus pie oblata et variae religiosae fundationes, in quibus possidendis et administradis Ecclesia, qua societas in se perfecta et suprema, est sui juris. *Objectum dominii Reipublicae* sunt publicum aerarium et proprietas nationis, quae dicitur; haec esse potest vel privata Reipublicae, ut sunt quaedam praedia, aedificia, fabricae (*государственныя имущества*), vel publica, si usui omnium obveniunt, ut: viae publicae, fluvii navigabiles, aliaque ejusmodi.

---

[1]) Взысканіе за самовольное изданіе (контрафакцію) состоитъ: во-первыхъ, въ возвращеніи отъ виновнаго законному издателю всего того убытка, который исчислится по соображенію дѣйствительной платы за все изготовленіе экземпляровъ самовольнаго изданія, съ продажною цѣною, отъ законнаго издателя прежде (т. е. при собственномъ изданіи того же произведенія) объявленною; во-вторыхъ, въ отобраніи наличныхъ самовольнаго изданія экземпляровъ, которые и обращаются въ пользу законнаго издателя.—*Примѣч. II къ ст 420; § 20.*

Quemadmodum Ecclesia, ita pariter Respublica, cum sit secietas in se perfecta et independens, omnium suorum bonorum habet plenum dominium, quorum administratores principes sunt, qui supremum tenent imperium.—Praeter societates perfectas, quae ipsa natura sunt capaces proprii dominii, habentur etiam **societates imperfectae**, ut variae hominum consociationes, collegia, communitates, pia instituta, quae licet non ex se, privilegio tamen juris positivi declarantur dominii capaces et dici possunt *corpora juridica*. Quae corpora pro diverso fine, quem sibi constituunt, appellari solent *aut personalia*, *aut communitates rerum*. Illa finem sibi decernunt aliquod lucrum temporaneum a singulis corporis membris capiendum, hae alicui beneficio publico spirituali vel profano inserviunt. Illius generis corpora sunt: consociationes mercatorum, societates quaestuariae (*towarzystwa akcyjne*), societates eorum, quae de damnis pensandis mutuo spondent (*towarzystwa asekuracyjne*), aliaque similia, quae saltem improprie dici possunt *personae* juridicae. Quodvis membrum hujusmodi corporis juridici habet jus reale ad aliquam partem bonorum communium, juxta tenorem contractus initi; quod jus aeque ad legitimos successores hereditate transit.—Contra, *communitates rerum* nullo pacto dici possunt *personae*, cum subjectum dominii harum rerum non sint homines, sed ipsa instituta fundata; homines solummodo earum beneficio, habita ratione finis et propriae indigentiae, utuntur; nihilominus fictione juris etiam instar personarum haberi solent.

128. Pro triplici fine, quem hae **communitates rerum** prosequi possunt, triplicis generis distinguuntur: vel enim spectant *ad religionem*, ut fundationes conditae ad sacra peragenda, *vel ad artes et scientias* in societate promovendas, ut academiae, scholae, studiorum stipendia, vel tandem complectuntur *hospitia et benefica instituta* pro infirmis, pupillis, senibus, indigentibus, lapsis etc. Hisce rerum communitatibus saltem ex parte accedunt *municipia*, quae pro fine aeque non lucrum singulorum membrorum habent, sed tranquilitatem et prosperitatem urbis, alicujus societatis, municipii. *Omnia corpora juridica* in Rossia subsunt tutelae, auspiciis, inspectionique Status et moderantur regulis vel normis (*уставъ*) a potestate civili decretis vel saltem approbatis. Hisce regulis vel normis determinari solet tum finis alicujus in specie corporis juridici, tum modus et ratio curam rerum communium gerendi, tandem privilegium, quo corpus juridicum gaudet. Quod privilegium triplicem continere solet facultatem, vc. jus acquirendi et possidendi bona sub quibusdam condicionibus, jus

obligationes in se suscipiendi, tandem jus versandi in foro ad sua jura defendenda. Regulae et normae a legitima auctoritate statutae vel saltem approbatae (*in causis profanis a Statu, in causis religiosis ab Ecclesia*) membra corporis juridici ejusque rectores obligant in conscientia. Insuper membra, quousque corporis juridici partes constitunt, ligantur pariter decretis, quae congruenter regulae statutae a legitimis corporis juridici rectoribus et administris edicuntur. Quae decreta legitimorum rectorum simul cum propriis regulis et normis censentur instar *collectivae voluntatis corporis juridici*. Singuli quidem homines propria voluntate cum damno proximi possunt abuti; non ita se res habet cum voluntate collectiva corporis juridici: haec enim, cum convenit regulis legitima auctoritate comprobatis, utitur suo jure et nemini injuriam facit, cum autem non convenit suis regulis, non est voluntas corporis juridici, sed singulorum ejus membrorum. Hinc, quidquid a singulis membris vel etiam a rectoribus quasi nomine corporis juridici in damnum exterorum agitur, non ipsi corpori juridico sed illis imputatur, qui soli in reparandam injuriam obstringuntur, nisi forte bona fide excusentur; tunc enim valet adagium: res domino (*societati*) perit.

Dominii acquisitio.

129. Si quando omnia bona jure naturae dicuntur esse communia, id minime significat, privatas rerum possessiones natura interdici, cum hae pro praesenti hominum condicione, ut aliunde constat, non solum licitae, sed generatim sint etiam necessariae. Illa dicendi ratione solummodo intelligi solet, tum in extrema necessitate cuique licere de rebus aliorum, quasi in hoc casu communibus, quantum satis est, sibi suppeditare, tum lege naturae non esse a principio decretum, quid ex omnibus terrae bonis cuique singulatim tribuatur. Cum igitur res ita se habeant, jam *quaeritur, qua ratione et modo singula bona externa hominibus jure meritoque propria addicantur?*

Ad privatum rerum dominium acquirendum imprimis utique requiritur, licet nonnunquam implicite tantum, *voluntas* hominis; haec tamen sola non sufficit; ut enim sit honesta, *legitimum titulum*, ut dicunt, habere debet. Titulus hic intelligitur radix et causa, ex qua

facultas legitima acquirendi oritur. Horum triplex genus habetur: aut enim est jus naturale vel gentium, aut jus positivum canonicum vel civile, aut tandem privatus hominum inter ipsos consensus. Titulus in genere confert tantum jus personale aut facultatem legitimam; ad obtinendum vero jus reale alicujus proprietatis opus est *honesto modo*. Sunt autem honesti modi: *occupatio*, *inventio*, *praescriptio*, *accessio*, *contractus*. Exceptis nunc contractibus, quorum peramplum argumentum separatam dissertationem exspectat, ceteros acquirendi dominii modos continuo considerabimus.

a) Occupatio.

130. Occupatio fuit primaevus modus dominii acquirendi, quando nempe homines erant numero pauci, terra autem divitiis et opibus affluebat. Sed neque hodie, facta bonorum divisione, hic modus usu exolevit; plures siquidem res usque adhuc nullius possessoris remanent, ut ferae in silvis, aves in aëre, pisces in fluminibus, gemmae in mari, loci inhabitati etc. *Occupatio est apprehensio rei corporalis, quae nullius dominio subest, animo eam sibi ut propriam retinendi.* Occupatio tali pacto accepta est honestus modus acquirendi dominii, enim vero res, quamdiu est nullius, peculiarem connexionem cum aliqua persona nondum habet, neque quis in ejus usu ceteris praefertur; est igitur ipsa in neutris partibus, otiosa, indifferens ad quemcunque possessorem; quapropter neque ejus occupatione alicujus jus laeditur. Primus igitur, qui eam occupat, nisi lex aliqua positiva obstet, jam peculiarem cum ea connexionem prae ceteris hominibus obtinet; hinc vulgo dici solet: *res nullius est primi occupantis*. Si res ut propriae sola occupatione acquiri non possent, jam actum esset de ipso privato dominio, cum quaedam bona externa sine legitimo possessore semper relinquerentur. Quamquam tamen occupatio est modus dominii acquirendi natura permissus, non est tamen imperatus, ideoque legitima potestate coerceri et propius definiri jure potest. Cujus rei exemplum praebent bona, quae, deficientibus heredibus, *vacantia* dicuntur; haec enim, ut plurimum, non sunt primi occupantis, sed lege positiva fisco aut aliis a principio addici solent; hinc res nullius improprie tantum appellantur. — Occupatione acquiri possunt solae res corporales, quia, ut ait Ballerini, uti v. gr. jura non sunt ejusmodi res, quae reperiantur existentia quidem, at dominum non habentia, nisi forte intelligatur possibilitas

juris habendi, v. gr. ut quis fiat rex [1]. — Ab occupatione eo distinguitur inventio, quod illa complectitur animalia, haec vero res inanimes.

131. Ad occupationem referuntur: *venatio*, *piscatio*, *aucupium*, quae omnia nonnunquam sub generali *nomine venationis* veniunt et definiri solent: *occupatio ferae, naturali sua libertate gaudentis*. Animalia, quo magis vel minus gaudent consortio humano vel ab eodem abhorrent, triplicis generis discernuntur: fera, mansuefacta, domestica. *Fera* dicuntur, sive sint quadrupedia sive volatilia aut etiam aquatilia, quae libere adhuc vagantur et nonnisi vi capiuntur. *Mansuefacta* nascuntur quidem naturā fera, industria tamen humana ita sunt cicurata, ut hominem jam non fugiant vel, ut apes et columbae, consuetudinem exeundi et redeundi habeant. Tandem *domestica* animalia intelliguntur, quae naturali libertate jam pridem non gaudent et humano dominio plene obtemperant, ut canes, boves, anseres.

Ut occupatio animalium sit modus dominii acquirendi legitimus, has condiciones habere debet: a) adsit animus occupandi, b) occupatio fiat realis et externa, c) animal adhuc nullius dominio subsit, d) ne lex positiva illud a principio alterius dominio addicat [2]. Singula animalium genera separatim consideremus.

132. **Fera animalia**. Jure Romano addicebantur primo occupanti, nemo tamen in alieno fundo sine possessoris concessu venari poterat. Liberalior venandi consuetudo apud gentes Europae ad aetatem feuodalem viguit. Medio tamen aevo temporis decursu venatio in Europa occidentali privilegium regale evenit, quod privilegium nonnisi quibusdam nobilioribus a rege gratificabatur. A seculo XVI quemadmodum arma portare, ita pariter venari omnibus et solis nobilibus et equitibus erat permissum, quod privilegium usque ad subversionem rerum in Gallia (1789) admodum rigorose exequebatur; abhinc tamen, cum alia privilegia nobilium et cleri sunt sublata, tum aeque venatio omnibus sine discrimine est concessa; quod utique sine damno societatis contingere non potuit, nam fera animalia prorsus extirpebantur, tranquilitas publica periculo exponebatur, segetesque et prata exinde non parvum detrimentum capiebant. Quapropter tum in Gallia 1844 anno, tum deinceps in aliis regionibus libertas venandi legibus civilibus est circumscripta.

---

[1] Ant. Ballerini, *Opus Theologicum Morale*, vol. III, p. 1, n. 118.

[2] Lehmkuhl, *Theologia Moralis*, vol. I, p. 1, lib. 2 n. 909.

133. Ne singulas leges in causa venandi allegemus, haec sunt generatim **in Rossia** [1]) jure civili definita. Nemo in fundo alieno absque possessoris permissione in scripto data *venari* potest, simulque tum possessores, tum externi licentia magistratus (*свидѣтельство*) indigent; quae licentia gratis concedi non solet. Excipiuntur districtus septentrionales, ubi ob magnam copiam silvarum et ferarum nulla peculiaris licentia requiritur. Impubibus et iis, qui inspectioni custodum publicae securitatis subsunt (*находятся подъ надзоромъ полиціи*), facultas venandi non conceditur. Venatio statutis anni temporibus, aliis atque aliis pro diversa ferarum specie, omnibus prorsus prohibetur eo fine, ne matrices fetosae aut nova progenies nondum satis adulta absque ratione caedantur; a die decima, illud tempus prohibitum incipiente, capta praeda nec vendi neque emi publice potest. Aeque severe lege prohibetur, quominus nidi destruantur aut deplumes aves et ova nido detrahantur. Tandem omni tempore proscriptus est venandi modus inhumanus, ut: veneno, laqueis, cavernis etc. (*отравой*, *петлями*, *силками*, *тенетами*, *шатрами*, *капканами и пр.*). Contra, aves et ferae rapaces, ut ursus, vulpes, lupi, accipitres, omni tempore et omni modo, nisi venenum excipiatur, extirpari possunt. Aves vero canentes, ut luscinios, e sclopeto ferire aut alia ratione capere nunquam fas est (*ст. 208*). Qui leges venandi transgrediuntur, mulctis nonnunquam sat gravibus plectuntur.—Anno 1872 Petropoli fundata est consociatio virorum, qui curam habeant tum in silvis publicis, tum cum consensu possessorum etiam in privatis eximendi quaedam loca (*заповѣдныя мѣста*) a facultate ibidem venandi, ne temporis decursu omnes ferae prorsus exstirpentur.

Quemadmodum venari, ita etiam *pisces capere* in stagnis, parvis fluviis, lacubus absque permissione proprietarii in scripto data lege civili in Rossia nemini est permissum. Magna tamen flumina navigabilia et spatiosi lacus, item aquae maris [2]) sunt gene-

---

[1]) Leges de venatione pro *Imperio* latae continentur: **Св. Зак. т. XII, ч. 2, ст. 153—191**, quibus tamen legibus Sibiria non obtemperat, cum ibi libertas venandi prorsus non coerceatur. Pro *Reg. Poloniae* in causa venandi latae sunt leges 1871 an. qua explicatio 715 art. Cod. Napoleonis, continentur vero inscripta: *Св. Зак. т. XII, ч. 2, 191—251.* In *Curlandia* venatio usque ad 1877 an. qua singulare privilegium nobilium viguit; abhinc est sublatum: *Св. Зак. т. XII, ч. 2, ст. 252—262.*

[2]) Incolae, quae ad litus maris habitant, generatim nullo peculiari privilegio piscandi gaudent. Tantummodo in districtu Estlandiae et Livlandiae proprietarii litorales spatio trium verstarum ab ora exteros a piscatu amovere possunt. Cf. *Остз. Зак. ст. 1029—1032.*

ratim publici juris, neque ulla ibi ad piscandum licentia est opus. Sunt tamen quaedam in Corpore Juris Civilis indicata maria, flumina, spatiosi lacus, ubi peculiari privilegio aut soluto decreto stipendio quibusdam tantum facultas piscandi conceditur [1]). Sicut venandi, ita pariter piscandi tum tempus statum, tum certus modus sunt observanda, ne pisces irrationabiliter deleantur [2]), aut navigatio impediatur (*cm. 275—278*).

134. Ad quemnam **jure naturae** fera animalia pertineant, usque adhuc inter juris peritos non constat: alii ea ut res nullius considerant, alii proprietario fundi, in quo ipsa capiuntur, adjudicant. Magis hac in causa sunt concordes theologi, qui illa primo occupanti decernunt; et hoc esse videtur omnino justum et aequum: enim vero fera animalia, usque dum nativa libertate gaudent, nullo pacto alicujus dominio subesse dici possunt, cum libere et perpetuo locum standi commutare soleant, neque quis eorundem potestatem exerceat. Si proprietario fundi, in quo ad tempus commorantur, adjudicarentur, tunc non ab homine, sed potius ab arbitrio ipsius animalis dependere diceretur, suum dominum libere commutare, cum tamen aliunde constet, ad dominium transferendum requiri consensum proprietarii. Fera igitur animalia fiunt primi occupantis, ut res nullius. *Sed jam quaeritur, cujusnam sint, si duo simul in illis capiendis concurrunt,* v. gr. alius vulnerando, alius apprehendendo. Quod dubium tali pacto solvendum esse videtur. Si fera ita est vulnerata, ut aufugere jam nequeat, et venator eam cum morali certitudine capiendi insequitur, ipsi est adjudicanda, non obstante casu, quo aliquis alius eandem in via prior per accidens apprehenderit. Ille enim venator, feram vulnerando et vestigiis proxime eandem sequendo, satis eandem sub sua potestate tenere est censendus, cum res non sola manu sed etiam instrumentis apprehendi possint. Quae tamen fera, si venator aut desperatus, aut ejus latibulum ignorans, insequi eam desierit, res derelicta esse judicatur et fit primi occupantis vel reperientis. Fera autem nondum vulnerata, aut levi tantum ictu affecta, naturalem libertatem amisisse non dicitur et est primi occupantis, non vero illius,

---

[1]) Cf. *Уставъ Сельск. Хозяйства, ст. 281 et seq.*

[2]) Singularis hac in causa est 276 art.: рыбопромышленникамъ на всѣхъ вообще рѣкахъ воспрещается употребленîе такихъ неводовъ, длина которыхъ болѣе половины ширины рѣки, равно закидыванîе оныхъ съ двухъ противоположныхъ береговъ въ одно и то же время и по одному направленiю. *Законъ 7 iюня 1852 г.* Cf. *Сводъ Зак. т. XII, ч. 2.*

qui forte eam prior insequi coepit cum spe non vana capiendi. Tandem si fera nondum satis vulnerata, quam venatores persequuntur, in laqueum ab alio praeparatum inciderit, probabilius huic, non illis est adjudicanda, [1]) quamquam Molina contrariam sententiam tuetur. Venatoribus tamen, non proprietario laquei addicenda esse videtur in casu, quo fera non ex improviso, sed potius illorum industria in laqueum compellatur; laqueatori solummodo pro usu instrumenti quaedam compensatio tunc debetur.)

135. *Leges civiles*, in causa venationis et piscationis latae, *sunt stricte interpretandae*, ne plus aequo earum rigor extendatur. Quapropter, si venari aut piscari certo loco vel tempore prohibetur, certe hujusmodi leges, cum sint, ut plurimum, rationales et prudentes, parvi aestimari non debent, non ideo tamen piscator aut venator propter simplex vetitum jam ipsum dominium captae praedae amittit, licet post sententiam judicis ad mulctam pro poena solvendam vel etiam ad ipsam praedam restituendam in conscientia obligari potest. (Altera tamen ex parte *omnes hasce leges esse simpliciter poenales non dixerim*, quamvis s. Alphonsus [2]) consuetudine suae aetatis concitatus id tenet, ejusque opinionem Marc et Gury communem (?) dicunt [3]); non est enim dubium, quin leges hac in causa latae, tum quae tempus improprium et modum inhumanum interdicunt, tum quae publicam tranquilitatem et possessiones proprietariorum contra ambulatores non opportunos tuentur, maxime sint rationales et bono publico utiles; hinc, nisi quis in proprio fundo ordinate venetur aut piscetur, difficulter ab omni culpa exusari potest, transgrediendo leges illas. Id quidem non dixerim de venatione in regionibus incultis, quae silvarum et ferarum copia redundant, vel de piscatione in mari aut in aliis spatiosis aquis; sed id nec leges absque ratione prohibere solent. Sane culpa non facile gravis esse praesumitur. Attamen, si non solum lex violatur, sed etiam damnum aliquod privatum exinde sequitur, puta, segetes aut prata pedibus exteruntur, tunc non solum contra justitiam legalem, sed aeque contra commutativam peccatur atque onus restitutionis subitur. Leges civiles

---

[1]) Cf. Lugo, Disp. VI, n. 79—81; Molina, Disp. 42.

[2]) Ita s. Alphonsus: *leges oppidorum prohibentes sub poena caesionen lignorum sive herbarum, piscationem, venationem non obligant sub culpa; sic enim habet consuetudo.* Lib. I, n. 145. Quisnam hodie, mutatis condicionibus temporis, in universum affirmare id possit, etiam de caesione lignorum aut herbarum in alieno fundo?

[3]) Marc, *Instit. Morales*, t. I, p. 2, n. 879; Gury, *Theol. Moral.*, p. I, n. 571.

in causa venationis et piscationis tunc tantum qua mere poenales considerari possunt, quando ex earum violatione nullum prorsus incommodum privatum aut publicum sequitur, ut si quis in proprio fundo aut in alieno cum tacita saltem permissione proprietarii, aut in locis desertis ordinate sed absque litteris legitimis (*Jagdkarte*) venatur; et hoc sensu videtur interpretanda sententia Lehmkuhli, qui dicit: leges, quae venationem vel egressum extra certos limites prohibent, si neque in agris intrandis, neque in feris capiendis damnum aliquod infertur, pro mere poenalibus haberi possunt [1]).

136. A simplici legis vetito distinguendum est illud, quo *piscatio aut venatio, remotis aliis, uni tantum aut paucis a Statu vi contractus v. g. locationis excipitur*. Hoc vetitum absque laesa justitia commutativa, quae obligationen detrimenti restituendi imponit, transgredi nequit. Sed aeque in hoc casu injustus venator vel piscator non ad ipsam praedam captam locatori restituendam per se obligatur, sed tantum ad damnum, quod exinde sequitur, reparandum tenetur. Quod damnum non ex piscium vel ferarum captarum quantitate, sed potius ex lucro probabili, quod tunc cessasse judicatur, est aestimandum: ille enim, qui vi contractus facultatem capiendi solus obtinuit, nondum in singulas feras aut pisces jus strictum in re habet, cum hae exire et redire possint, imo etiam in locis clausis sed spatiosis non certo capiantur; jus illius in tantum laeditur, in quantum, numero animalium diminuto, minor spes affulget ista capiendi. Communiter unam alteramve feram capere non existimatur esse notabiliter damnosum, quod culpam letalem constituat; in singulis tamen casibus e condicionibus loci et ferarum copia causa est judicanda.

Quando vero quis non vi contractus, sed qua *peculiarem gratiam* aut merum *privilegium*, ut antiquitus nobiles, aut qua *simplicem licentiam* licet pecunia comparatam, ut apud nos fieri solet, jus venandi obtinet, alii ex sola oboedientia legibus debita, non vero ex justitia commutativa ab eodem jure coercentur, quamquam ad mulctam solvendam post judicis sententiam in conscientia obligantur.

Tandem si fera animalia *in nemore sepibus circumdato*, aut *pisces in minoribus piscinis*, non autem in stagno sat amplo inclusa reperiuntur, alienus ibi venator aut piscator ut simplex fur est judicandus, qui ad ipsum animal captum, vel ad ejus aequivalens restituen-

---

[1]) Lehmkuhl, *Theologia Moral*, vol. I, p. 1, n. 910.

dum certe obligatur, cum ejusmodi animalia dominio proprietarii satis subesse merito censeantur.

137. Quod supra de vetito legis civilis affirmavimus, id etiam, mutatis mutandis, valet *de vetito privato, quod fundi proprietarius edicit:* vc. si locus est pervius, alienus venator aut piscator per se nequit praeda capta privari, peccat tamen et ad mulctam solvendam aut ad aliquod damnum proprietario reparandum adigi juste potest; imo post sententiam judicis, si lex positiva id decrevit, ad ipsam praedam proprietario fundi reddendam in conscientia ratione poenae obligatur. Disputant tamen theologi, cui addicenda sit praeda capta quidem, sed nondum occisa nec vulnerata, si nempe venator laqueum aut retia in alieno fundo posuerit; possitne proprietarius fundi, si prior in suo territorio illam illaqueatam praedam reperiat, eandem sibi sumere? Carrière id negat atque ita ratiocinatur: ille qui laqueum posuit, eam satis occupavit. Nec refert, quod non possit ingredi fundum alterius ad eam capiendam; si quis enim proprium animal mansuetum alligaverit in fundo alicujus invito domino, numquid ideo amittet dominium?... idem dicendum videtur in praesenti casu [1]). Contra, Lehmkuhl ait: feram vero laqueo captam nondum occisam facilius videtur sine injustitia sibi occupare dominus fundi posse; potest enim, antequam venator, qui laqueum posuit, praedam secum sumat, laqueum solvere, sed feram sic solutam et abire conantem statim sibi capere [1]). Quae posterior sententia probabilior esse videtur; enim vero proprietarius fundi potest absque scrupulo laqueos in sua terra a peregrinis positos solvere, alioquin ab importunis venatoribus satis se protegere non poterit; hinc fera laqueo irretita nondum plene esse videtur in hoc casu sub potestate laqueatoris, sed potius primi occupantis. Id etiam consuetudo locorum et judicum tribunalia confirmare solent. Ratio, quam Carrière pro sua sententia allegat, ad persuadendum non est firma, cum animal mansuetum et ferum in hac hypothesi comparari minime possunt: in utroque casu proprietarius fundi potest animal alligatum solvere; animal mansuetum etiam tunc domino suo clamabit eumque quaeret, fera autem potius gaudio recuperatae libertatis exsultabit. Comparatio igitur nondum est ratio. In usu vitae fundi proprietarii non solum praedam in suo territorio ab exteris laqueo irretitam absque scrupulo sibi vindicant, sed ipsa instrumenta,

---

[1]) Carrière, *De Justitia et Jure* p. I, cap. 5 n. 292.

[1]) Lehmkuhl, *Theologia Moralis*, vol. I, p. 1 n. 911.

quibus praeda capitur, ut sclopetum aut retia, ratione poenae vagabundis amatoribus carnis ferinae auferre solent; id etiam non videtur esse injustum, si proprietarii alia ratione magis urbana se ab importunis venatoribus protegere non possunt, et si ipsa instrumenta non sunt magni pretii; enim vero merito possunt ipsi hujusmodi vagabundos ad judicem deferre, ergo possunt etiam, huic juri renuntiando, per modum recompensationis aliquid sibi sumere. Ceterum, venatori, suis instrumentis fraudato, ad ista recuperanda, si velit, ad judicem appellare licet.

138. **Mansuefacta animalia**, naturā tamen silvestria, ut falcones, columbae, apes, pisces in vivariis, ferae in claustris aut circumseptis lucis, remanent prioris domini, quamdiu ex ejus custodia non evadunt aut consuetudinem redeundi non amittunt. Contra, ubi primum e possessoris custodia evaserunt et nativam suam libertatem recuperarunt, statim primi occupantis fiunt, modo ne fraude eorum fuga juvetur, vel regressus ad priorem proprietarium impediatur. Ita, *columbae*, si derelicto proprio, alterius columbarium inhabitaverint vel cum alienis columbis sint consociatae, jam priorem dominum censentur amisisse et pertinent ad alterum, dummodo ne fraude hic easdem v. gr. diutius inclusas apud se retinendo, ad se alliciat. Id non solum jure naturae, sed aeque lege positiva valet. Ita Cod. Nap. art. 564 est decretum: columbae, cuniculi, pisces, qui se ad aliud columbarium, vivarium aut stagnum conferunt, ad horum dominos pertinent, dummodo ne dolo aut fraude alliciantur [1]). Quaedam tamen media columbas alliciendi non videntur esse inhonesta, v. gr. praebere suis columbis meliora et magis copiosa alimenta, commodius columbarium instruere aliaque ejusmodi. Sane, si id fiat expresse ad alienas columbas captandas, peccatur contra caritatem proximi, non vero contra justitiam. Merito tamen hortatur Lehmkuhl: a qualibet industria alliciendi alienas columbas confessarius poenitentem prohibeat, ne sc. inimicitiae et odia eaque non raro gravia inter vicinos oriantur [2]).

---

[1]) Jure Rossico hac in causa generatim est statum: дикія животныя, если сами собою, оставивъ гнѣзда и логовища свои въ одномъ мѣстѣ, перейдутъ въ другое и будутъ въ ономъ водиться, не подлежатъ возвращенію къ прежнему владѣльцу. *Гражд. Зак. ст. 539 прим. 1.*

[2]) Lehmkuhl, *Theologia Moralis*, vol. I, p. 1 n. 912.

139. *Quod ad apes pertinet*, neque Jure Rossico nec Codice Napoleonis quidquam est decretum. Jure autem naturae hac in causa id esse tenendum videtur: cuicunque in proprio fundo licet apta alvearia instruere atque tali pacto allicere examen apium, quae ejus fiunt, si de priore domino non certo constat. Contra, si proprius dominus easdem insequitur, quamdiu in ejus conspectu ipsae apparent, sub ejus potestate remanere censentur. Ceterum, consuetudo locorum hac in causa vel maxime est observanda. Ita, in Lithuania casu, quo examen apium suus dominus insequitur et hae alienum alveum ad habitantum ingrediuntur, fiunt abhinc in communi possessione tum prioris domini, tum alvearis proprietarii, qui insuper ab hoc tempore quasi quidam affines (*bicziulei*) dicuntur. Jure Romano apes naturā ferae esse censebantur et primo occupanti addicebantur. Hac ratione fortasse convictus Waffelaert dicit: de apibus, quae effugiunt, ex naturae jure dicendum eas ad dominum pertinere, quamdiu eas insequitur; si cessaverit insequi, ad primo occupantem. Lex tamen positiva (*belgica*) eas, cessante insecutione domini, domino fundi in quo quieverunt, addicit. Non tamen alium primo occupantem obligaremus ad restitutionem, ante sententiam judicis [1]). Quae sententia nonnisi cum quadam exceptione comprobari potest: examen apium, quod in arbore aliqua consederit, sane dici potest primi occupantis; contra, si alicujus alveare ad hoc etiam in silva praeparatum inhabitaverit, jam satis hujus potestati subesse censendum est.

140. **Domestica animalia**, cum nativa libertate jam pridem non gaudeant, nulla aberratione etiam diuturna dominio proprietarii eximuntur, nisi plene efferata fiant. Ipsi eorum fructus naturales, puta lac, ova, lana ad legitimum proprietarium pertinent. Qui eadem aberrantia repererit, aliquid tantum pro eorum cura et alimentis exigere potest. Jure Rossico ei, qui alienum animal domesticum aberrans reperit, si proprietarius detegatur, sexta adjudicatur pars pretii, quo animal aestimatur, simulque remunerandae sunt expensae pro alimentis. Si vero legitimus proprietarius non apparet, animal post 6 menses venditur, et pars tertia obtentae pecuniae ei, qui animal reperit, reliqua autem causis publicis adjudicatur [2]). Cui legis sanctioni post sententiam judicis est obtemperandum: licet enim ipsa inventio aberrantis animalis domestici per se nullum dat reperienti

---

[1]) Waffelaert, *De Justitia et Jure*, t. I, n. 179.

[2]) Св. Гражд. Зак., ст. 539 прим. «*о пригульномъ скотѣ*».

titulum, aliquod lucrum inde obtinendi, lex tamen hac in causa lata ipsi animalis proprietario esse videtur utilis, cum, sine spe aliquod emolumentum percipiendi, pauci de alieno animali aberrante esse solliciti velint; hinc ipsum animal aut pessum abire, aut in manus malevoli hominis incidere possit. Codice Napoleonis hac in causa nihil est sancitum, ideoque valet jus naturale, vi cujus animal domesticum domino est reddendum, sola remuneratione pro hospitio et alimentis obtenta.

141. Animal domesticum, etiam e certo vitae discrimine v. gr. ex incendio extractum, semper ad dominum pertinet. Idcirco recte dicitur ovis in ore lupi domino clamare. Altera tamen ex parte proprietarius ad omnia damna, exteris a suo animali aberrante facta, obligatur reparanda, si id ex sua incuria evenit; imo, etiam nulla culpa, quae dicitur theologica, intercedente, ad illa detrimenta supplenda post judicis sententiam in conscientia adstringitur, nam lex, quae proprietariorum negligentiam punire intendit, est justa et utilis. Illi, qui damnum ab alienis animalibus circumerrantibus alia ratione declinare prorsus non possunt, non peccant, eadem, ne amplius noceant, etiam occidendo, dummodo tamen damnum, quod patitur, adaequet damnum, quod infertur. Animalia magis nociva, quam pretiosa, quorum caedes hac in causa facilius a peccato excusari potest, haec indicari solent: columbae tempore messis, gallinae, anates, anseres, galli indici, canes, si perpetuo circumerrantes damnum notabile pratis aut segeti faciunt.

b) Inventio

142. Inventio est species occupationis; bona, quorum dominium inventione acquiri potest, sunt inanimata et discerni solent: *thesaurus, fodinae, res derelictae, bona vacantia, res nuper amissae.* In singula separatim inquiremus.

Thesaurus in Jure Romano definitur: *vetus quaedam depositio pecuniae, cujus non exstat memoria;* in Codice Nap.: *quaevis res abscondita vel infossa, fortuito casu reperta, quam nemo esse suam probare potest;* in Jure Rossico simpliciter dicitur: *сокрытое въ землѣ сокровище.* In recentioribus igitur codicibus civilibus thesaurus intelligitur non sola pecunia, sed quaevis res pretio aestimabilis, de consilio abscondita, ideoque: nummi, vasa, statuae, gemmae, catenae,

numismata, arma etc.—Cuinam jure naturae dominium inventi thesauri competat, inter juris peritos non constat: alii inventionem thesauri ad speciem occupationis simpliciter referebant ideoque reperienti adjudicabant; alii potius ad speciem accessionis applicabant et proprietario fundi, in quo est repertus, tribuendum esse putabant: cujus enim est principale (*vc. fundus*), illius pariter esse dicebant accessorium (*vc. thesaurus*); insuper praesumitur, thesaurus esse absconditus a majoribus illius possessoris, ad quem fundus pertineat.—Theologi thesaurum jure naturae probabilius reperienti esse addicendum arbitrantur, quia thesaurus, ajunt, non est pars nec fructus fundi, potius res nullius ideoque primi occupantis. Cum igitur de jure naturae in hac causa non certo constet, obtemperandum est legi positivae. Jure Rossico thesaurus pertinet ad fundi proprietarium, et absque ejus concessu neque a privatis personis, neque a magistratu quaeri potest [1]). Jure Romano, Codice Napoleonis, Statuto Lithuanico thesaurus, quem quis *in proprio fundo* invenerit, ipsi reperienti adjudicatur; si tamen quis casu fortuito illum *in fundo alieno* privato vel publico repererit, dimidiam tantum partem sibi retinere potest, alteram partem proprietario fundi (*etiam in conscientia*) tribuere debet. Insuper Jure Romano prohibitum est, quominus, quis de industria thesaurum in alieno fundo quaereret; alioquin totus thesaurus ratione poenae domino fundi addicebatur; utrum id etiam ex Cod. Nap. sequatur, non satis constat, cum nihil certi sit decretum, sed ipse thesaurus solummodo definiatur, qua res *fortuito casu* reperta (*art. 716*). Sanctio Juris Romani, cui poena est applicata, considerari potest, qua lex poenalis, et tantum post sententiam judicis conscientiam ligat.

143. *Dominus fundi*, in quo thesaurus detegitur, ille subintelligitur, qui dominium plenum, non vero solum usum aut usumfructum habet. Cum igitur clerici solum usumfructum, non vero dominium bonorum ecclesiasticorum habeant, ideoque thesaurus, in beneficio ecclesiastico repertus, vigore Juris Rossici totus Ecclesiae, Jure autem Romano et Codice Napoleonis dimidia ejus pars clericis, si eum fortuito casu repererint, adjudicatur; Juri Romano videtur conformari Jus Canonicum[2]).—*Nomine fundi* non sola terra, sed

---

[1]) Гражд. Зак. *cm. 430*: кладъ принадлежитъ владѣльцу земли и безъ его позволенія не только частными лицами, но и мѣстнымъ начальствомъ отыскиваемъ быть не можетъ.

[2]) Cf. Lugo Disp. VI n. 116, 117.

aeque aedificia intelliguntur; quapropter, si opifex, in domo aliena laborando vel eandem destruendo, sub angulo parietis aut in ruinis summam pecuniae repererit, et vera adsint indicia, pecuniam non esse a proprietario domus sed antiquitus absconditam, tunc, ubi causae Codice Nap. temperantur, potest sibi dimidiam partem retinere. Attamen, si est dubium, utrum sit verus thesaurus, an vero res ab ipsa proprietarii familia abscondita, tunc inventor nihil sibi vindicare potest, cum praesumptio stat pro fundi possessore aut suis majoribus, Jure Rossico, cum thesaurus semper fundi proprietario addicitur, nulla hac in causa esse potest difficultas. Tandem, *thesauri inventor* ille dicitur, qui eum prior licet solis oculis detexit, si tamen id certo constat, non autem qui prior manu apprehendit. Attamen, si quis de industria, spe inveniendi incitatus, quaerit thesaurum, quamquam forsan alius eum prior adspexerit, non hic sed ille verus inventor esse censetur. Quando famulus, domino praesente, laborat et casu fortuito thesaurum e terra effodit, etiamsi uterque eum simul adspexerit, thesaurus tamen a famulo inventus esse dicitur. Contra, si quis dominus, thesaurum suspicatus, mercenarium ad eum quaerendum conducit, non mercenarius sed ipse dominus eum reperisse censetur, si fausta fortuna spem non fefellit.

144. Inquirunt theologi, *an ille, qui in alieno agro thesaurum latere suspicatur, possit hunc agrum pretio communi emere* et tali ratione totum thesaurum sibi absque injustitia assumere? Quidam id absque injustitia fieri posse negant, communior tamen theologorum sententia id licere affirmat; imo, card. de Lugo docet, etiam tunc temporis agrum posse ordinario pretio emi, quando de thesauro ibi abscondito certo constat [1]. Patroni tamen hujus communioris et probabilioris sententiae inter se discrepant, quando rationes et argumenta proponunt, quibus suam opinionem tueantur. Quidam pro argumento allegant verba Salvatoris Domini: *simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro; quem qui invenit homo, abscondit et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet et emit agrum illum* (Matth. XIII, 44), ubi emptio illa approbari et laudari videtur. Hoc tamen argumentum non multum valet, quandoquidem non omne, quod in parabolis proponitur, ad verbum approbari potest, ut satis patet ex parabola de villico iniquitatis (Luc. XVI)

---

[1] Lugo, Disp. VI n. 126.

quem dominus laudasse dicitur. Insuper, si hoc argumentum quidquam valeret, nimis probaret, cum ex eo sequeretur, thesaurum jam de facto inventum posse rursum abscondi et agrum pretio consueto emi, quod tamen nemo theologorum docet: thesaurus enim, simul ac ex alieno fundo est effossus, aut totus, aut saltem pars ejus dimidia, juxta normam juris civilis, ad dominum agri ipso facto pertinet. Illa theologorum communior sententia eo potius comprobatur, quod thesaurus neque ad substantiam fundi pertinet, neque est ejus fructus; nequit igitur consuetum agri pretium augere. Juxta Dom. Soto ejusmodi ager pretio ordinario ideo emi potest, cum sola agri superficies, non vero quidquam intus possit latere, aestimetur et vendatur [1]). Optima tamen esse videtur ratio, quam proposuit Molina et quam deinde probarunt Lessius et Lugo: pretium justum rei sumitur praecise non ex majore utilitate rei, sed ex communi aestimatione hominum; res aliunde utilissima, si homines communiter eam parvi aestimant, parvo pretio emi potest, dummodo ne sit ignorantia circa ipsam rem; quemadmodum igitur peritissimus pharmacopola, qui perspexit magnam utilitatem alicujus herbae, aliunde vilis et in fasce aliarum herbarum jumentis in pabulum destinatae, potest hanc fascem pretio communi emere et inde perceptum fructum suae peritiae et arti adscribere, idem valet pariter de thesauro in alieno fundo latente, idem etiam sentiendum est de venis metalli aut lapidis pretiosi, quae in terrae visceribus esse suspicantur, aut etiam certe cognoscuntur; valor ratione thesauri aut venae latentis, ait Molina, est valor per accidens ejusdem agri, quem detegere non tenetur, qui emere eum agrum vult ratione communis ac per se valoris agrorum [2]).

145. Quod theologi de herbis medicinalibus, thesauro et metallorum venis latentibus communiter tenent, idem videtur esse affirmandum de libris, imaginibus, vestibus, quae in tabernis mercatoriis publice pretio communi et vili veneunt, quae tamen non ex se, sed ratione antiquitatis aut aliae circumstantiae ab aliquo artis perito perspiciuntur esse longe majoris pretii; hae res etiam communi pretio ab ipso emi possunt et inde perceptum lucrum juste videtur posse ad-

---

[1]) Dom. Soto, *De Justitia* lib. VI q. 3 art. 2.

[2]) Molina, Disp. 353 n. 13 et 14; Lessius cap. V dub 15 n. 60; Lugo, Disp VI n. 128.

scribi peritiae et arti inventoris [1]). Aliter est dicendum de re, quae est ex se pretiosa, ut gemma aut imago alicujus celeberrimi pictoris, cujus pretium ex. gr. simplex rusticus ignorat et quam vili pretio vendit; certe, quis in hoc casu ignorantia simplicis venditoris abutitur, contra justitiam rigorosam peccat, nam emit rem vili pretio, quae communi aestimatione est pretiosa, et decipit rusticum in ipsa substantia rei venditae. Contra, non peccant, contra justitiam mercatores europaei, qui maximo pretio vendunt apud Indos cultellos, specula, aliaque ejusmodi, quae in Europa viliore pretio veneunt; quia haec, licet viliora sunt in nostris regionibus, communiter tamen magni aestimantur ab Indis et Sinensibus; pretium autem justum ex communi aestimatione hominum regionis definitur [2]).

146. **Fodinarum** nomine designari solet moles variarum substantiarum utilium, in visceribus terrae recondita, ut venae metallorum, lapides pretiosi, gemmae, carbones fossiles, fontes medicae salubritatis, naphta etc. Apud Graecos fodinae ad Rempublicam pertinebant, Jure Romano antiquiore ut proprietas privata habebantur et domino fundi addicebantur; posteriobus tantum temporibus Imperatores decimam partem lucri, quod exinde percipiebatur, sibi reservabant. Theologi sat communiter affirmant, fodinas jure naturae ad dominum fundi pertinere [3]). Ex theologis, qui saltem venas metallorum et alias pretiosas fodinas non proprietario fundi, sed primo reperienti adjudicare volunt, gravioses sunt Dom. Soto et Lessius [4]): huic non videtur esse aequum, res pretiosas v. gr. venas auri aut argenti qua partem accidentalem considerare, quae vilissimo fundo, cedant, quemadmodum ridiculum esse dicitur, picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vilissimae tabulae cedere. *Jure Rossico*, quo Imperium temperatur, fodinae proprietario fundi addicuntur [5]). Insuper, cuique conceditur facultas in locis adhuc liberis, ad fiscum pertinentibus, quaerendi venas metallorum iisdemque deinde utendi, quodam stipendio soluto; excipiuntur solummodo quidam districtus Imperiali Familiae (*Кабинетъ*) reservati [6]). *In Regno autem Poloniae*, quibusdam

---

[1]) Cf. S. Alphon. Lig. lib. IV n. 807.

[2]) Gury, *Theol. Mor* p. I n. 899; Carrière, *De contractibus*, t. II n. 683, 699

[3]) Cf. Lugo, Disp. VI n. 106—110.

[4]) Lessius lib. II cap. 5 dub. 12; Dom. Soto, lib. V q. 3 art. 3, et lib. VI q. 3 art. 3.

[5]) *Гражд. Зак.* ст. 387.

[6]) Lg. Уставъ Горный.

tantum lege exceptis, cuique etiam in alieno privato fundo, sine tamen notabili incommodo licitum est quaerere fodinas, quae primo reperienti adjudicantur; ipsi vero fundi proprietario quaedam remuneratio est danda, quae aut mutuo consensu, aut sententia judicis decernitur [1]).

147. **Res derelictae** dicuntur, quas proprietarius, ut in Jure Romano definitur, ea mente abjicit, ut in numero rerum suarum esse nolit. Hujusmodi res sunt: uvae et spicae, quae fructibus jam collectis, remanent, panni detriti et obsoleti, vasa fracta, quae foras ejiciuntur, scida ligni, quorum nemo amplius curam habet etc. Etiam gramina post foenisecium et rami aridi in silvis divitum relate ad pauperes, nisi contrarium sit certe exploratum, communiter res derelictae esse praesumuntur; saltem ad peccatum hic gravior quam alibi materia requiritur. Generatim tamen, si quod est dubium, non facile res derelicta esse censetur, nam homines rerum suarum sunt tenaces, nec facile earum dominio se abdicare solent. Ceterum, dubium ex circumstantiis prudenter removeri potest. Bona esse derelicta judicantur: a) quando proprietarius de iis non est amplius sollicitus, aut quia sunt exigui momenti, aut quia nimis longe ab eo distant; b) quando dominus omnem prudentem spem eadem recuperandi per se ipsum aut per alium amisit, v. gr. quia ad eadem recuperanda nonnisi cum dispendio majoris boni valet.

Res derelictae jure naturae sunt primi occupantis. Bona tamen in littore maris post naufragium reperta nullo pacto ut derelicta habentur, semper enim ad suos legitimos dominos pertinent. Idem etiam jure civili in Rossia est decretum [2]); quae bona, quousque legitimi proprietarii vel eorum heredes non apparent, custodiae incolarum littoralium, aut tutelae custodum publicae securitatis (*полиція*) committi solent. Pari modo res ex incendio salvatae etiam ad dominum suum pertinere non desinunt, quamquam pro labore et industria salvatori quaedam merces retribuenda est.

148. **Bona vacantia** (*выморочныя имущества*) dicuntur, quae, mortuo proprietario, absque legitimis heredibus manent, aut quorum legitimi heredes prorsus ignorantur vel juri suo legitime renuntiarunt (*heredes, qui debitis sunt onerati, legitime suo juri cum damno creditorum renuntiare nequeunt*). Bona vacantia, cum sint per se nullius, jure naturae nisi lex positiva aliter decerneret, primi occupantis fierent. Jure

---

[1]) *Lex. d. 28 Aug. 1892 an. lata*, quae 84 articulis continetur.

[2]) **Торговый Уставъ**, ст. 485—522.

tamen civili hujusmodi bona tum mobilia, tum immobilia fere ubique Reipublicae addicuntur. In Rossia bona vacantia dicuntur, quorum legitimi heredes, post publicam annuntiationem (*въ Сенатскихъ Вѣдомостяхъ*) hereditatis vacantis, per decem annos jus suum non reclamant. Hujusmodi bona generatim fisco addicuntur [1]), exceptis lege quibusdam casibus, quando certis publicis institutis vel ordinibus adjudicantur: *вымороченыя имущества, исключая случаевъ, опредѣленныхъ ниже, обращаются въ казну* (ст 1167).

149. **Res nuper amissae** dicuntur, quas ignotus dominus involuntarie perdidit. Haec ad suum dominum, quousque spes eum reperiendi affulget, pertinere non desinunt, nec res nullius dici possunt. Sola igitur earum apprehensio non est legitimus titulus earundem dominium acquirendi; nemo enim honestam potest habere intentionem accipiendi et retinendi, quod ad alterum pertinet. Unde s. Augustinus juste ait: *quod invenisti et non reddidisti, rapuisti* [2]). Si dominus ignoratur, inventor rei nuper amissae interim diligentem ejus curam gerere atque opportuna media adhibere debet, ut ille detegatur et rem suam recuperet; in quo negotio ad alia obligatur inventor ex sola caritate, ad alia etiam ex justitia.

Nemo generatim rem inventam secum assumere tenetur, sed potest eam in suo loco relinquere; attamen, si praevidet fore, ut tali pacto res amissa perire possit, *ex caritate* ad ejus curam suscipiendam obligatur. Aeque caritas exigit, ut quis alios certiores faciat de re ab homine malevolo inventa, quando id absque proprio gravi damno fieri potest, et quando prudenter judicat, id esse profuturum, ut proprietarius detegatur et rem suam recuperet. Si inventor rem deperditam secum tulit, jam *ex justitia* fidelem ejus curam habere debet, quousque proprietarius appareat, ne deterioris fiat condicionis, quam si in suo loco sit relicta; cujus rei obligatio consequitur quasi-contractum, quem theologi *gestionem negotiorum* dicere solent. Si res in sua specie diu conservari nequit, et interim proprietarius ignoratur, quamquam spes non inanis eum detegendi affulget, nihilominus res inventa potest vendi et ejus pretium conservari, vel etiam, si minoris est momenti, licet eam pauperibus erogare. Sumptus, si quos inventor in re conservanda fecit, proprietarius ex justitia restituere debet, reassumendo rem suam. Porro, inventor, si rei deperditae proprie-

---

[1]) Cod. Nap. art. 539 et 713. Гражд. Зак. ст. 1167—1180.

[2]) S. Augustinus, *Sermo 178*, cap. 8 n. 9.

tarius ignoratur, etiam ex justitia rem inventam occultare [1]) nequit, sed adhibere debet media opportuna et lege civili praecepta, ut rei dominus certior fieri possit. Media dicuntur opportuna, quae rei gravitati congruant; quapropter, si res est parvi momenti, non est necesse, in ephemeridibus de eadem fiat promulgatio: famula cauponis, quae tabernam verrendo aliquos nummos non magni pretii invenit neque ob magnum concursum spem habet detegendi dominum, potest eos sibi retinere vel pauperibus erogare absque ulla inquisitione.

150. *Codice Napoleonis* de re nuper amissa et deinceps ab alio inventa nihil peculiare est decretum; Codex tantum concedit proprietario jus, rem suam intra tres annos recuperandi, in quascunque manus pervenerit, nisi forsan a tertia persona in publico loco vel nundinis sit empta (*art. 2279 et 2280*). *Jure Rossico* est praeceptum, ut res inventa curiae securitatis publicae ad tempus committatur, quae ter in ephemeridibus «*Губернск. Вѣдом.* id annutiat. Si verus proprietarius tempore legitimo post triplicem promulgationem non comparet, res tota inventori redditur. Contra, si proprietarius apparet, Jure Rossico (*cm. 539*) pars tertia, Statuto autem Lithuanico (*cm. 540*) dimidia pars rei inventae vel ejus pretii inventori adjudicatur. Non videtur tamen inventor tuta conscientia posse partem tertiam aut etiam dimidiam rei inventae vi legis civilis sibi vindicare, potissimum si res deperdita est magni pretii, videtur enim juri naturae adversari, ut quis ex alieno infortunio absque sufficiente titulo emolumentum capiat; inventor solummodo potest sibi deducere sumptus in aliena re conservanda factos et insuper aliquam remunerationem pro fideli cura accipere; aliter se res habet, si ipse proprietarius, ut saepe fit, inventori aliquod praemium promisit; nam tunc ad istud solvendum certo tenetur. Insuper ipso Jure Rossico, ut quis sibi tertiam partem rei inventae vindicare possit, quaedam condiciones requiruntur: a) ut rei deperditae proprietarius non statim cognosci possit; quapropter syngrapha (*weksel*) aut quid simile, ubi nomen proprietatii indicatur, proprio domino gratis reddi debet; b) ut res

---

[1]) Codice Poenali, qui idem pro Imperio Rossico et Regno Poloniae valet, sat gravi poena plectuntur, qui res alienas inventas occultaverint: *за присвоенiе найденныхъ денегъ или же вещей, или же найденнаго въ чужой землѣ клада виновные, когда имъ извѣстенъ хозяинъ найденнаго, подвергаются денежному взысканiю не свыше тройной суммы или цѣны денегъ или вещей.* **Уставъ о наказ. налагаемыхъ Мировыми Судьями** *cm. 178.* Quae poena post sententiam judicis valet in conscientia, cum sit justa.

sit simpliciter deperdita, non auten a fure ablata et deinceps amissa; c) ut res amissa deprehendatur extra domicilium sui proprietarii; d) ut res a suo domino ita sit deperdita, ut prorsus ignoret, ubi eam amiserit; hinc res ex sola oblivione in aliquo certo loco v. gr. in carpento viae ferreae derelicta, non censetur esse amissa [1]).

151. *Utrum inventor rei amissae, cujus proprietarius post diligentem indagationem non comparet, possit eam absque injustitia sibi retinere,* non certo constat. Quo in dubio solvendo theologi maxime inter se discrepant, et tres opiniones omnino probabiles ab ipsis pronuntiantur. Quae opinionum discrepantia et varietas imprimis operā Dominici Soto est facta, qui ita ratiocinatur: *est fere unus consensus tam theologorum, quam jurisconsultorum, quod sunt pauperibus restituendae* (res inventae).... *Licet ego non audeam contra communem opinionem asseveranter quidpiam affirmare, sunt tamen mihi gravissima argumenta, quod inventor possit sibi in conscientia retinere....* Et postquam illa argumenta exposuit, subjunxit: *pauperibus erogare est saluberrimum consilium, at vero an sit necessaria praeceptio, non satis audeam affirmare* [2]). Itaque Dom. Soto affirmat, inventorem, dummodo ad detegendum proprietarium debitam diligentiam adhibuerit, neque ulla spes eum amplius cognoscendi affulgeat, rem inventam posse sibi retinere. Hujus sententiae patrocinium susceperunt Haunoldus, Amort, etiam, teste card. de Lugo [3]), S. Alphonsus Rodriguez doctrina et pietate gravis. Deinceps hanc sententiam saltem ut vere probabilem agnoscunt Lessius, Laymann, Lacroix, Ern. Müller, Lehmkuhl, Marres aliique.

152. Rationes, quibus haec opinio innititur, hisce potissimum continentur: a) Inventor rei amissae potest eam sibi retinere, si haec considerari potest ut res nullius; atqui res deperdita, domino prorsus non apparente, reipsa censeri potest recuperasse pristinam rerum condicionem, qua erant naturā communes et nullius in particulari, ideoque primi occupantis; privatae rerum possessiones eo fine sunt agnitae, ut usui humano melius inservirent; cum vero dominus rei deperditae ad eam suo usui applicandam amplius non valet, hinc ipsa res qua communis et primi occupantis juste dici potest. b) Theo-

---

[1]) *Разъясн. Гражд. Касс. Департ.* къ статьѣ 533: 1869 г. №№ 73, 562; 1877 г. № 29; 1897 г. № 16.

[2]) Dom. Soto, *De Justitia* lib. V, q. 3 art. 3 ad. 2.

[3]) Lugo, Disp. VI n. 138.

logi satis communiter docent, thesaurum jure naturae fieri primi occupantis; atqui eadem ratio valet pro rebus amissis: in utroque enim casu res eam ob causam primo inventori adjudicatur, cum verus dominus-proprietarius non appareat. c) Sententia Dominici Soto utilis esse videtur ipsi domino rei deperditae: enim vero, si inventor rem amissam judicaret esse pauperibus erogandam, non autem sibi retinendam, eam potius in suo loco relinqueret, quandoquidem homines abstinere solent ab illa cura, quae sola gravamina promittit; tali autem pacto sane res neglecta facilius casui adverso succumberet. Sed etiamsi inventor assumeret curam rei amissae, distribuendo tamen deinceps eam pauperibus, jam verum proprietarium omni spe eandem sibi recuperandi certo privaret; contra, ab inventore quasi in custodiam ad tempus res recepta, saltem quousque praescriptio legitima non intervenerit, ad pristinum dominum, si detegatur, redire potest. d) Tandem sententia Soti inniti videtur mutuo hominum implicito consensu rationabiliter praesumpto: fingamus enim, homines ab initio convenisse de hoc casu; quid igitur inter ipsos constituissent? Certe, proprietario non apparente, rem deperditam primo inventori adjudicassent; nam ante omnem eventum quisque eandem formidinem res suas amittendi et spem res aliorum reperiendi habuisset; esset igitur veluti contractus aleatorius, omnibus aeque favens; contra, rem inventam pauperibus erogare nec proprietario neque inventori quidquam prodesset.

153. Opinio, quam Soto tuetur, ut apparet, sat gravibus et solidis rationibus innititur; quapropter nimis severe et injuste arbitrati sunt Habert et Collet dicendo, eam esse improbabilem, legi naturali evidenter adversam, indignosque esse absolutione, qui eam sequerentur [1]).

Opinio contraria, ante Soto communis, res inventas, domino non apparente, erogandas esse pauperibus docet. Haec sententia utique est magis pia et tuta, argumentis tamen intrinsecis, quam illa, est infirmior, licet auctoritate theologorum, qui eam praeferunt, est insignis: ne quid dicam de theologis antiquis, eam etiam tempore Sotum subsequente, tuentur: Molina, Lessius, Vasquez, Laymann, Billuart, Gousset aliique, [2]) qui tamen minime negant, opi-

---

[1]) Cf. Carrière, *De Justitia et Jure*, t. I n. 351.

[2]) Molina, Disp. 746; Lessius, lib. II cap. 14 dub. 7; Laymann lib. III cap. 5 n. 24; Billuart, Diss. IV art. 2, § 6. Huic sententiae favere videtur etiam Cathechismus Romanus. Cf. p. III cap. 8, § 9.

nionem Soti esse vere probabilem. Argumentum eorum hoc est gravissimum: res amissa, quousque spes dominum detegendi affulget, ad ipsum pertinere est censenda et juxta ejus praesumptam voluntatem est decernenda; dominus vero praesumitur velle, ut res sua, si non corpori, saltem animae prosit, in pios usus erogata; eleemosyna enim ejus nomine facta gratiam a Deo ei obtinere potest, quod sane est ei utilius, quam si inventor eandem sibi gratis recipiat.

154. Tertiam sententiam mediam protulit card. de Lugo, quem sequuntur S. Alphonsus Lig. [1]) et plures alii. *Sententia communis est*, ait Lugo, *dicens ea bona danda esse pauperipibus vel ad pios usus... Et mihi etiam ex majòre parte verior videtur, licet prima opinio etiam probabilis est...* [2]) Deinceps autem ratiocinando, duo genera rerum amissarum distinguit: aliae manere censentur sub dominio proprietarii sui, ut vestes, libri, aliaque hujusmodi, cum possint recognosci; hinc semper spes affulgere potest earum dominium detegendi; res hujusmodi sunt servandae vel in pias causas elargiendae. Contra, res, quarum dominus nulla amplius ratione recognosci potest, ut sunt nummi absque ulla capsula inventi aut quid simile, censentur jam esse res nullius et primi occupantis [3]).

155. Ex hisce opiniobus inter se discrepantibus cuique satis apparet, causam, quae res inventas spectet, esse dubiam. Utique vel maxime est commendandum inventori, ut rem inventam in pios usus insumat; ad id tamen rigorose obligari ipse non potest, nam opinio Soti est solide probabilis. Ipsi patroni rigidioris sententiae docent, inventorem, si pauper sit, posse rem inventam sibi retinere. Cum tamen ipsa aequitas naturalis doceat, verum rei dominum esse prae-

---

[1]) S. Alphonsus Lig. lib. IV n. 603; Lacroix lib. III p. 2 n. 89.

[2]) Lugo, Disp. V, n. 104, 139 - 140.

[3]) Praeclare hac in causa disputat Gousset: Si après avoir fait les publications prescrites, l'épave n'est point réclamée ni par le propriétaire, ni par l'Etat, le parti le plus sûr, conformément au sentiment le plus commun parmi les auteurs ecclésiastiques, serait d'en disposer en faveur des pauvres ou en oeuvres pies. Il en est de même pour les choses, qui sont trop peu considérables pour mériter d'être publiées... Cependant plusieurs docteurs de réputation dispensent l'inventeur de l'obligation d'employer en bonnes oeuvres les objets, qu'il a trouvés... Quoi qu'il en soit, pour ne pas confondre l'incertain avec le certain, il est prudent de ne pas insister dans les instructions, qu'on fait au peuple sur l'obligation de donner aux pauvres les choses trouvées, dont le maître ne se présente pas. On y exhortera les fidèles comme a un acte de charité, évitant ce, qui pourrait leur faire croire, qu'il y sont tenus comme à un acte de justice.—*Theol. Moral n. 104.*

ferendum inventori, idcirco, si tandem ille detegitur et tempus ad praescriptionem requisitum nondum intervenit, res sive in se, sive in pretio aequivalenti apud inventorem manens, illi est redddend. Si autem res ab inventore jam est consumpta, aut in manus aliorum gratis transiit, neque inventor exinde factus est ditior, tunc causa ita est decernenda: si id est factum bona fide, vc. adhibita congrua disquisitione, inventor ad nihil amplius obligatur; contra, si ipse diligentiam inquirendi dominum, gravitati rei inventae convenienientem, omisit, ad damnum legitimo proprietario reparandum obligatur; ad quod tamen onus subeundum requiritur in inventore negligentia gravis, ad peccatum mortale sufficiens.

c) Accessio (*przybycie, приращеніе*)

156. Accessio est modus, quo proprietarius alicujus rei acquirit *dominium incrementi*, quod suae rei accedit. Quod incrementum aut ex ipsa re propria nascitur, ut fructus; aut provenit, accedente re aliena ad propriam per unionem naturalem vel industrialem. Fructus naturales et civiles jure naturae ad legitimum proprietarium rei fructuosae pertinent. Idem etiam valet jure naturae de fructibus rei industrialibus, qui beneficio quidem naturae, accedente tamen labore humano, oriuntur; proprietario tamen incumbit onus compensandi expensas, si quae ad hosce fructus obtinendos ab alio sunt factae. Ab hoc generali principio juris naturae paullisper recedit Codex Napoleonis, qui possessori bonae fidei omnes fructus rei alienae adjudicat (*art. 549*).

Accessio, quae contingit per unionem rerum, ad diversos proprietarios pertinentium, multiplex distingui solet; est enim naturalis aut artificialis, rerum mobilium aut immobilium. *Ad accessionem naturalem referuntur nativitas et alluvio*. **Nativitas** hic subintelligitur animalium, qua pullus adjudicatur ei, qui dominium aut usumfructum matris habet, etiamsi pullus ille de mare alieno sit conceptus; hic valet pervulgatum axioma: *partus sequitur matrem*. [1]) **Alluvione** acquiritur incrementum terrae, quod vi aquarum decurrentium praedio latenter et paullatim accedit. [2]) Aquae decurrentes intelliguntur flu-

---

[1]) Гражд. Зак. ст. 431.

[2]) Гражд. Зак. ст. 426—129; Cod. Nap. art. 556—563.

vii, non vero lac aut stagnum. Si non sensim, sed repentino fluminis impetu pars fundi demergitur, alterius autem proprietarii pars notabilis terrae exsiccatur, non habetur alluvio, quae propria dicitur; quo in casu cujusque fundi fines pristini sunt retinendi: alteri proprietario adjudicatur terra exsiccata, alteri major pars fluminis aut etiam totum flumen, si pars exsiccata usque ad medium alveum accedit. Ille tamen, qui ex repentino cursu fluminis damnum patitur, vi Codicis Nap. jus suum ad notabiliorem partem fluvii, aut etiam jus ad avulsam partem sui praedii intra annum quaerere debet, secus illud amittit (*art. 559*). Insula, quae emergit ex flumine navigabili, Reipublicae addicitur; contra, si formatur in fluviis minoribus, qui non sunt publici juris, pertinet ad utrumque proprietarium, quorum praedia fluvio dividuntur: major sane pars insulae formatae ei addicitur, cujus ripae ipsa propius accedit, ita ut termini cum medio alveo fluminis coincidant.

Species accessionis industrialis distingui solent: *adjunctio*, *specificatio*, *commixtio*, *aedificatio*, *plantatio*. In hisce accessionis speciebus generatim valet principium: *accessorium sequitur principale*. Jure Rossico hac in causa nihil peculiare est decretum. Codice Nap. jus accessionis principiis aequitatis naturalis regi dicitur; ut tamen judex causam dubiam melius dicere possit, exemplo ei quaedam regulae sunt statutae (*art. 565*).

Adjunctio tunc habetur, quando duae res, quae ad diversos proprietarios pertinent, ita secum coalescunt, ut saltem sine detrimento separari non possint, ut: gemma alieno anulo applicata, pictura in aliena tela aut pariete expressa, purpura alienae vesti intexta. Si adjunctio facta est mala fide, pars innocens petere potest, ut illa solvatur, etiamsi id absque aliquo detrimento partis malevolae non fiat; haec enim damnum suae culpae adscribere debet (*art. 568*). Si tamen adjunctio bona fide utriusque possessoris est acta, aut solvi non potest absque gravi nocumento, tunc tota res adjunctione facta ei adjudicatur, cujus pars est principalis, cum obligatione tamen compartem faciendi indemnem. Pars principalis est illa censenda, quae valore aut saltem mole praestat, et cui altera eo fine jungitur, ut ejus usui, ornatui, aut perfectioni inserviat.

Specificatio habetur, quando aliena materia informis industriā artificis novam induit speciem, v. gr. ex aliena farina panis excoquitur, ex uvis vinum conficitur, ex lana vestis, ex metallo vas etc. Jure Romano nova species ex aliena materia confecta artifici ad-

judicabatur, qui tamen tum ad pretium materiae solvendum, tum etiam ad damnum, si quod ejus culpa fiebat, alteri proprietario compensandum condemnabatur. Codice Nap. proprietarius materiae, si vult, potest novum opus ex sua materia confectum sibi retinere, pretium laboris artifici solvendo. Si vero non vult, aut si labor longe superat valorem materiae, opus confectum artifici tribuitur, cum obligatione solvendi pretium materiae et reparandi damna, si quae alteri mala fide fecerit.

Commixtio vel **confusio** intelligitur conjunctio duarum rerum atque principalium. Commixtione jungi dicuntur solida, ut frumentum cum frumentum; confusione autem liquida uniri solent, ut vinum cum vino. Id totum, quod commixtione vel confusione est factum, nisi exinde deterius evenerit, cuique proprietario pro rata parte dividitur; si res alteriusutrius per hujusmodi commixtionem est facta deterior, aut alia ratione totum dividi commode nequit, tunc totus cumulus venditur et pretium singulis proprietariis pro rata parte solvitur. Si quod exinde detrimentum patitur, ad illud reparandum obligatur proprietarius malae fidei, ut alter innocens prorsus indemnis fiat.

159. **Aedificatio**, (cui, mutatis mutandis, **plantatio** et **satus** aequiparatur), ea hic intelligitur, qua quis in fundo proprio ex aliena materia, aut in fundo alieno ex sua materia aedificium construit. Hic in genere valet principium: *omne solo cedit, quidquid plantatur, seritur, vel aedificatur* atque, nisi contrarium certo constat, dominus fundi id propriis sumptibus fecisse generatim praesumitur; ideoque alteri, qui forsan per errorem aut alia ratione ex sua materia id fecerit, onus probandi incumbit. Si hoc probaverit et bonae fidei fuisse cognoscatur, dominus fundi, in quantum id absque proprio detrimento fieri potest, eum indemnem facere tenetur. Si alteruter malae fidei fuisse convincatur, tunc haec sunt tenenda: qui *in suo fundo* ex aliena materia aedificavit aut plantavit, juxta Jus Romanum debet duplum pretium materiae ob suam culpam alteri solvere; Codice autem Napoleonis simpliciter adstringitur ad pretium materiae solvendum et ad damna reficienda (*art. 554*). Contra, si quis *in alieno fundo* ex propria materia aedificium construxerit aut arbores plantaverit, Jure Romano nihil sibi pro sumptibus repetere potest; Codice autem Napoleonis alienus aedificator a proprietario fundi etiam potest adigi, ut illa aedificia aut quid simile propriis

sumptibus demoliatur, si domino fundi illa sibi retinere non placuerit (*art. 555*).

Haec juris pracepta de accessione, ut recte Marres concludit, ex stricta justitia in conscientia sunt servanda, cum legis lator lege sua in materia sibi propria juste ad commune bonum tuendum jus strictum civium aut definierit aut coarctaverit [1]).

d) Praescriptio. [2])

(*давность*, *przedawnienie*, *užsigyvenimas*)

160. *Praescriptio est modus acquirendi aliquod dominium, aut se liberandi ab aliqua alteri debita obligatione, post certum temporis spatium et sub quibusdam aliis lege definitis condicionibus.* Praescriptio duplex dinstinguitur: acquisitiva, qua jus aut res acquiritur, et haec in Jure Romano *usucapio* appellabatur, altera—modus aut se liberandi ab aliquo onere vel servitute, aut declinandi actionem personalem—*propria praescriptio* dicebatur.

Inter theologos non constat, *utrum praescriptio a lege naturali, an vero a sola lege positiva ortum habeat.* Hoc postremum esse videtur probabilius; non ubique enim locorum praescriptio usu venit: apud Romanos soli cives romani ejus beneficio uti poterant; apud Hebraeos vi jubilaei omnes possessiones quolibet anno quinquagesimo dristinis proprietariis remittebantur (*Lev. XXV*). Quidquid tamen sit de origine praescriptionis, omnibus est compertum, legitimam praescriptionem vel maxime ad bonum publicum societatis conferre, imo esse prorsus necessariam. Idcirco hodie lege positiva, aut usu locorum ubique ipsa agnoscitur, quamquam non uno eodemque modo temperatur. Generalis ratio, qua praescriptio esse honesta et neces-

---

[1]) Marres, *De Justitia*, lib. I, n. 255.

[2]) Haec latine potius *exceptio* est dicenda; vi enim ejus reus in judicio causam non negat, sed *excipit*, causam esse veteratam neque actionem ob tempus diuturnum posse amplius moveri. Ideo autem dicta est *praescriptio*, quia Praetor apud Romanos formulae, qua actionem alicui concedebat et ad judicem, qui causam diceret, remittebat, quasdam restrictiones scripto apponere solebat, v. gr. nisi id vi aut dolo factum fuerit. In quibusdam vero casibus, praesertim si actio denegabatur, illa restrictio initio formulae apponebatur, seu *ante-scribebatur;* exinde ortum est vocabulum *praescriptionis.*—Ita *Duranton* apud Carrière, *De Justitia*, t. I, n. 395

saria agnoscitur, est utilitas publica, quae legibus positivis intenditur; neque ideo praescriptio infitiari potest, quod ex ipsa in quibusdam particularibus casibus alicui incommoda obveniant; bonum enim publicum praeponitur bono privato, et leges non ad singularia sed ad communiter contingentia attendunt.

161. In specie *hae rationes pro legitima praescriptione allegari solent*: a) ne rerum dominia diu vel fere semper sint incerta, nec possessores semper maneant anxii de bonis, quae tenent; b) ut aliquis tandem finis litium habeatur: lites enim immortales fierent, si post quantumlibet tempus domino liceret rem suam ab alieno possessore repetere; et quo diutius tempus praeteriisset, eo difficilius esset veritatem certo comperire et litem dirimere; c) ut proprietarii a segnitie et negligentia rerum suarum absterreantur et cautiores fiant in illis custodiendis, metu concitati, ne suam proprietatem post certum tempus incuriā amittant; qui nihilominus rem suam ab alienis possessam diutius non repetunt, recte praesumi possunt, velle ei renuntiare; si aliquando haec praesumptio fallit, nihilominus vis et ratio praescriptionis non desinit esse justa, qua negligentes et desides non immerito poena plectuntur. — Speciatim *pro praescriptione liberativa* hae sunt rationes: a) praesumptio solutionis ex parte debitoris vel condonationis ex parte creditoris: non solent enim creditores debiti oblivisci, nec diu negligunt ejus solutionem exigere; b) immunitas ab onere molesto, quo quis debita solvens adigeretur in perpetuum servare testimonia solutionis, ne a malevolo creditore forsan pluries ad solvendum cogi posset.

162. Ex necessitate et utilitate praescriptionis jam satis consequitur *ejus vis conscientiam obligandi*. Quamquam igitur plerique theologi tempore S. Raymundi et deinceps affirmabant, praescriptionem in solo foro externo valere, longe tamen communior, imo teste de Lugo, [1]) communis theologorum opinio tenet, praescriptionem etiam forum conscientiae ligare. Doctor Angelicus hac in causa aperte pronuntiat: si quis praescribat, bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat, alienum fuisse, post praescriptionem [2]). Si quod dubium de valore praescriptionis in conscientia moveri possit, tunc fortasse est illud de quibusdam praescriptionibus Codicis Napoleonis, pro quibus tempus brevissimum requiritur, aut sola pos-

---

1) Lugo, Disp. VII, n. 5.

2) *Quodlibet*, XII, art. 24.

sessio sufficere declaratur. In genere tamen legitimae praescriptiones obligant in conscientia, enim vero *lex positiva, qua definiuntur, et vult, ut hunc effectum sortiantur et ob graves rationes juste id potest*: lex positiva *vult*, ut praescriptiones in conscientia valeant, intendit enim pacem et securitatem publicam, qui finis non obtineretur, nisi praescriptio in conscientia valeret, nam personae piae semper essent anxiae de aequitate et honestate suarum possessionum; insuper illi, contra quos praescriptio pronuntiaretur, si persuasum haberent, se ejus decretis in conscientia non ligari, ad sua recuperanda etiam mediis occultis, occulta compensatione uterentur; atqui tali pacto tantum abesset, ut finis lege intentus obtineretur, ut potius pax et securitas publica majori discrimini exponeretur. Lex positiva non solum vult, ut praescriptio in conscientia *valeat*, sed aeque id *juste potest*, quandoquidem praescriptio est simul justa et utilis: est justa, nam si consideratur non in casu particulari, sed ante omnem eventum, jus nullius laedit: unusquisque enim ejus vi aequale habet periculum sua amittendi et spem aliena lucrandi; praescriptionem autem essse publico bono vel maxime utilem satis apparet ex illis rationibus, quas paullo ante consideravimus.

163. Hinc jure merito possumus concludere verbis S. Alphonsi Lig: bene potest lex humana (*per praescriptionem*) transferre dominium de uno in alium ad bonum commune, ad vitanda jurgia et ne dominia rerum remaneant incerta. [1]) Imo, juxta sententiam ejusdem S. Alphonsi praescriptio saltem diuturna etiam tunc in conscientia valet, quando lege positiva non est sancita, dummodo ne sit expresse prohibita; licite nos uti posse, ait ipse, in conscientia praescriptionibus juris communis in regno et in omni loco, ubi oppositum per municipalem legem expresse sancitum non habetur (*ibidem*). Vim praescriptionis non tollit etiam ipsa ejus renuntiatio in tempus futurum; alioquin haec condicio semper apponeretur potissimum praescriptionibus liberativis, atque tali ratione ipsae praescriptiones eluderentur.

Ad praescriptionem in genere licet appellare soli personae praescribenti, quae pariter libere potest illi renuntiare, nisi hoc sit damno tertiae personae, aut nisi ipsa nondum sit sui juris. Quapropter ad praescriptionem alienam possunt provocare creditores, debitor ex propriis bonis ad satisfaciendum ipsis non valet. Pari modo ne-

---

[1]) S. Alphonsus Lig., *Theol. Moralis* lib IV n. 517.

queunt praescriptionem remittere vel condonare pupilli, impuberes, eorumque tutores, cum plenum dominium bonorum non habeant. Tandem licet adnotare, neminem quidquam contra seipsum posse praescribere: si quis igitur decem Missas quovis mense pro fundatore celebraverit et nonnisi post diuturnum tempus cognoverit, se tantum ad octo obligatum esse, non tenetur in posterum ad decem celebrandas.—Ut praescriptio sit legitima et in conscientia valeat, requiruntur quaedam condiciones, hisce versibus conceptae:

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:
Sit res apta, fides bona sit, titulus quoque justus,
Possideas juste completo tempore legis.

α) *Res apta.*

164. Res in genere ad praescriptionem sunt aptae, quae objectum dominii privati constituere possunt nec lege positiva aut naturali excipiuntur. Praescribi igitur imprimis nequeunt res, sua natura publico et communi usui destinatae, ut via publica, pontes, platea, nisi sane earum usus publicus cessaverit. Porro, quamquam praescriptio ad pacem et securitatem bonorum tuendam vel maxime convenit rerum naturae, cum tamen in suis condicionibus lege humana proxime moderetur, considerari igitur aliquo modo potest uti species legis positivae et qua talis nequit contra jus naturale aut divinum praevalere. Itaque praescriptione non acquiritur jus percipiendi injustas usuras, etiamsi quis per triginta annos vel amplius eas exsequi consueverit; pariter jus patris in filium, jus superioris erga subditos aliaque hujusmodi jura naturalia non sunt praescriptioni obnoxia. Deinceps praescribi nequeunt res sacrae, ecclesiae, coemeteria, quousque cultui divino inserviunt, nam a privatis personis possideri non possunt; attamen, ut recte Lehmkuhl animadvertit, sacra utensilia atque ea, quae supponi possunt fuisse vel esse in privato dominio ejus, qui jus privati sacelli habuit, non excluduntur a praescriptione [1]. Pariter a laicis praescribi non possunt jura, quae ipsis ex se competere nequeunt, ut jus percipiendi decimas, conferendi beneficia ecclesiastica, judicandi causas ecclesiasticas, aliaque jura spiritualia;

---

[1]) Lehmkuhl, *Theol. Mor.* p. I lib. II n. 917.

contra, jus patronatus etiam a personis civilibus praescriptione obtineri potest [1]). Tandem ad praescribendum non sunt apta, quae lege positiva ecclesiastica aut civili eximuntur. Lege canonica impraescriptibiles declarantur dioecesium limites indubii, condiciones piis fundationibus appositae; aeque Missarum onera, pia legata, eleemosynae distribuendae nec diuturno tempore extingui per nudam praescriptionem possunt [2]). Jure civili Rossico a vi praescriptionis eximuntur fines possessionum immobilium, generali dimensione constituti [3]); pari modo bona, quae restricta (*заповѣдныя*) dicuntur, etiam praescriptione neque amitti, nec limitibus minui possunt (ст. 564); tandem servitutes praediales, quae praescriptione extingui quidem possunt, non autem acquiri. Codice Napoleonis sola praescriptione absque legitimo titulo acquiri non possunt servitutes non conspicuae et discontinuae (art. 691), pariter ea, quae sunt merae facultatis aut simplicis tolerantiae (art 2232): ita si quis per 30 annos in proprio fundo non aedificavit, non ideo amittit jus aedificandi in posterum, etiamsi suus vicinus sese opponat, ne tali pacto ipsi prospectus impediatur. Porro res furtivae aut vi ablatae non possunt ab ipso fure aut raptore praescribi (art. 2233). Tandem quaedam bona ratione quarundam personarum tum Jure Rossico, tum Codice Napoleonis non sunt praescriptioni obnoxia; hujusmodi bona sunt minorum et impuberum, nisi agatur de praescriptione liberativa; item bona conjugum, quatenus alter contra alterum praescribere non potest.

β) *Possessio.*

165. Possessio, qua simplex factum, est nuda detentio rei nomine alieno; dicitur possessio naturalis. Possessio autem, qua signum dominii vel modus illud acquirendi, alias *possessio civilis, est detentio rei tanquam suae adminiculo corporis et juris.* Ad hanc civilem possessionem tria requiruntur: a) ut res detineatur *animo* eam tanquam *suam habendi*, non obstante fortasse mala fide; usufructuarius igitur

---

[1]) Cf. S. Alphonsus, *Theol. Mor.* lib. IV, n. 515.

[2]) *S. C. C. d. 13 Aug. 1845.*

[3]) Гражд. Зак. ст. 563: Межи генеральнаго межеванія не могутъ быть уничтожены давностью владѣнія.

bona proprietarii et tutor bona pupilli non dicuntur civiliter possidere; contra, fur et raptor civiles possessores esse judicantur. b) Ut in possessione aliquis *actus corporeus* interveniat, quo res apprehendi et teneri censeatur; rem autem aliquis corpore tenere dicitur, quando ita est ei vicinus, ut per se vel per alium continuo adesse censeatur, rem tenendo vel eadem fruendo. c) *Ne jus positivum* possessioni aperte *obsistat*; idcirco res publicae a persona privata et sacrae a civili non dicuntur juridice possideri, lege positiva id expresse prohibente et irritante; contra, res furtivae, quoad a legitimo proprietario suae esse probabuntur, civiliter, licet injuste, a fure possideri judicantur.—Possessio civilis, hisce tribus condicionibus vestita, non tantum quosdam effectus juridicos habet, sed ipsa lege naturali possessori, licet in se illegitimo, quaedam emolumenta tribuit. Ita, in dubio melior est condicio possidentis, hic enim praesumitur juste possideri, donec contrarium a competitore probabitur. Pari modo onus probandi et actionem in judicio agendi incumbit non possessori, sed ejus adversario; quousque vero lis nondum est dirempta, possessor in sua possessione retinetur et publica auctoritate defenditur; ubi vero publica auctoritas praesto haberi non potest, licet ipsi possessori, etiam rem dubiam defendendo, vim vi repellere: enim vero suus competitor, quicunque sit, privata auctoritate eum de possessione dejicere licite nequit. Insuper Codice Napoleonis possessor bonae fidei fructus etiam rei alienae suos facit. Tandem omni jure possessio civilis dat fundamentum praescriptioni.

166. Quae civilis possessio Codice Napoleonis ita definitur: detentio rei, quam quis habet, vel usus juris, quod exercet sive ipse, sive ejus nomine alius (*art. 2228*). Haec *possessio, ut ad praescribendum quid valeat, esse debet*: a) *dominativa* vc. tum nomine suo et animo domini-proprietarii non autem titulo tutoris, usufructuarii, aut depositarii, tum cum intentione saltem implicita habendi vel acquirendi dominium. Si quis igitur ignorat, rem aliquam ex obliviose apud se relictam manere, non praescribit eam, etiamsi temporis spatium ad praescribendum sufficiens praetereat; qui enim nescit, non possidet; infantes tamen heredes, licet inscii, implicitam intentionem habere supponuntur. Nequit pariter aliquis quidquam sibi acquirere, qui non suo sed alieno nomine possidet. b) Possessio esse debet *publica non clandestina* vc. ejus naturae, ut ab eo, contra quem praescribitur, cognosci possit. Fossa igitur, subter fundum alienum latenter facta, ad praescribendum non est apta, quousque externe non apparet.

Altera tamen ex parte non requiritur, ut dominus rei, contra quem praescribitur, causam reipsa cognoscat; sufficit, si cognoscere possit; alioquin vix aliqua praescriptio contingere possit. c) Possessio esse debet *placida*, cui opponitur vis: actus enim violentiae nequit esse fundamentum honestae et legitimae possessionis, quae praescriptionem efficiat; vis etiam bona fide adhibita hunc defectum non supplet; qui igitur rem emit ab alio, quem legitimum dominum esse ex errore putabat et deinceps possessorem, quem verum dominum esse ignorabat, eadem re, licet bona fide, privavit, non potest eandem in posterum praescribere ex defectu placidae possessionis. d) Possessio *ne sit aequivoca, dubia aut ambigua, sed certa;* vc. possessor esse debet moraliter certus, se nomine proprio, qua proprietarius, non autem titulo precario usque adhuc rem possedisse.

167. e) Tandem possessio esse debet *continua et non interrupta*, usque dum tempus ad praescribendum sufficiens compleatur; continua possessio intelligitur, quae non in unico aliquo actu, sed in eorum serie consistit; interrupta autem est ea, quae ob aliquod impedimentum superveniens ita cessat, ut ad praescribendum iterum inchoari debeat, non vero ea, quae ab uno incoepta, ab alio continuatur; ad complendum enim tempus praescriptionis novus possessor, qui ab alio possessore rem titulo per se honesto v. gr. emptione vel donatione obtinuit, totum tempus potest sibi annumerare quo a praedecessore res bona fide possidebatur. Propria autem *interruptio duplici ratione fieri potest:* 1) *naturaliter*, vc. quando possessor aut sua sponte possessioni valedicit, aut ultra integrum annum rei fruitione a quocunque privatur, aut quando ipsi mala fides supervenit; 2) *civiliter* vero, si lis circa possessionem in judicio movetur, neque actio a judice repudiatur (*art. 2247*). Ab interruptione distinguitur possessionis suspensio: in illa tempus ad praescribendum de novo inchoari debet, in hac autem anni praecedentes cum subsequentibus computantur et solummodo tempus intermedium, quo suspensio durat, illis non annumeratur et dormire dicitur. *Suspenditur vero possessio*: 1) quando proprietarius causam suam in judicio defendendi non est capax, ut tempore belli, aetate nondum matura, tempore interdicti; hanc etiam ob causam praescriptio non currit contra ecclesiam, dum suo rectore caret; 2) quando res possessa aut jus ab alio exercitum nondum exigi potest, ut debita condicionata aut solummodo post definitum tempus solvenda, contra quae praescriptio non currit, quoad condicio adimpleatur aut tempus statutum terminetur.

γ) *Bona fides.*

168. Ad praescriptionem praesertim acquisitivam bona fides est condicio essentialis. In Concilio Lateranensi IV est statutum: quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica, quam civilis [1]). Pariter 2-a regula Juris in 6° dicit: *possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* Quod utique aequum et justum est, nemini enim fraus aut mala fides prodesse debet, alioquin fures et malevoli homines ad cupiditatem et fraudes, incitarentur, et tali pacto tantum abesset, ut bonum publicum et rerum securitas promoveretur, ut potius majori discrimini exponeretur. Jure Romano et Codice Nap. bona fides saltem initio posssessionis requiritur, Jure autem Rossico prorsus non exigitur [2]). Defectus tamen bonae fidei perinde minime potest praescriptionem efficere legitimam et honestam: lex civilis, quae in bonam fidem non inquirit, nihil aliud intendere merito supponitur, quam excipienti denegare juridicam actionem in foro externo; denegatur vero ideo actio forensis, quia fides bona, cum saepissime sit res interna, non semper cognosci potest. — *Bona autem fides*, quae ad praescriptionem est summe necessaria, *in eo consistit*, *quod ille*, *qui rem alienum possidet*, *toto tempore ad praescribendum requisito prudenter existimat*, *eam esse suam.* Bona igitur fides hic innititur errori et supponit ignorantiam inculpabilem. Non omnis tamen culpa in praesenti bonam fidem tollere censetur: quemadmodum enim quis non desinit esse fidelis, etiamsi peccati venialis contra fidem sit reus, ita pariter *venialiter culpabilis ignorantia* in re aliena possidenda non censetur legitimae praescriptioni obesse. Nisi enim hoc admitteretur, ipsum jus praescriptionis aut nihil valeret, aut saltem innumeris obnoxium esset anxietatibus, cum res sit difficillima omnem negligentiam etiam venialiter culpabilem cavere. *Ad se liberandum autem a servitute passiva aut a solvendis mulctis*, ratione poenae impositis *nulla prorsus bona fides pro praescriptione requiritur.* Quamquam igitur praescribens conscius sit alieni juris sibi onerosi, non obligatur tamen

---

[1]) Cap. Quoniam, XX, de Praescrip. II, 26.

[1]) Jure Rossico praescriptio simpliciter definitur: *спокойное, безспорное и непрерывное владѣніе въ видѣ собственности въ теченіе установленной закономъ давности.* Гражд. Зак. ст. 533.

alterum monere, ne jure suo uti negligat; sufficit hac in causa, ne ex parte praescribentis ullum ponatur obstaculum, quo alter in usu sui juris impediatur. Hic defectus bonae fidei ad se liberandum a servitute passiva vel a mulctis solvendis nihil obest, quominus praescriptio etiam in conscientia valeat, cum enim servitutes passivae et leges poenales qua gravamina juste considerentur, nemo obligari potest, ut ipse sibi eadem petat.

169. Praeter propriam bonam fidem, quae theologica dicitur et ignorantiam inculpabilem supponit, habetur *alia bona fides, quae juridica* appellatur et ad praescriptionem etiam requiritur; haec consistit in observandis quibusdam formis et condicionibus, lege civili praeceptis. Ignorantia harum condicionum non admititur[1]) et, quod inde sequitur, earundem omissio vel violatio etiam involuntaria non excusat a culpa juridica et vitiat bonam fidem juridicam. Culpa juridica, etiamsi sit involuntaria, certe tamen legitimae praescriptioni obest: cum enim praescriptio lege positiva proxime moderetur et ab eadem pressius definiatur, vim sane nullam obtinere potest, nisi condiciones eadem lege praescriptae serventur.

Bonae fidei opponitur fides mala et dubia. Mala fides hic intelligitur, qua quis ante tempus praescriptionis completum cognoscit, rem, quam possideat, esse alienam. Haec praescriptionem in conscientia irritam facit. Ad malam fidem aeque refertur *conscientia illiciti, etsi erronea*; non potest enim aliquis bonae fidei esse dici, qui contra conscientiam licet erroneam agit. Pari modo, si quis ab initio in mala fide mortaliter culpabili habebatur, etiamsi deinceps toto subsequente tempore ad praescriptionem requisito in bona fide per oblivionem exstiterit, nihilominus rem possessam praescribere nequit. Tali pacto fur nunquam potest legitime rem alienam praescribere, etiamsi decursu temporis ex oblivione eandem esse suam arbitretur. Etiam debitores vix unquam invocare praescriptionem possunt: nam aut aliquam in confuso memoriam debiti contracti semper retinent, aut saltem ejusdem memoriam sine negligentia certe culpabili non amittunt.

170. Non unum idemque sentiunt theologi, quando inquirunt, quantum alicui mala fides antecessoris ad praescribendum noceat, vc. *utrum*

---

[1]) **Основн. Зак.** ст. 62: *Никто не можетъ отговариваться невѣдѣніемъ закона*

possit aliquis praescribere rem ab alio possessore malae fidei acceptam, si ipse propter ignorantiam per totum tempus ad praescriptionem requisitum in bona fide manet. Quo in dubio solvendo theologi distinguere solent duplicis generis successores: alios, qui *titulo universali*, qua heredes, ut filii, conjux, Respublica bona accipiunt, alios, qui *titulo particulari*, ut donatione, emptione, contractu singulari aliquid obtinent. Omnes theologi consentiunt, successorem bonae fidei, qui *titulo particulari* ab antecessore etiam malae fidei aliquid acceperit, legitimo tempore posse praescribere, cum in hoc casu persona alteriusutrius possessoris juridice diversa et mutuo independens esse censeatur. Contra, de *successore universali* insignior theologorum pars sententiam, contrariam et negantem uti probabiliorem tuentur. Ita S. Alphonsus Lig., Lugo, Molina, Laymann [1]). Cujus rei rationem hanc card. *Lugo* affert: successor universalis, hoc est, heres ita repraesentat personam defuncti, ut succedat in omnes ejus obligationes et onera: cum ergo praecessor ob malam fidem et injustam rei acceptionem et retentionem contraxerit obligationem restituendi et impediendi praescriptionem illius rei et resarciendi omnia damna, haeres in hac ipsa obligatione succedit et ideo non potest cooperari praescriptioni, quam ipsemet tenetur impedire, pro qua debet restituere. Idem etiam *Molina* probat: quoniam haeres universalis personam defuncti repraesentat illique succedit in omnibus oneribus, eaque de causa qua una omnino reputatur possessio defuncti et haeredis; et quia illa una possessio habuit vitiosum initium, tota possessio juris fictione vitiosa reputatur. Juxta mentem *Laymann* successor universalis rem alienam hereditate acceptam nec post ducentos aut trecentos annos praescribere potest. Omnes tamen nuper allegati theologi suam sententiam tuentur, innixi Juri Romano, quo heres cum suo antecessore una persona moralis esse censentur. Cum autem heres stricte dictus nonnisi per meram juris fictionem personam antecessoris continuare reputetur, ideoque illa fictio non debet ultra extendi, quam ipsa lex eandem extendit. Atqui tum Jus Rossicum post decem annos, tum Codex Napoleonis (*art. 2262*), post 30 annos in bonam fidem antecessoris prorsus non inquirunt, dummodo ipse ne titulo precario (*art. 2237*) v. gr. usufructuarii, depositarii etc, sed proprio nomine possederit. Et hoc in conscientia valere arbitramur, dummodo ipse successor per totum tempus ad

---

[1]) S. Alphonsus Lig., *Theol. Mor.*, lib. IV, n. 512; Molina, t. I, Disp. 65, n 4; Lugo, Disp. VII, n. 60; Laymann, lib III, tr. I, cap. 8, n. 18.

praescriptionem requisitum vc. Jure Rossico per decem, Codice Napoleonis per 30 annos in bona fide maneat [1]).

171. *Quod vero ad possessorem dubiae fidei spectat*, haec sunt tenenda: ille, *qui ab initio* dubitat, utrum res sit sua, an aliena, tuta conscientia eam ut suam possidere et praescriptionem incipere defectu bonae fidei nequit. Quamdiu igitur tali dubio non succedit, examine peracto, moralis certitudo, rem esse suam, vel nullius, aut derelictam, tamdiu legitima praescriptio suspenditur vel impeditur. Attamen, qui alteri in re possidenda succedit et de hujus possessoris bona fide ab initio dubitat, post debitam diligentiam, ad dubium solvendum adhibitam, etiamsi dubium perseveret, nihilominus praescriptionem incipere potest, cum suus antecessor, nisi contrarium certe appareat, malus praesumi non debet.

Dubium superveniens possessioni, bona fide inchoatae, non impedit, quominus possessio bona fide haberi continuetur, dummodo debitum examen adhibeatur, nec certo constet, rem esse alienam. Possessori enim hoc in casu etiam dubio favet regula juris: in dubio melior est condicio possidentis. Attamen, qui culpabiliter in veritatem inquirere suo tempore neglexit et deinceps propter illam negligentiam jam amplius dubium solvere non potest, certe ad restitutionem pro rata parte dubii obligatur, neque ad praescriptionem provocare ei licet.

δ) *Titulus, правооснованіе, tytuł.*

172. *Titulus hic intelligitur causa, cujus gratia aliquid possidetur, vel ratio propter quam possessor arbitratur, rem esse suam.* Ex eo, quod ad praescribendum bona fides et possessio dominativa requiruntur, satis apparet, necessarium esse pariter aliquem titulum possidendi: nemo enim prudenter et bona fide judicare potest, rem alienam esse suam, nisi aliqua ratione licet falsa convincatur. Sane fieri potest, ut quis, diuturno tempore elapso, tituli prorsus obliviscatur, quin tamen reipsa eo careat; sed tunc ipsa diuturna possessio, quae illegitima gratis non praesumitur, titulum supplere dicitur; exinde ortum habet loquendi modus improprius: quasdam praescriptiones absque titulo valere. Quamquam tamen non semper est necesse, habeatur

---

[1]) Idem tenent: Marc, *Theol. Mor.*, t. I, p. II, n. 896; Tractatus Mechlin. *De Justitia et Jure*, p. I, n. 19 bona fides; Gousset, *Theol. Mor.*, I, n. 720.

certus titulus, semper tamen praescriptioni obest titulus vitiosus; hinc illud axioma: *melius est titulum prorsus non habere, quam habere vitiosum.* Quae res ut melius intelligatur, est animadvertendum, *quadruplicis generis titulos* ad praescribendum a theologis distingui: *verum, putativum, coloratum, vitiosum. Titulus verus* est, qui omnes condiciones, ad dominium legitime transferendum requisitas, reipsa habet, ut emptio, donatio, testamentum. Res sane est evidens, ad praescribendum non requiri titulum verum; ubi enim hic habetur, praescriptio est supervacanea. *Titulus putativus vel existimatus* ille dicitur, qui ex certis rationibus prudenter creditur adfuisse, quamquam de facto abfuit: v. gr. filius in hereditatis cumulo obtinet rem, quam a patre esse emptam arbitratur, quamquam de facto non est empta. *Titulus coloratus* est, qui ex natura sua ad dominium transferendum est aptus, ob aliquem tamen latentem defectum est invalidus nec vim suam obtinere potest; v. gr. aliquis rem emit a fure, quem verum ejusdem rei proprietarium esse arbitratur. (Octo tituli colorati in Jure Romano hisce verbis enumerantur: pro emptore, pro herede, pro donato, pro derelicto, pro legato, pro dote, pro soluto, pro suo.) Tituli coloratus et putativus ad praescribendum sufficiunt, dummodo aliae adsint condiciones lege requisitae, potissimum bona fides. Tandem *titulus vitiosus* dicitur, qui ad plenum dominium transferendum prorsus non est aptus; talis titulus est precarius, quando vc. possessor rem alienam tenet uti sibi locatam, depositam, commodotam, usufructui sibi datam.

173. Titulus vitiosus ad praescribendum potius nocet, quam prodest, juxta illud allegatum proverbium: melius est titulum prorsus non habere, quam habere vitiosum. Ubi enim titulus vitiosus habetur, ibi deest illa condicio ad praescribendum essentialiter necessaria, qua praescribens rem nomine proprio ut suam habere debet. *In Legislatione Rossica* mentio tituli non habetur, implicite tamen titulus exigi videtur, cum ad praescribendum requiritur possessio pacifica *nomine suo* (*владѣть на себя, на свое имя*).—*Codice Nap.* ad praescribenda bona immobilia requiritur titulus saltem coloratus aut existimatus, si de praescriptione 10 aut 20 annorum agitur; pro praescriptione autem 30 annorum nullus requiritur titulus, vel potius lege praesumitur aliquis adfuisse, oblivioni datus. Pro rebus mobilibus ipsa possessio titulo aequivalet (*art. 2279*). Attamen, tum Jure Rossico, tum Codice Nap. titulus vitiosus legitimae praescriptioni certe obest; solummodo pro foro externo hic non praesumitur, sed probari debet. Insuper Jure Rossico titulus vitiosus (*precarius*), elapso tempore per

contractum definito, esse talis desinere potest: ex. gr. aliquis usumfructum praedii ad 12 annos contractu accipit; si, tempore 12 annorum elapso, contractus non renovatur, et usufructuarius ulterius pergit pacifice frui alieno praedio, absque ullo respectu veri proprietarii, nihil solvendo pro usufructu, jam 10 annis elapsis, praedium praescriptione obtinet[1]). Hoc tamen, ob defectum bonae fidei in usufructuario, pro foro conscientiae certe non valet.

ε) *Tempus.*

174. Necessitas ad praescribendum alicujus temporis, non nimis exigui habita ratione rerum quae possidentur, satis apparet ex argumentis, quibus praescriptio ad utilitatem et prosperitatem publicam maxime conveniens et opportuna esse ostenditur. Enimvero, si res alienae sine ulla distinctione illico, ac possidentur, praescribi possent, tantum abesset, ut securitas publica tali pacto protegeretur, ut potius in majus discrimen vocaretur, atque de ipso privato dominium actum esset. Non omnibus tamen codicibus nec pro omnibus rebus, praescriptione acquirendis, idem tempus requiritur. Ubique tamen tempus praescriptionis non habetur completum et sufficiens, nisi ultimus dies totus praetereat, qui non a certa hora ad eandem horam, sed a media nocte ad mediam noctem computatur. Insuper ad complendum tempus praescriptionis potest actualis possessor suae possessioni possessionem antecessoris adjungere, dummodo haec legitimis condicionibus ad praescribendum necessariis polleat.

Jure Canonico ad praescribenda bona ecclesiastica immobilia et mobilia pretiosa exiguntur 40 anni; imo, bona immobilia Ecclesiae Romanae gaudent peculiari privilegio, vi cujus praescribi nequeunt nisi post 100 annos. Quid autem de bonis mobilibus non pretiosis sit sentiendum, inter theologos non satis constat: alii, ut Lessius, Lugo, Laymann probabilius opinantur eadem cum justo titulo post triennium praescribi, alii aeque ac pro bonis immobilibus 40 annos exigunt; s. Alphonsus utramque sententiam satis probabilem esse dicit [2]).

---

[1]) Cf. Побѣдоносцевъ, *Курсъ Гражд. Права*, ч. I, § 25, стр. 183.

[2]) Lugo, Disp. VII, n. 69; Lessius, lib. II cap. 6 n. 12; Laymann. ilb. III, tr 1, cap. 8, n. 13; S. Alphonsus, lib. IV, n. 510.

175. **Jure Rossico** [1]) tum pro praescriptione acquisitiva (*пріобрѣтательная давность*), tum pro liberativa (*погасительная*) in genere tempus 10 annorum est decretum; nonnisi pro quibusdam liberativis minus temporis spatium sufficit: jus exigendi a parte adversa, ut sumptus pro lite injusta restituantur, post 6 menses amittitur; jus postulandi a proprietariis navium aut viarum ferrearum, ut sibi vel familiae suae compensetur damnum, quod quis ratione vulnerum aut mortis ibidem est passus, post annum completum extinguitur (*ст. 683*); jus repetendi solutum pretium pro nuntiis arte telegraphica missis et incuria ministrorum tarde, aut nullatenus traditis, vel nimis depravatis, generatim post 6 menses cessat etc. [2]). *In Livonia* pro diversitate locorum tempus ad praescriptionem sufficiens valde multiplex est statutum: generatim ad praescribenda mobilia temporis spatium intra unum et tres annos sufficit, ad immobilia 6—10 anni requiruntur. Semper tamen justus titulus est necessarius; sola immemorabilis possessio titulo aequivalet; imo, etiam immemorabilis possessio irrita declaratur, si cum titulo vitioso fuisse probetur [3]).

176. **Codice Napoleonis de praescriptione acquisitiva** haec sunt decreta: *bona immobilia* sine ullo titulo post 30 annos praescribuntur, nec pars adversa malam fidem possessoris potest excipere (*art. 2262*). Si vero possessor titulum legitimum habet, ejusque mala fides saltem initio possessionis non apparet, tunc immobilia praescriptione acquiruntur post 10 annos, dummodo ille, contra quem praescribitur, in illo districtu curiae appellationis (*въ округѣ апелляціоннаго суда*) sit praesens, in quo bona immobilia praescriptioni succumbunt. Si vero praescriptionem patiens ab illo districtu est absens, tunc in ejus favorem annorum suae absentiae duplo major ad praescriptionem numerus requiritur [4]); contra eum igitur, qui toto tempore est absens, praescriptio nonnisi post 20 annos valet (*art. 2265* et *2266*).

---

[1]) **Гражд. Зак.**, ст. 533, 557, 560, 566, 692, 694 съ приложеніемъ.

[2]) Multiplex tempus, quo pro diversis causis jus appellandi ad tribunal judicum amittitur vd. **Уставъ Гражд. Суд. ст.** 816—831.

[3]) **Прибалт. Гр. Зак.**, ст. 700—706; 819—866.

[4]) Hic legis favor est justus et rationalis, nam absenti est difficilius curam suarum rerum habere. Jure Rossico pro Imperio haec exceptio generatim non conceditur. Attamen praescriptio contra bona nondum adultorum, amentium, pariter surdo-mutorum, si bona administrandi sunt incapaces, ibi prorsus suspenditur. Idem favor, si petitur, obtineri potest ab iis, qui partem belli extra patriam capessunt.

Quae praescriptiones ut etiam in conscientia valeant, toto tempore bona fides theologica adesse debet; pro foro tamen externo mala fides gratis non praesumitur, sed a parte adversa probari debet (*art. 2268*).—Ad *bona mobilia* praescriptione acquirenda Codex nullum tempus decernit, sed simpliciter declarat, ipsam possessionem aequiparari titulo (*art. 2279*) vel, quod idem est, solam possessionem transferre dominium. Haec legis sanctio, ut ex aliis ejusdem Codicis articulis apparet, iis tantum mobilibus applicatur, quorum dominium mera traditione transferri solet, ut sunt credita exhibenti solvenda [1]). Excipiuntur igitur mobilium universitates, ut integra haereditas, et mobilia incorporalia (*jura*), ut census et debita, quae non exhibenti chartam sunt solvenda [2]). Insuper eodem Codicis articulo excipiuntur res amissae aut furto ablatae, quae nonnisi post tres annos praescribuntur. Harum proprietarius intra tres annos, tempus computando a die perditionis aut furti, a quovis possessore gratis repetere potest, nisi hic bona fide rem forsan emerit a fure in foro, aut auctione publica, vel a mercatore tales res publice vendente (*art. 2279*, *2280*). Possessor tamen, qui saltem post tres annos res amissas vel furto ablatas praescribere potest, utique non ipse fur vel inventor malae fidei intelligitur, sed tertia persona, quae easdem bona fide emerat; fur enim nullo temporis spatio praescribere potest.

177. *An legis sanctio*, qua res mobiles in genere sola traditione et res furtivae vel amissae post triennium praescribuntur, *etiam in conscientia valeat*, valde disputant theologi. Haec vero esse tenenda nobis videntur. Imprimis, quod ad *res furtivas et deperditas* attinet, legis sanctio esse videtur plene justa et in conscientia valere [3]), cum ad securitatem commercii et stabilitatem conventionum sit necessaria. Utique ipse fur nunquam praescribit et inventor, etiamsi sufficientem diligentiam ad rei dominum detegendum adhibuerit, non ante 3 annos praescribere potest [4]). Tertia tamen persona, quae a

---

[1]) Безъименныя кредитныя бумаги, выданныя на предъявителя. Cf. **Общ. Собр. Касс. Деп.** *1884 г. № 40.*

[2]) Правило 2279 ст. о томъ, что въ отношеніи движимостей владѣніе равносильно правооснованію не распространяется на долговые документы. Cf. **Касс. Департ.** *1886 г. № 30.*

[3]) Ant. **Ballerini** pro more suo, sermone sat aspero, non videtur tamen recte, omnem lapidem movet, ut probet, hanc legis sanctionem civilem nullo pacto suam vim in conscientia obtinere. *Cf. Adnot. ad Th. Mor. Gury, t. I, n. 586.*

[4]) Сопоставленіе ст. 2262 съ ст. 2265 приводитъ къ заключенію, что *добросовѣстность* владѣнія не требуется лишь при примѣненіи продолжительной трид-

fure vel inventore rem aliquo honesto titulo (emptione vel dono) et bona fide acquisivit, certe eam post triennium sibi retinere potest. Verus enim proprietarius rei furatae aut inventae, si post tres annos apparet, jus habet, pretium rei sibi repetendi ab ipso fure vel inventore malae fidei; si nihilominus aliquod damnum ideo patitur, propriae incuriae adscribere debet.

Quod *ad cetera mobilia* praescribenda pertinet, certe ipsa lege civili [1]) bona fides requiritur; bona fides autem haberi nequit sine justo titulo. Dubium igitur moveri tantum potest de temporis spatio ad illa praescribenda necessario. Certe, si lex pro rebus furtivis et amissis praescriptionem triennalem sufficere declarat, etiam pro ceteris praescribendis longius tempus exigere non praesumitur. Plures theologi opinantur, cetera mobilia sola traditione statim praescribi, dummodo bona fides et honestus titulus adsint. Gury non sine ratione animadvertit: praeter res furtivas et res inventas, quae triennio praescribuntur, casus possessionis rei alienae valde rari sunt, v. gr. in re locata vel deposita; et cum possessio pollere debeat variis condicionibus, quae unico instanti impleri non possunt, saepius recidet *haec praescriptio* in triennalem, quae in conscientia admitti potest [2]).

178. **Codice Napoleonis de praescriptione liberativa,** habita ratione diversorum jurium, tempus sat multiplex est decretum. Generatim omnia jura, quae praescriptionis sunt capacia, sive realia sive personalia, *post 30 annos* praescriptione amittuntur, quin aut titulus exigi, aut mala fides opponi possit (art. 2262). Tali pacto extinguuntur ususfructus (*art. 617*), servitutes (*art. 706*), jus percipiendi censum (*art. 2263*), debita, jus hereditarium etc. Hujusmodi praescriptiones, dummodo bona fides theologica adsit, certe valent in conscientia; imo, servitutes passivae et mulctae ratione poenae solvendae etiam scienter praescribi possunt, dummodo ne impedimentum ponatur, quominus suo tempore exequi possint [3]).

цатилѣтней давности и ставится необходимымъ условіемъ при болѣе краткой 10-лѣтней давности—и что тѣмъ болѣе представляется основаніе къ требованію такого условія, когда рѣчь идетъ о срокѣ еще болѣе краткомъ — трехлѣтнемъ. Касс. Деп. *1887 г. № 74 къ ст. 2279.*

[1]) Только владѣніе добросовѣстное и въ качествѣ собственника равносильно правооснованію. IX Деп. *1857 г. № 15.*

[2]) Gury, *Theologia Moralis*, t. I, n. 587.

[3]) S. Alphonsus Lig., *Theologia Moralis*, lib. IV, n. 513.

Tempore 5 annorum praescribi declarantur omnia debita singulis annis vel certis intra annum intervallis solvenda (*art. 2277*): hujusmodi sunt: auctaria (*procenta*), annuae pensiones vi census vitalitii solvendae, pensiones pro locatione agri, vel aedificii etc. Hae praescriptiones jure civili declarantur valere etiam contra impuberes; hi tamen possunt sibi debita a negligentibus tutoribus et curatoribus petere (*art. 2278*).—Praescriptio quinquennalis, ut plures theologi censent [1]), in conscientia non valet, si agatur de ipso debitore, quia generatim in ipso deest bona fides, ad quam ignorantia debiti toto tempore requiritur. Si vero agatur de successoribus etiam titulo universali, ut sunt heredes, illa praescriptio etiam in conscientia probabilius valet, dummodo hi reipsa in bona fide existant.

179. *Utrum etiam in Regno Poloniae debitor tuta conscientia uti nequeat quinquennali praescriptione,* difficile est solutu; habetur enim authentica legis explicatio [2]), qua creditori non sola actio in foro judiciali denegatur, sed ipsum jus in gratiam debitoris plene extinguitur, etiamsi hic coram judice ingenue confiteatur, se debita auctaria nondum solvisse; cujus favoris ratio sat gravis a Senatu indicatur, et quidem: non tam poena negligentis creditoris, quam potius periculum, ne annua auctoria temporis decursu nimium accrescant et debitorem suo pondere demergant. Certe, confessarius nunquam suadeat debitori, ut in hoc casu ad se liberandum ab auctariis solvendis sub patrocinio legis civilis confugiat; quia, si non ratione justitiae, certe contra christianam charitatem peccat debitor, abutendo patientia et fide creditoris. Altera tamen ex parte confessarius non potest rigorose obligare debitorem, ne illa quinquennali praescriptione utatur, cum ipsa causa sit dubia; praesertim id valet in casu, quo debitor nihil ex sua parte, nec preces adhibuit, ut creditorem a suis auctariis recipiendis retraheret; tunc enim creditor, quem legis sanctio non latet, auctaria condonasse merito praesumi debet. Imo

---

[1]) **Gury**, lib. 1, n. 588; **Gousset**, lib. 1, n. 719; **Waffelaert**, t. 1, n. 255; **Tractatus Mechlinensis**, p. 1, n. 19, q. 13.

[2]) Пятилѣтняя давность процентовъ установлена законодателемъ не только какъ карательное послѣдствіе для кредитора, но и въ пользу должника, какъ средство, предупреждающее накопленіе платежей и чрезмѣрное увеличеніе долга, уплата коего стала бы слишкомъ тягостною. Посему даже *признаніе должника*, что проценты имъ не уплочены, не препятствуетъ примѣненію давности по ст. 2277, если только должникъ на нее ссылается. **IX Деп.** *1858 г. № 19; 1862 г. № 30.*

debitor tuta conscientia certe uti potest quinquennali praescriptione, quando ad auctaria supra normam legitimam (*usuraria*) solvenda cogitur; licet enim ad se liberandum ab injusta vexatione in hoc casu sub patrocinio legis civilis confugere.

180. Sunt etiam aliae *praescriptiones liberativae, ad quas Codice brevius adhuc tempus sufficere dicitur*: 6 menses requiruntur pro stipendiis operariorum, hospitum, praeceptorum, si pensiones solvendae sunt quotidie, aut quovis mense (*art. 2271*); unus annus—pro stipendiis medicorum, pharmacopolarum, hospitatorum ob alumnorum pensionem, apparitorum, famulorum annua mercede conductorum etc. (*art. 2272*); tandem duo anni—pro stipendiis procuratorum, causa finita (*art. 2273*). Hisce tamen praescriptionibus denegatur tantum actio in foro judiciali. In conscientia certo non valent, cum ipse legislator id minime intendit. Codice Napoleonis (*art. 2275*), qui hujusmodi praescriptionem invocabant, tenebantur jurare, se debitum solvisse. Juramentum quidem in Regno Poloniae lege non exigitur, ex authentica tamen declaratione [1]) Senatus Regnantis apparet, hisce praescriptionibus solam actionem juridicam denegari ob praesumptam debiti solutionem; quamobrem, ubi praesumptio contraria apparet, (*contraria apparet, si stipendia solvenda probari possunt charta subscripta*), debitor etiam judicum tribunalibus ad illa solvenda adstringitur.

---

[1]) Краткія давности, установленныя 2271—2274 ст. Гр. Код. основаны на предположеніи объ уплатѣ долга, оставшагося неистребованнымъ до истеченія назначенныхъ въ этихъ статьяхъ сроковъ. Обязательства эти по принятому обычаю въ большей части случаевъ не облекаются въ письменную форму и требованіе платежа по этимъ обстоятельствамъ обыкновенно не замедляется... Въ виду сихъ соображеній Прав. Сенатъ призналъ, что краткія давности, установленныя 2271–2274 ст. не примѣнимы къ случаямъ, когда существуетъ письменный договоръ. *Касс. Департ. 1890 г., № 35*

LIBER SECUNDUS.

De Injustitia.

1. Card. de Lugo, quem in materia justitiae ejusque difficultatibus solvendis, ut plurimum, ducem potissimum sequimur, VIII disputationem sui voluminosi operis exorditur verbis, quae etiam nostro libro fere ad litteram praemittere commode possumus. «Postquam diximus, ait ipse, de objecto justitiae et de speciebus juris, ac praesertim de dominio et modo illud acquirendi, consequens est, ut de praecipuo *justitiae actu* dicamus. Is autem est: servare illaesum jus alienum. Hoc autem explicari non potest, nisi explicetur, quomodo jus alienum laedatur; quae laesio proprie appellatur injuria. Agemus autem prius de injuria in genere et postea in particulari de injuriis circa peculiaria genera bonorum, quae faciunt etiam diversa genera injuriarum». Cum tamen deinceps disputationem de injuriis una cum disputatione de earundem reparatione contexere magis accomodatum esse Lugo arbitretur, nobis quidem majoris perspicuitatis gratia magis opportunum esse videtur hac in causa sequi potius theologos nostrae aetatis, qui, nisi paucos, ut Marres, d'Annibale, excipiamus, illa duo separatim considerare solent; quamquam altera ex parte negari profecto nequit, disputationem de injuria in doctrina morum integre sejungi a disputatione de restitutione vix posse: cum enim injuria non alium ob finem a theologis explanari soleat, nisi ut ei deinceps per restitutionem conveniens remedium proponatur et applicetur, nihil mirum, quod utriusque materia identidem inter se contingit. Ordine sane prior consideranda est injuria ejusque diversae species.

DE NATURA INJURIAE.

2. Non plane eadem subsistit relatio inter injustitiam et injuriam, quam quae inter justitiam et jus habetur: justitia est virtus, jus est suum objectum; injustitia est pravus habitus, qui justitiae e contrario opponitur, injuria autem est hujus vitii actus. *Injuria igitur in genere est negatio seu violatio juris alieni.* Quemadmodum autem ipsum jus non eodem sensu intelligi solet, ita pariter injuria multiplici significatione accipi potest. Sensu latissimo accepta enuntiat transgressionem cujuscunque legis; ita, quodvis peccatum dicitur injuria, Deo facta. Sensu magis proprio injuria dicitur violatio juris, quod alteri aliqua ratione stricte aut minus stricte debetur. Haec vero pro triplici justitia, cui actu opponitur, etiam ipsa triplicis generis distinguitur: est enim vel a) *injuria illegalis*, quae tum ex parte principis, sua officia negligentis, fieri potest, tum ex parte subditorum, ut anarchistarum aliorumque publici ordinis perturbatorum; vel b) *respectus aut acceptio personarum*, qua justitia distributiva laeditur; vel tandem c) *injuria rigorosa*, qua jus strictum alteri debitum violatur; cujus postremae injuriae est idem objectum, ac justitiae commutativae. Denique injuria sat frequenter in sermone populari accipitur sensu angusto pro injusta laesione alieni honoris, quae est sola species injuriae rigorosae. Quidem, ut melius aequivocam disputationem declinent et a detractione vel contumelia injuriam rigorosam distinguant, hanc potius injustitiam commutativam dicere volunt. Quod sane ratum haberi nequit; injustitia enim est habitus, injuria vero designat actum. Quandoquidem tamen habitus propriis actibus et contrahitur, et continetur et explicatur, ideo tota doctrina de injuriis etiam doctrina de injustitia jure merito inscribi potest.

3. In praesenti disputatione de injuria tantum rigorosa, quae sola ad restitutionem stricte obligat, erit nobis agendum. Quae *injuria materialis et formalis distingui solet.* Injuria **materialis** est juris alieni violatio involuntaria, absque sufficiente cognitione facta; committitur aut inadvertenter, aut bona fide propter ignorantiam inculpabilem. Ut tamen vera injuria, licet materialis tantum, habeatur, non sufficit proximo aliquod damnum fieri; hoc enim esse potest promeritum; ad injuriam autem veri nominis semper requiritur, ut alter suo jure stricto privetur immerito; adeoque judex, sontem jure merito capitis condemnando, nec materialem committit injuriam.

Injuria **formalis** est alieni juris rigorosi violatio voluntaria, cum sufficiente advertentia et cognitione facta. Quae violatio, si ipsa intenditur, injuria **directa** habetur; si sola causa voluntarie ponitur, ex qua laesio juris alieni esse secutura saltem in confuso praevidetur, injuria **indirecta** dicitur. Injuria formalis, voluntate in meliorem immutata, superveniente tamen impossibilitate restitutionis, fieri potest materialis; pari modo, quae primum fuit injuria materialis, accedente libero voluntatis consensu, formalis efficitur. Ita, injusta possessio rei alienae bona fide incoepta, si temporis decursu, antequam praescribatur, illegitima esse detegitur et, non obstante mala fide, ulterius possideri prosequitur, injuriam materialem excipit formalis.

Injuria formalis est peccatum ex genere suo mortale (*vd.*
4. *lib. I, n. 20*), enim vero graviter adversatur tum rectae rationi, quae suum cuique tribui jubet, tum publico bono, cum ordinem socialem perturbet et discordiam civium concitet, tum denique legi positivae divinae repugnat, quae ipsam concupiscentiam rei alienae interdicit. Non ideo tamen jam quaevis injuria formalis est semper peccatum mortale: veniale enim fieri potest tum ratione insufficientis advertentiae, tum ratione parvae materiae. Verum tamen *quanam mensura vel ratione gravitas materiae in causa injuriae proxime sit metienda*, non satis inter theologos constat. Alii, ut s. Thomas, Lugo, s. Alphonsus [1]) gravitatem injuriae dijudicant ex majore vel minore damno, quod proximo infertur. S. Thomas ita hac in causa dicit: *peccata, quae committuntur in proximum, sunt pensanda per se quidem secundum nocumenta, quae proximo inferuntur: quae ex hoc habent rationem culpae.* Alii, ut Reuter, Lacroix, Gury, Marres [2]) injuriam eam esse gravem arbitrantur, quae aut natura sua, aut hominum aestimatione sit apta ad proximum magna tristitia afficiendum, mutuamque caritatem civium dissolvendam. Cum enim, ratiocinantur ipsi, finis justitiae sit, pacem communem servare mutuumque civium amorem per observantiam et legitimam aestimationem alieni juris fovere, quidquid igitur illud vinculum amoris et pacis conspicue dissolvit, atque manifesto discrimini exponit, ad peccatum mortale sufficere aestimatur. Illa tamen tristitia, ex illata injuria proveniens, qua gravitas injuriae ordinate mensuretur, utique non subjectiva pro norma est accipienda, sed prout

---

[1]) S. Thomas, 2. 2. q. 73 art. 3; Lugo, Disp. XVI, n. 23; S. Alphonsus, lib. IV, n. 527.

[2]) Reuter, *Theol. Mor.*, p. III, tr. 3, n. 294; Lacroix, *Theol. Mor.*, lib. III, p. I, n. 979; Gury, p. I, n. 602; Marres, t. I, lib. II, n. 5.

communiter in hominibus, temperato judicio atque affectu praeditis, usu venit; justitia enim, animadvertit Gury, rationis ductum et prudentiae dictamen sequitur. Si quis igitur, ait Reuter, complexione delicatior et bilis nimis succinctae vellet quamcunque injuriam levem reputare pro sufficiente causa mutuam dissolvendi benevolentiam, is ex passione potius, quam ex prudenti ratione agere censeretur.

5. Utraque theologorum sententia, ut patet, suo gravi fundamento non caret, ipsam tamen causam ex parte tantum, non adaequate solvit. Utriusque opinionis patroni, investigando mensuram, qua gravitas injuriae in quovis casu definiatur, prae oculis habere videntur potissimum *rationem singulorum hominum*, qui magis vel minus aegre ferant factum sibi nocumentum, majore vel minore tristitia exinde rationabiliter afficiantur; attamen injuria non singulis tantum hominibus nocet, mutuam pacem et securitatem inter ipsos dissolvendo, sed aeque bonum publicum et ordinatam vitam socialem discrimini exponit. In dijudicanda igitur gravi materia injuriae, ut perquam recte observat cl. Lehmkuhl, habenda est ratio illius finis, propter quem dominium et privatae possessiones exiguntur. Hic vero finis est, ut *tum cujuslibet* libertas et independentia atque humana activitas conservetur, tum ut pax et concordia *civium* imperturbata maneat «Si quis igitur, ait ipse, in jure suo laesus sive propter suum notabile incommodum, sive propter laesam communem securitatem merito graviter invitus censetur: habes laesionem mortaliter peccaminosam» [1]. *In metienda igitur gravitate injuriae simul attendendum est tum ad privatum cujuscunque civis incommodum, tum ad illud discrimen, cui ordo publicus et mutua civium concordia exponitur*. Ita, ex. gr. 10 rubelos alicui valde diviti furari non esset ei magno nocumento neque eum gravi tristitia afficeret; cum tamen securitas publica periret, si cuique tandem etsi ditissimo tantam pecuniae quantitatem absque peccato mortali auferre esset licitum, ideo merito decem rubelli materia absolute gravis injuriae esse censentur.

De generalibus principiis injuriae.

Antequam singulas injuriae species earumque principia consideremus, praemittenda sunt generalia, quorum eadem ratio aeque omnibus accomodari potest.

---

[1]) Lehmkuhl, *Theol. Moral.*, p. 1, lib. II, n. 762 et n. 931.

a) *Scienti et volenti non fit injuria.*

6. Hoc principium instar cujusdam axiomatis, consuetudine proverbii obfirmati, haberi solet et primo aspectu nullam videtur pati difficultatem: qui enim scienter et voluntarie consentit injuriae, cedit alteri de jure suo; quemadmodum igitur non dicitur lex violari aut laedi, quando ipsa abrogatur vel per dispensationem suspenditur, ita pariter non videtur pati injuriam, qui suo juri valedixerit. Hac tamen ratione non obstante, illud principium, nisi pressius definiatur et a sua nimis universali accomodatione abducatur, non semper ratum haberi potest. Ita, proprietarius-impubes non potest sibi furto ablata condonare: quamquam enim verus est suorum bonorum dominus, in eis tamen administrandis non est liber; ipsi igitur, etsi scienti et volenti, per furtum fit injuria. Quapropter illud principium, ut sit verum, potius ita concipiatur: *scienti atque efficaciter valideque consentienti non fit injuria.* Ideo vero verba «*efficaciter et valide*» propositioni apponuntur, quia tamdiu subsistit injuria, quamdiu superest jus ejusque obligatio, quae laeditur; atqui jus restat, quando consensus, quo quis illi renuntiat, ex natura sua aut legis sanctione est invalidus et inefficax, ideoque nullus. Quibusdam tamen theologis, fortasse non sine ratione, visum est, majorem esse, ceteris paribus, injuriam, quae prorsus non consentienti fiat, quam consentienti invalide; quia eo major videtur alicui injuria irrogari, quo magis eidem invitus esse cognoscitur.

7. **Ut consensus esse censeatur efficax**, a) obtineri debet *plene liber*, non autem metu injusto, errore, dolo extorqueatur; etiamsi igitur quis metu perculsus bona sua auferre latroni permittat, imo propria manu et libenter ob servatam sibi vitam eadem tradat, non ideo tamen de jure suo efficaciter cessisse censetur. b) Requiritur, ut damnum patiens *expresse et praecise de ipso jure suo cedere velit,* non vero quid aliud per injuriam obtinere, aut erga eam passive tantum se habere intendat. Potest enim quis, ut viros sanctos et martyres egisse legimus, injurias sibi factas aequo animo ferre, imo etiam earundem desiderio teneri ad majorem in coelis mercedem promerendam, non tamen perinde de jure suo cedere praesumitur. Ita, fideles Hebraei, consilium Christi Domini observates, rapinam bonorum suorum cum gaudio dicuntur suscepisse (*Hebr. X, 34*), non tamen eo ipso jam juri proprio ad sua bona renuntiarunt; alioquin non esset *rapina*, sed

legitima acceptio bonorum ex voluntate domini. Veram igitur injuriam pati dicuntur, qui consilium Christi observent: *si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram, et ei qui vult tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium* (Matth. V, 40). Pari modo non censetur de jure suo cedere, qui soli irae, indignationi aut juri poenam et vindictam sumendi parcat, juxta verba orationis Dominicae: *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Matth. VI, 12).

8. Porro, **ut consensus habeatur validus**, requiritur: a) ut damnum voluntarie patiens *sit sui juris,* vc. ne lege naturali aut aliqua positiva suus consensus impediatur; pupilli igitur et amentes bona sibi ablata valide condonare non possunt. b) Ad validum consensum requiritur, *ut quis de suo, non alieno jure cedat*; etiamsi igitur quis, ut rex Saul, in pugna moleste vulneratus, ipse petat, ut sibi ictus letalis addatur, nihilominus suus consensus est invalidus, cum homo plenum suae vitae dominium non habeat, sed solum ejus usum: solus Deus est vitae et necis humanae Dominus Ceterum quidam theologi, ut s. Thomas, Billuart[1]) aliique affirmant, per rogatum homicidium aut suicidium non tam ipsi homini occiso, quam potius Deo et societati fieri injuriam.—Quod de consensu in proprium homicidium est dictum, idem etiam valet de consensu clerici in suimetipsius malitiosam percussionem: si non erga ipsum clericum, (de qua re inter theologos disputatur), certe erga statum clericalem vera injuria tunc committitur, cum privilegium canonis non tam in gratiam alicujus particularis personae, quam potius in gratiam totius status clericalis est concessum; quo privilegio singuli clerici sine injuria aliorum valide abdicare nequeunt. Quod est adeo compertum, ut plures theologi dicant, etiam clericum, qui se ipsum irato animo, non spiritu poenitentiae excitatus, percusserit, excommunicationem incurrere [2]). Contrariam tamen opinionem s. Alphonsus etiam probabilem esse censet, cum canon de altero, clericum laedente, loqui videatur. c) Ut consensus in proprium damnum sit validus, requiritur, *ne jus, de quo quis cedit, sit stricte personale et inalienabile*; hoc enim in casu potest quis suo jure non uti, nequit tamen illud alteri valide concedere. Tale est mutuum jus conjugum ad consortium maritale: maritus aut uxor nequeunt absque

---

[1]) 2. 2. q. 53 art. 3; Billuart, *Summa S. Thomae,* Disp. IV, art. 2.

[2]) Molina, Disp. 51, Cajetanus, Suarez, Laymann, cap. IV, n. 5; S. Alphonsus, *Theolog. Moral*, lib. VII, n. 274.

propria injuria consentire de alteriusutrius adulterio, non solum quia id fidei puritatique matrimonii et bono prolis repugnat, sed quia jus utriusque est stricte personale et inalienabile ob matrimonii indissolubilitatem et unitatem. Quam ob rem damnata est ab Innocentio XI propositio n. 50: *copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.* Quod tamen non impedit, ut recte Waffelaert, quin maritus satisfactionem personalem sibi debitam et intra limites rerum, de quibus disponit, damnum temporale adulterio illatum condonare possit [1]. d) Tandem requiritur, ne consensus in proprium damnum sit aliis detrimento; non potest quis bona sibi furto ablata valide condonare, si tali pacto ad debita suis creditoribns exsolvenda impar efficitur; aeque paterfamilias moriendo nequit proprio homicidae damna temporalia, ratione mortis obvenientia, valide remittere, si exinde uxor sua et liberi niseram et inopem vitam tolerare cogerentur.

b) *An formalis injuriae sit reus ille, qui alicui damnum ex errore fecit, cum illud alteri facere animo intendebat?*

9. Damnum, de quo disputatur, esse potest aut damnum vitae, aut damnum honoris vel famae, aut tandem damnum in bonis fortunae. Ut causa exemplo illustretur, proponi solet casus: *Petrus animo intendit domum Titii sui inimici destruere incendio; ex errore incendit domum Caji, cui nocere noluit; utrum erga Cajum sit reus rigorosae injuriae, quae obligationem restitutionis imponat?* Quo in dubio solvendo distinguenda sunt certa a rebus minus certis. Omnes fere theologi fatentur, Petrum certe esse reum rigorosae et formalis injuriae, si suus error concomitans tantum, non vero causa movens delicti fuerit: ex. gr. Petrus animo est paratus determinatam domum incendere, quam esse Titii putat; incenderet tamen, etiamsi sciret, eam esse Caji. Petrus in hoc casu a rigorosa injuria erga Cajum nullo pacto excusari potest, cum ejus voluntas ad actum damnificum ipsa domo determinetur; error circa personam est sola circumstantia concomitans, quae nullam vim in casu habet, nec rerum condicionem immutat. Pari modo est extra omne dubium, quin rigorosa injuria erga Cajum a Petro

[1] **Waffelaert**, *De Justitia et Jure*, t. II, n. 5.

committatur, si hic incendium parando, sufficientem curam discernendi domum Caji a domo Titii non adhibuit: error enim, qui causa fit damni, tunc est culpabilis et implicite voluntarius.

Non unum tamen idemque sentiunt theologi de casu, quo error Petri est prorsus inculpabilis, suaque voluntas expresse et exclusive in damnum solius Titii fertur. Insignes theologi [1]), ut Lugo, s. Alphonsus, Lacroix in hoc casu Petrum ab omni erga Cajum injuria et, quod exinde sequitur, ab obligatione restitutionis excusant, atque ita in genere ratiocinantur: in hoc casu nulla committitur injuria realis erga Titium, cui malefactor nocere voluit, nam sua domus salva manet; sed aeque nec Cajo vera injuria formalis infertur, cum malefactor ei nocere minime voluerit; actio damnifica Petri erga Cajum fuit involuntaria, mere materialis, nec proinde imputari potest. Attamen etiam hujus opinionis patroni Petrum erga Cajum ad restitutionem obligant post sententiam judicis, nam negare non possunt, casum esse dubium, et in dubio legitimae auctoritati esse oboediendum.

10. Contraria *opinio, quae Petrum formalis injuriae reum erga Cajum esse agnoscit et ipsum ad restitutionem etiam ante judicis sententiam obligat, est probabilior, hodie paene communis,* quam fere innumeri tuentur theologi [2]) et quae videtur omnino in usu vitae sequenda, nam rationibus innititur solidioribus, quam illa. Nemo sane negare potest, Cajum de facto verum damnum pati; extra omne igitur dubium est, quin saltem materialis erga ipsum injuria committatur; tota ergo difficultas in eo consistit, an haec injuria sit etiam formalis. Atqui est talis, cum nihil tum ex parte cognitionis, tum ex parte voluntatis quoad substantiam desit, nam *Petrus sciens et volens incendit* et destruit rem, quam non esse suam optime cognoscit; talis autem injuria est formalis, non materialis. Insuper in casu *nihil deest ex parte cognitionis*: quamquam enim error est invincibilis circa personam, perfecte tamen attenditur et perspicitur, huic et non alteri proprietario, cujus domus incenditur, fieri verum damnum. Error circa personam tantummodo efficere potest, ut speciales circumstantiae personae ignotae, cum non sint objectum voluntatis, non possunt specia-

---

[1]) **Lugo**, Disp. XVII, n. 77; **S. Alphonsus**, lib. IV, n. 629; **Lacroix**, *Theol. Moral.*, lib. III, p. II, n. 200.

[2]) Ita: **Molina**, t. IV, tr. 3. Disp. 30; **Bonacina**; **Reuter**, p. III, tr. 3, n. 319; **Busembaum**; **Carrière**, p. II, n. 724; **Vogler**; **Gury-Ballerini**, lib. I, n. 664; **Marres**, lib. II, n. 68; **Waffelaert**, t. II, n. 9; **Lehmkuhl**, t. I, n. 977.

lem malitiam actui addere; ut si quis clericum ex errore occidat, inculpabiliter arbitrans eum esse non clericum sed suum inimicum, non committit sane sacrilegium; quis tamen negare poterit, eum esse verum homicidam. *Nihil pariter deest in casu ad formalem injuriam ex parte voluntatis*: voluntas enim fertur in objectum, quod prae oculis habetur, in objectum certe alienum et in individuo determinatum. Neque obstat, quod Petrus, detecto suo errore, ab injuria erga Cajum certe sese abstineret. At in casu, ait Lehmkuhl, non quaeritur, quid fecisset, sed quid fecerit. Voluntas illa interpretativa, qua nollet si sciret, nullo modo obstat, quominus Petrus vere velit hanc in specie domum alienam, non suam destruere incendio et veram injuriam proximo facere. Peremptorium est tandem illud novum hac in causa argumentum, quo ulterius utitur cl. Lehmkuhl: «sed demus, ait ipse, actionem Petri non esse formaliter et immediate injustam erga Cajum; certe est formaliter et immediate injusta contra humanum genus, non minus ac illa actio, qua res domini incerti destruitur; atqui ex hac sola relatione ad genus humanum actio injusta obligationem gravem restitutionis secum fert; proin etsi non immediate, tamen mediate et remote etiam contra ipsum Cajum videtur formalis injustitia commissa». Tandem non sine ratione adnotat Billuart, contrariam sententiam, licet in se sit etiam probabilis, vix usui vitae applicari posse; satis enim rarum est, ut error sit invincibilis: qui enim eo modo errat, plerumque praecipitanter agit, neque adhibet sufficientem diligentiam et curam, ut domum, quam incendere vult, ab alia secernat [1]).

c) *Utrum et quatenus injuriam committat, qui proximum ab obtinendo aliquo bono impedit?*

11. Habita ratione tum diversi juris, quod proximus ad bonum obtinendum habet, tum diversorum mediorum, quibus ab hoc bono consequendo ipse impeditur, etiam diversi casus contingere possunt.

I. Qui proximum invitum, non vero libere consentientem, ab aliquo bono consequendo, ad quod ipse sive *in re*, sive *ad rem jus habet strictum*, efficaciter impedit, quocunque modo agat, sive fraude, sive simplici consilio utatur, veram erga proximum committit injuriam; quod satis

---

[1]) Billuart, *Summa S. Thomae*, Disp. VIII art. 4 sub. fine.

liquet ex ipsa notione injuriae rigorosae: haec enim est violatio juris stricti, quod proximo debetur. Gravitas autem injuriae et mensura restitutionis, si jus in re habebatur, valori totius boni impediti coaequatur; quando vero jus tantum ad rem proximo debetur, gravitas injuriae aestimatur ex majore vel minore spe, qua ad bonum consequendum ipse est fraudatus.

12. II. *Qui metu, vi, dolo, fraude, mendacio aut aliis injustis mediis* proximum impedit a consequendo bono, ad quod hic jus quidem strictum non habet, quod tamen legitime obtinere potuit, verae injuriae fit reus. Quae injuria perinde infertur, sive illa injusta media contra eum adhibentur, qui illud bonum consecuturus erat, sive contra tertiam personam, quae illud bonum conferre volebat aut velle poterat. Cujus rei haec est ratio: quamquam proximus supponitur non habere jus strictum ad bonum intentum obtinendum, certe tamen habet jus strictum, ne ejus libertas legitima, bonum quaerendi, per media injusta impediatur. Quae proximi libertas, communi doctorum sententia, non censetur tolli per sola consilia vel simplices preces etsi injustas, certo tamen moraliter impeditur per fraudes, vim, dolum. Cum autem libertas quaerendi suum bonum in casu supponatur pretio aestimabilis, habita ratione detrimenti subsequentis, ideo impediens verae injuriae fit reus et restitutioni obnoxius. Ex hisce deducere potest: non esse reum injuriae rigorosae neque ad restitutionem teneri illum, qui odio quidem, sed sine dolo aut vi, moveat testatorem, ne alicui hereditatem relinquat, vel qui dehortetur episcopum, ne alteri conferat simplex beneficium, ad quod concursus non adhibetur; contra, si quis litteras ad episcopum pro impetrando beneficio datas aut dilaceraverit, aut tamdiu retinuerit, donec vel ipse, vel alius in eadam causa priorem competitorem praeveniet, verae injuriae efficitur reus, cum proximum a consequendo intento bono mediis injustis coerceat. Idem probabilius est dicendum de eo, qui litteras privata auctoritate interceptas et perlectas tempestive quidem juxta suam designationem transmittat, scientia tamen exinde obtenta utatur, ut scribentem praeveniat aut saltem solis precibus a consequendo bono intento impediat.

13. III. *Qui impedit proximum, quominus aliquod bonum mediis illegitimus obtineat*, non semper fit reus injuriae rigorosae. In singulis casibus examinanda est natura mediorum, quae proximus vult adhibere a) Si hic bonum intentum obtinere non potest *sine aliena stricta injuria*, quibuscunque mediis etiam injustis ipse a suo consilio impediatur, non dicitur injuriam pati, potius ab aliena injuria arceri·

b) Quando vero bonum intentum obtineri quidem potest sine aliena injuria, sed non sine suo aut alterius peccato, tunc si peccatum est jam commissum et jus per actum licet peccaminosum est acquisitum (*ut in contractu de materia turpi adimpleto evenire solet*), ipsa boni receptio quocunque modo, etsi solo consilio, impediatur, vera injuria formalis, restitutioni obnoxia, erga proximum probabilius in se suscipitur. c) Si autem peccato jam commisso ipsum jus nondum quidem est acquisitum, attamen bonum desideratum jam sine novo peccato recipi potest, vera injuria tunc tantum infertur, quando proximus mediis injustis ab illo bono consequendo avertitur. Cujus ratio est perspicua: in illo casu non impeditur peccatum, utpote jam commissum, sed potius laeditur jus jam obtentum; habetur igitur vera injuria formalis; in posteriore autem casu non laeditur quidem jus, utpote cum nondum esse acquisitum supponatur, certo tamen mediis injustis laeditur libertas illud obtinendi.

14. d) Porro, *quando peccatum*, cujus in casu ratio habetur, *est nondum commissum*, duo eventus supponi possunt: aut peccatum habetur qua medium, causa, condicio necessaria consequendi bonum exoptatum, aut est sola circumstantia concomitans; in illo eventu, quibuscunque mediis etiam injustis proximus a fine suo per peccatum obtinendo impediatur, nondum ei injuria censetur inferri; nam potius a peccato, quam a bono consequendo impediri dicitur. Neque obstat, si quis expresse intentionem habuerit potius a bono, quam a peccato avertendi: esset quidem injuria affectu non effectu; ad veram enim injuriam formalem requiritur, ut alterius jus strictum laedatur; cum autem nemo jus habeat peccatum committendi et ejus ope bonum intentum consequendi, ideo neque injuriae aliquem accusare potest, si in suis iniquis consiliis impeditur. Contra, si peccatum est sola circumstantia concomitans nec per se ad bonum obtinendum necessaria, proximus absque vera injuria mediis injustis a suo fine arceri nequit, quia tunc non tam peccatum impeditur, quam potius ipsa boni consecutio, quae per accidens tantum est peccaminosa.

d) *Quando ex intentione prava oriatur injuria rigorosa?*

15. *Ex mere interna prava intentione* injuria rigorosa, quae obligationem restitutionis imponat, sane oriri non potest: cum enim injuria sit alieni juris violatio, ut plurimum, requiritur aliquis actus exter-

nus, quo proximus reipsa jure suo illegitime fraudetur, Utique ob pravam intentionem, licet mere internam, proximo nocendi nemo excusatur a peccato; cum autem peccatum proximam suam speciem ab objecto desumat, ideo prava intentio nocendi, licet mere interna, dici potest injuria affectiva, ut distinguatur ab effectiva, quae effectum consequitur et sola obligationem restitutionis imponere potest. — Ab intentione mere interna hic de industria distinguimus *actum mere internum* consummatum. Intentio, licet mere interna, ex natura tamen sua tendit ad se extra manifestandam, actus vero internus potest in se absolvi et perfici. Ex actu mere interno obligatio restitutionis aeque non oritur, rigorosa tamen erga alterum injuria, ut in temeraria suspicione, fieri potest. Ex prava vero intentione tunc tantum, licet etiam non semper, rigorosa injuria oritur, quando opere externo ipsa completur. Qua in causa triplex casus contingere potest:

I. Quandoque *opus externum* ita est *ex se indifferens*, ut a sola intentione ejus malitia vel bonitas pendeat. Ita, potest quis rem alienam deperditam accipere cum animo proprietarium quaerendi ipsique eam reddendi; sed potest etiam eandem rem accipere cum intentione abscondendi sibique retinendi. In hoc et consimilibus casibus utique a sola intentione dependet, fiatne proximo rigorosa injuria, an non; intentio hic habetur instar oculi, a quo totum corpus lucidum aut tenebrosum efficitur.

16. II. Quando quis *opus externum, ex se alteri damnosum*, ponit, ad quod tamen in sua specie ponendum verum *jus habet*, contra justitiam non peccat (peccat contra caritatem), quando id ex prava intentione nocendi facit; non potest enim peccare contra justitiam, qui utitur suo jure. Sane contingere non semel potest conflictus jurium, cum et proximus habere possit jus, ne laedatur; hoc tamen in casu id non supponitur. Non peccat igitur contra justitiam judex, malefactorem, suum inimicum, juste capitis damnando, etiamsi id cum gaudio faciat, quod tandem a suo aemulo vel adversario liberabitur. Etiam mercator contra justitiam rigorosam non peccat, quando merces suas infimo vendit pretio, quamquam id prava intentione facit, alios mercatores emolumento et clientibus privandi. Non peccat mercator contra justitiam: nam sicut potest sine aliorum injuria dono suas merces, cui voluerit, dare, ita easdem etiam viliore pretio vendere potest.

17. III. Tandem usu venire possunt casus, in quibus *opus externum, proximo certe damnosum*, ob solam pravam intentionem nocendi secum contrahit injuriam formalem, quod tamen sine hac intentione formali-

ter injuriosum non esset, neque obligationem restitutionis imponeret. Contingere vero hi casus tunc solent, quando quis ponit causam damni, quae ob defectum voluntarii non sufficit, ut actus damnosus ipsi imputetur; accedente tamen prava intentione actus materialiter damnosus induit naturam injuriae formalis. Enimvero, ut damnosus effectus agenti imputetur, non sufficit veram damni causam ponere, neque etiam semper sufficit praevidere effectus damnosos, ex illa causa etiam prohibita secuturos, sed requiritur verum voluntarium nocendi, quod, prava intentione accedente, utique habetur. Ut causa exemplo illustretur, fingamus casum, quo quis occidit patremfamilias, debitis oneratum; homicida sane committit veram injuriam temporalem erga parentes, uxorem, liberos occisi hominis, in quantum ipsi ejus sustentatione et labore ad vitam tolerandam indigent et per mortem iisdem fraudantur; cum enim unam moralem personam cum defuncto constituant et ejus sustentatione indigeant, veram injuriam per illud homicidium pati dicuntur. Homicida tamen non committit per se veram injuriam erga creditores, qui fortasse occasione mortis frustrantur solutione debiti; hoc enim damnum solummodo per accidens et remote tantum ex occisione sequitur. Nihilominus, si quis alterum eo praecise animo occidat, ut hac ipsa caede creditoribus damnum inferat, homicidium efficitur causa dammi pro creditoribus non remota et accidentalis, sed proxime intenta qua medium, quo homicida finem suum efficaciter assequitur. Attamen, ut aliquis actus proximo damnosus fiat ratione pravae intentionis certe formaliter injuriosus et restitutioni obnoxius, qui sine intentione nocendi talis non esset, requiritur ut voluntarie ponatur ejus causa, non vero sola occasio. Aliquando tamen, ut recte animadvertit Waffelaert, difficillimum est determinare, utrum certo in eventu data fuerit occasio tantum, vel conditio posita sine qua non, an vero causa vere influens [1]. Unde in singulis casibus solvendis theologi tantopere inter ipsos discrepant.

18. *Sumamus exempla.* Aliquis venenum mortiferum deponit in loco, quo inimicus rarissime transit, adeo ut nec probabile adsit periculum; ea tamen id facit intentione, ut occidatur, si forte transeat.—Aliquis praevidet, fore, ut alter pravo suo exemplo ad damnum proximo inferendum inducatur, idque etiam interne intendit. — Fur parvam pecuniae quantitatem avaro ea intentione aufert, ut hic, vehementi dolore affectus, gravi morbo corripiatur. — Aliquis scelus patrando intendit,

[1]) Waffelaert, *De Justitia*, t. II, n. 10.

ut hoc alteri innocenti imputetur idque etiam fore praevidet, nulla tamen ad hunc finem obtinendum ipse adhibet media etc. Utrum damnum, quod hisce in casibus proximo forsan obveniat, illi, qui id intenderit, imputari possit, theologi non unum idemque sentiunt. Card. Lugo, Vasquez, Salmanticenses, Carrière aliique [1]) stant pro sententia affirmativa. Card. Lugo suam sententiam ita probare conatur: „Ratio hujus sententiae est, quia nimirum, licet effectus non esset ita connexus cum illa causa, ut qui vellet utcunque causam censeretur eo ipso velle effectum, atque ideo posset aliquis velle causam, quin effectus esset illi voluntarius et ei imputaretur; quando tamen accedit intentio determinata illius effectus et ex ea intentione ponitur causa, ut sequatur ille effectus, haec intentio supplet connexionem et facit, quod sit voluntarius operantis; facit enim, quod sit vera causa illius. Ad rationem enim causae multum conducit intentio operantis; hinc enim est, quod eadem tentatio a Deo permissa vel posita ad probationem, non facit Deum causam peccati; eadem vero immissa a daemone ex intentione peccati denominet eum causam peccati. Similiter ergo contingere potest, ut duo homines eundem laqueum disponant: alter, ut feram capiat, alter, ut si forte transeat homo (quod in eo loco difficile est et ideo non erat obligatio praecavendi periculum) capiatur etiam et suffocetur: tunc si homo fortasse ceciderit, unus nullo modo erit causa illius necis, alter erit causa; quia huic est voluntaria, illi nullo modo est voluntaria" (VIII, n. 75).

Contrariam tamen opinionem theologi numero plures et auctoritate non minus graves tuentur, ut: Lessius, Lacroix, s. Alphonsus, Lehmkuhl, Waffelaert, Marres, Gury aliique [2]), quorum argumenta esse validiora videntur. Hi affirmant, illum, qui damnum proximi in supra allegatis circumstantiis intendat, graviter quidem peccare contra caritatem, etiam contra justitiam affective, non tamen effective neque ideo ad restitutionem obligari, cum non causam efficacem, sed solam occasionem damni ponat; neque obstat perversa intentio, quae habetur, haec enim nullam vim in damnum alienum habet. Exemplum a

[1]) Lugo, Disp. VIII, n. 75, Disp. XVIII, n. 99; Vasquez, *De restitutione*, § 2, dub. 4 n. 31; Salmanticenses, *De restitutione*, cap. I, n. 22 et 103; Carrière, p. II, n. 722 et 723.

[2]) Lessius, lib. II, cap. 9, n. 113; cap. 6, n. 25; S. Alphonsus, lib. IV, n. 636; Lacroix, lib. III, p. II, n. 156; Lehmkuhl, *Theol. Moral.*, I, n. 979; Waffelaert. t. II, n. 10; Marres, p. II, n. 54; Gury, p. I, n. 669.

card. Lugo allatum de diversa tentatione Dei et daemonis ob diversam intentionem solummodo probat, peccatum non vero injuriam ex intentione pendere.

DE SPECIEBUS INJURIAE.

19. Non omnes injuriae, quibus proximus laedi potest, sunt ejusdem speciei moralis: quemadmodum enim specie se differunt actus pro diversitate specifica objectorum, ita pariter specie inter se differunt injuriae, quibus proximus injuste infamatur, occiditur, ad peccatum fraude inducitur, pecunia fraudatur etc. Bona, quae objectum juris constituunt tunc specie inter se differre dicuntur, quando valde diverso modo ad commodum et utilitatem humanam referuntur, neque invicem mathematice certa aequalitate recompensantur. Vestis, triticum, silva, qua objectum injuriae, sunt ejusdem speciei, nam commode eadem communi mensura vc. pecunia se comparare possunt; contra, vulneratio, diffamatio, stuprum, furtum, captivitas sunt injuriae specifice diversae, non possunt enim aliqua communi mensura promiscue conmetiri vel commutari et singulae ordine diverso se continent. In illo igitur casu, si quis aut vestem, aut triticum, aut silvam furetur, non oportet in confessione ipsum objectum furti indicari, sed solam gravitatem injuriae in bonis fortunae; contra, injuriae, quae dispari ordine continentur, ut: homicidium, diffamatio, furtum, nequeunt confiteri simpliciter, qua injuriae proximo illatae, sed in specie sunt declarandae, cum specie disparem malitiam habeant.

Ex diversis injuriae speciebus potissimum in furtum uberius inquiremus, cum haec species injuriae, ob restitutionem, cui est certo obnoxia, non mediocres aliquando difficultates secum ferre soleat; aliae vero injuriae, nisi excipiamus famae laesionem, quamquam pariter jus strictum alterius laedunt, non possunt tamen, ut homicidium, vulneratio, stuprum, in eodem genere bonorum reparari; inter theologos autem non constat, utrum saltem aliqua ratione in alio bonorum genere sint rigorose recompensandae. Genera bonorum quatuor distinguuntur: bonum *animi*, *corporis*, *famae*, *fortunae*.

a) Bonum animi.

20. Certe, qui alteri invito per media illicita in bonis animi aliquod

damnum infert, veram erga ipsum injuriam committit, nam quisque ad illa bona interna jus non minus strictum habet, quam ad bona sua externa. Peccat igitur contra justitiam, qui veneno, potione aliisque mediis illicitis proximum privat usu rationis, memoria, libero arbitrio; item injuriae est reus, qui vi, metu, fraude, mendacio alium a studio litterarum aut artium avertit, vel scientia aut arte acquisita uti non sinit. Imo, qui ex officio aut contractu proximum instruere debet, per solam negligentiam muneris sui injuriam committit erga eos, qui instructione indigent.

In bonis animi supernaturalibus damnum patitur, qui aut ad peccatum formale inducitur, aut a bonis operibus, perfectiore vitae statu, a sacramentis suscipiendis avertitur. Cum tamen sine consensu ipsius patientis id evenire non soleat, ideoque tunc solummodo injuria erga proximum committitur, quando hic ad illa damna subeunda mediis injustis, ut metu, fraude, violentia, deceptione inducitur; alioquin scienti et volenti non fit injuria.

b) Bonum corporis.

21. Bona corporis, quae injuriā laedi possunt, quadruplicis speciei distinguuntur: *vita, membrorum integritas, pudicitia, corporalis libertas.* Cum de hisce bonis uberius in aliis Theologiae partibus disputari soleat, hic pauca de singulis dicemus, et quidem in quantum justitia rigorosa in ipsis laeditur. Imprimis sit sermo de bono vitae. — Cum solus Deus vitae humanae dominium plenum habeat, ideoque primario hac in causa, Ei injuria rigorosa fieri potest; secundario tamen etiam homo, si illegitime occidatur, veram injuriam pati dicitur, cum injuste usu vitae fraudetur; tertiae personae ob alienam caedam in tantum injuria afficiuntnr, in quantum ratione hujus caedis privantur temporalibus emolumentis, ad quae forte, ut membra familiae, jus strictum habent. — Bonum vitae laedi potest *suicidio, homicidio, duello, procuratione abortus.*

α) *Suicidium.*

22. Suicidium directum, quod actione positiva, sine auctoritate divina certo revelata, fiat, neque ad quaevis mala vitanda aut bona

consequenda unquam est licitum [1]), eoque gravissima erga Creatorem injuria committitur; communior theologorum pars tenet, nec reum e praecepto judicis seipsum posse occidere [2]). Suimetipsius occisio indirecta seu negativa, quae aut ex neglectu mediorum vitae conservandae, aut ex voluntarie subito periculo vitae contingere potest, facilius permittitur, dummodo rationes adsint, quae sufficienter malum excusent. Imo, non semel e conflictu officiorum sequitur obligatio seipsum vitae discrimini exponere, ut militibus in bello justo, parochis et medicis tempore pestis, fidelibus tempore persecutionis ad fidem tuendam etc. Aegroto graviter laboranti inest generatim gravis obligatio ad valetudinem recuperandam adhibendi media, quae, habita ratione suae condicionis, sunt ipsi ordinaria, si moraliter certo constat, medicinam esse profuturam. Cum tamen haec moralis certitudo de efficacia medicinae, ut observat Marres, vix haberi possit, non facile peccati mortalis reus habetur aegrotus, etiamsi in morbo gravi ab illa prorsus se abstineat, praesertim si naturalis quidam pharmacorum horror accedat [3]). Media vero extraordinaria, nimis dura et molesta, quamquam ad vitam salvandam suaderi possunt, praecipi tamen non solent, nisi vita aegroti bono communi sit valde necessaria. Aegrotus igitur generatim non potest obligari ad subeundam cum acerbo dolore amputationem alicujus membri notabilis, ad deserendum vitae statum, ad faciendos sumptus, sibi aut familiae nimis onerosos. Non videtur etiam, ait s. Alphonsus, aegrotans virgo teneri subire manus medici vel chirurgi, quando id ei gravissimum est et id magis, quam mortem ipsam (ob verecundiam) horret [4]).

---

[1]) Suicidae tum Lege Canonica (Const. *Detestabilem*), nisi ante obitum certa signa poenitentiae dederint, tum Codice Poenali Rossico, nisi quis impos sui violentas manus sibi imponat, sepultura ecclesiastica privantur. Если самоубійца принадлежалъ къ одному изъ христіанскихъ вѣроисповѣданій, то онъ лишается христіанскаго погребенія. **Уложеніе о наказаніяхъ** *ст. 1472*. Insuper suicidae, nisi se occiderint in morbo, Lege Civili privantur facultate testamentum valide conficiendi. **Гражд. Зак.** *ст. 1017*.—Недѣйствительными признаются лишь предсмертныя распоряженія такихъ самоубійцъ, которые лишили себя жизни намѣренно, а не подъ вліяніемъ душевной или иной болѣзни. **Гражд. Кас. Департ.** *1876 г. № 92; 1892 г. № 4*.—Фактъ самоубійства обязанъ доказать истецъ, а отвѣтчикъ долженъ доказать, что завѣщатель лишилъ себя жизни не намѣренно, но подъ вліяніемъ душевной болѣзни. **Гражд. Касс. Департ.** *1880 г. № 276*.

[2]) Cf. **Lugo**, Disp. X, n. 12.

[3]) **Marres**, *De Justitia* lib. II, n. 249.

[4]) **S. Alphonsus**. *Theol. Moral.*, lib. IV, n. 372.

β) *Homicidium.*

23. Homicidium, qua injusta hominis occisio, est gravissimum peccatum, unum e quatuor in coelum clamantibus (*Gen IV, 10*), lege naturali et praecepto divino prohibitum: *non occides* (Exod. XX, 13). Jure ecclesiastiso homicidae declarantur irregulares et in nostris dioecesibus eorum crimen, effectu secuto, peccatum Episcopis reservatum constituit. Veris homicidis aequiparantur, qui in bello injusto stipendiis voluntarie conducuntur, ut nomen dent militiae.—Directa hominis innocentis occisio sola auctoritate divina certo revelata fieri potest; solus Deus, cum sit absolutus vitae humanae Dominus, potuit Abrahamo praecipere, ut filium suum Isaac immolaret, aut mandari Izraelitis, ut ipsos senes et infantes urbis Jericho interficerent (*Josue VI, 21*). Absque auctoritate divina nec letaliter vulneratos, quamquam certo morituros, ne diutius patiantur, occidere licet, nec rabidos, ne aliis noceant, neque in naufragio aliquos navigationis consortes, electos sorte, in mare projicere, ut ceteri salventur.—Solos malefactores et quidem auctoritate Reipublicae vel Principis regnantis licet directe occidere, quemadmodum ad salvandum totum corpus licet infectum membrum amputare. *Maleficos non patieris vivere* (*Exod. XXII, 18*). Innocentes sola auctoritate publica et quidem indirecte tantum fas est occidere, aliquid faciendo aut omittendo, ex quo mors innocentis praeter intentionem sequatur. Causa tamen ipsa ex qua mors innocentis secutura praevidetur, in se aut bona, aut saltem indifferens esse debet, atque insuper gravissima requiritur ratio, mortem ut malum effectum tali pacto permittendi. Ita bellidux, urbem in justo bello obsidens, licite potest explosione turrim evertere, in qua sunt innocentes, si aliter urbem expugnare non potest; habet enim sufficientem rationem mortem innocentium permittendi. Pari modo, ut theologi communiter docent, si tyrannus, civitatem obsidendo, ei ruinas minatur, nisi aliquis innocens Patcul sibi tradatur, potest Respublica ad salvandam patriam ei innocentem mittere, licet sua mors certo praevidetur [1]).

---

[1]) Occasione hujus causae auctor tractatus Mechlinensis recte adnotat: illicitum tamen esset mittere tyranno virginem stuprandam, quia pudicitia virginis non ita ordinatur ad rempublicam servandam, ut vita innocentis subditi. Praeterea in casu virginis est periculum proximum, ne libidini consentiat, quale periculum non est in casu innocentis occidendi: ut propterea respublica se potius permissive habere possit in casu innocentis quam in casu virginis (*p. III. n. 62, Q. 3 nota*).

Tali pacto excusatur Simon Machabaeus, qui duos Jonathae filios Tryphoni misit (*I Machab. XIII*).

24. Privata auctoritate solum injustum aggressorem, se defendendo, occidere sine injuria licet, servato moderamine inculpatae tutelae; omnes enim leges vim vi repellere permittunt [1]). In Scriptura s. hac in causa ita dicitur: *si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus et accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit et ipse morietur* (Exod. XXII, 2). Ad quae verba s. Augustinus, quem communiter interpretes sequuntur, ita animadvertit: intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occidatur; si autem diurnus, pertinere; hoc est enim, quod ait: si oriatur sol super eum; poterat quippe discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venisset [2]). Ex quo tamen non sequitur, furem nocte tantum occidi posse, sed potius tunc id licere, quando non satis constat, utrum ad furandum, an vero, qua injustus vitae aggressor, ad occidendum veniat. Id omnes theologi, praeeunte s. Thoma, docent; non est necessarium ad salutem, ait s. Thomas, ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandam occisionem alterius: quia plus tenetur homo vitae suae providere, quam vitae alienae [3]).

25. Injustus hic subintelligitur non tantum aggressor vitae, sed, ut proxime explicabitur, etiam aggressor pudicitiae, honoris, bonorum temporalium. Ut in hisce bonis tuendis defensio occisiva permittatur, **servandum esse**, dicitur, **moderamen inculpatae tutelae**, vc. occidens et se defendens nequit justos limites propriae securitatis excedere. Quamobrem injustus aggressor a) tunc tantum occidi potest, quando nulla alia via honesta periculum avertendi habetur v. gr. clamando, aufugiendo, arma invasoris arripiendo, in terram projiciendo, aut vulnerando tantum etc. A fortiore nequit aggressor post factum aut fugiens occidi, nisi secum auferat magni momenti bona, quae recuperandi aliter spes deest. b) Invasor occidi potest, quando jam actu moraliter aggreditur, non vero si tantum minatur, intendit, insidias struit; attamen nemo expectare debet ultimum momentum, usque dum invasor

---

[1]) Injustum aggressorem suae vel propinquorum vitae occidere permittunt: Jus Romanum, Cod. Poenalis Gallicus art. 416, Cod. Rossicus: Уложеніе о наказаніяхъ, ст. 101—103.

[2]) S. Augustinus, *Quaest. in Exod. 84.*

[3]) 2. 2. q. 64 art. 7.

primum ictum dederit aut facultas sese defendendi sibi erepta sit; sufficit aggressorem aliquid agere, ex quo prudenter judicetur, eum proxime aggredi. Si dominus, ait Lessius, vocaret famulos, ut me occiderent, possem praevenire, occidendo dominum, ut famulos in meam necem concitare desinat, si aliter salvus esse nequeam [1]. c) Tandem mutilatio aut mors aggressoris aut nullatenus intendatur, aut saltem ne intendatur qua malum alterius, sed tantum qua unicum medium avertendi periculum imminens [2].

26. *Injustum* **vitae aggressorem** *unicuique* ideoque etiam sacerdotibus et religiosis *fas est occidere*, et quemadmodum propriam ita pariter alienam vitam licet defendere; proximum enim diligere debemus sicut nos ipsos. Nemo tamen vitam propriam cum caede invasoris defendere tenetur; a fortiore ad tuendam tali ratione vitam alienam obligari nequit, nisi ad id aut vi contractus teneatur, ut custodes securitatis et milites, aut ratione pietatis, ut si vita patris, matris, uxoris vel alicujus propinqui aggrediatur, aut nisi invasus Reipublicae sit admodum necessarius. Ita communiter docent theologi, ut Lugo, Lessius, s. Alphonsus, Waffelaert, Lehmkuhl aliique [3]. Propriam vitam cum caede injusti aggressoris tunc tantum homo defendere tenetur, quando ipse non est in statu gratiae; praeceptum enim caritatis erga semetipsum prohibet, quominus homo voluntarie subeat gravissimum damnum, quae est aeterna damnatio. — Licet vero propriam aut alienam vitam tueri contra quemcunque vitae invasorem, dummodo ne sit justus: potest subditus contra superiorem, filius contra patrem, laicus contra clericum etc. Furiosus, ebrius aliique mentis non compotes, quamquam sine peccato formali vitam aggrediuntur, licite possunt occidi, si aliter declinari nequeunt. Etiam reus, qui per calumniam, adulterium, aut aliam injuriam alteri ansam aggrediendi dedit, potest licite cum vitae alienae discrimine se defendere, quia aggressor etiam tunc injustus dici potest, nam nemini privata auctoritate fas est vindictam sumere [4].

27. Contra, *non licet absque injuria occidere judicem*, etiamsi injuste ad mortem condemnet, *nec falsos accusatores aut testes*, quia privata

---

[1]) **Lessius**, lib. II, cap. 9, dub. 8, n. 47.

[2]) 2.2 q. 64, art. 7; **Lugo**, Disp. X, n. 149.

[3]) **Lugo**, Disp. X, n. 208 - 210; **Lessius**, lib. II, cap. 9, n. 92; **S. Alphonsus**, lib. IV, n. 390; **Waffelaert**, t. II, n. 73; **Lehmkuhl**, t. I, n. 836.

[4]) Cf. **Marres**, lib. II, 237; **Waffelaert**, II, n. 62 nota.

suimetipsius defensio in violenta tantum et moraliter actuali invasione vitae permittitur. A fortiore nefas est occidere *legitimum principem*, etiamsi sua potestate forsan abutatur et tyrannico regimine gravissima mala subditis irroget (*Rom. XIII, 1*). Unicum remedium hac in causa, ait s. Thomas, est ad Deum recurrere, qui auxilium praebeat; sed ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare [1]). Imo, *nec princeps alienus* privata auctoritate potest necari, qui jam pacifice rerum potitur, etiamsi id bello injusto occupaverit.

Inquirunt theologi, *an liceat injustum vitae aggressorem occidere, si hic sit in peccato mortali.* Sane, injustus aggressor eo ipso quod injuste aggreditur, ut plurimum, est reus peccati gravis; nihilominus, si sit sui compos, non censetur in extrema necessitate versari, cum discrimini vitae temporaneae et aeternae libere se exponat, ideoque servatis servandis occidi potest, si alia ratione proprium periculum declinari nequit. Contra, si aggressor est ebrius, phreneticus, furiosus, et aliunde constat, eum esse in statu peccati, a quo deinceps se emendaturus moraliter certo praesumatur, non videtur licite posse occidi ab eo, qui de suo statu gratiae sit moraliter certus. Hic tamen casus, ait Lugo, rarissimus erit, quod constet illum esse in statu peccati, ob quod in aeternum dammandus sit [2]). Insuper non est obliviscendum, hominem, cujus vita in proximo discrimine sit, vix habere opportunum tempus, ut simul et moderamen inculpatae tutelae servet et statum conscientiae tum suae, tum alienae scrutetur; quapropter in hujusmodi angustiis vix unquam injuriae reus fieri potest.

28. Injustus aggressor in genere subintelligitur non solum ille, qui alteri mortem actu molitur, sed aeque ille, qui aliquod maximi momenti bonum vi aufert, quod, nisi caede invasoris, defendi non potest. Hujusmodi bonum imprimis est virtus castitatis et pudicitiae virginalis. *Licet igitur mulieri occidere* **aggressorem pudicitiae**. Billuart et Carrière [3]) id quidem licere negabant, ita ratiocinando: pudicitia vel sumitur pro virtute animi et haec ab invitis auferri non potest: s. Lucia tyranno respondit: *si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam;* vel pudicitia accipitur pro integritate corporis, et haec vitae invasoris praeferre non potest, cum sit inferioris ordinis, quam vita humana. Gravissimi tamen theologi, ut s. Antoninus, Lugo,

---

[1]) S. Thomas, *De Regimine princ.*, lib. I, cap. 6.

[2]) Lugo. Disp. X, n. 143.

[3]) Carrière, *De Justitia,* t. II, n. 800; Billuart, *tract. de Justitia*, art. VI, § 2.

Molina, Lessius, s. Alphonsus [1]) contrariam tuentur sententiam: mulier hoc in casu utitur jure suo, vim vi repellendo; obligatur magis propriae saluti, quam alienae providere; se non defendendo, se exponit certo periculo consentiendi in ipsum peccatum ob voluptatem actui naturaliter adnexam. Quemadmodum vero licet ipsi mulieri lascivum aggressorem occidere, ita pariter licet aliis mulierem defendere cum caede aggressoris, si hic alia ratione repelli nequit. Idem etiam Cod. Poenali Rossico est permissum [2]). Puellae etiam post factum violentum licet, imo expedit lascivum aggressorem alapis, pugnis, fuste, etiam ctibus non letalibus percutere, ut tali modo suam displicentiam et constantiam ostendat; non licet tamen aggressorem vitae vel pudicitiae post factum occidere, aut graviter vulnerare: esset enim jam vindicta, non defensio.

29. **Honorem**, si alia via servari non potest, etiam cum caede injusti aggressoris licitum esse tueri, docuerunt antiquiores theologi; quam opinionem Lugo appellat communem [3]): tempore enim, quo vita et honor nobilium frequenter armis defendebatur, admodum probrosum esse reputabatur fugere, ut contumelia alapis vel fustibus infligenda declinaretur. Nostra tamen aetate, ut recte dicit Marres, ubi personarum etiam nobilium securitas magis legum auctoritate, quam privatorum armis obtinetur, fuga injusti aggressoris non amplius adeo probrosa videtur, ut propterea liceat vitam alienam in discrimen adducere [4]). Quae sententia hodie communior inter theologos est facta post damnatam ab Innocentio XI propositionem n. 30: *fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec calumnia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingit alapam vel fuste percutiat, et post impictam alapam vel ictum fustis fugiat.* Attamen etiam nostra aetate quidam theologi, ut Scavini, Waffelaert [5]), non sine ratione affirmant, dum honor viri nobilis factis (*non verbis*) laedatur, licitum esse ad ignominiosam percussionem avertendam gladium opponere atque deinceps, si aggressor arma armis opponat, etiam eum occidere cum moderamine inculpatae tutelae, quando jam non solus honor, sed aeque vita discrimini exponitur; cui senten-

---

[1]) **S. Antonius**, *Summa Theol.*, p. II, tit. 5, c. 6; **Lugo**, Disp. X, n. 195; **Molina**, Disp. 17; **Lessius**, lib. II, cap. 9, dub. 12; **S. Alphonsus**, lib. IV, n. 386.

[2]) **Уложеніе о наказ.**, ст. 102, 103.

[3]) **Lugo**, Disp. X, n. 157.

[4]) **Marres**, *De Justitia*, lib. II, n. 239.

[5]) **Scavini**, *Theol. Moral.*, t. III, n. 95 et 96; **Waffelaert**, *De Justitia*, t. II, n. 65.

tiae etiam s. Alphonsus favet, simul tamen cum Lessio et Sylvio animadvertit: admodum rarum esse in usu vitae casum, quo honor non aliter quam occidendo defendi possit [1]). Plebi autem, quae honorem non tanti aestimare solet, pariter clericis et religiosis ratione perfectioris vitae et ob spiritum lenitatis, tandem etiam nobilibus, si honor sobis verbis laeditur, certo injustum aggressorem honoris nunquam occidere licet.

30. **Bona fortunae** etiam cum caede injusti aggressoris posse defendi, negabant quidam rigidiores theologi: non habetur enim, dicebant, justa congruentia inter rem temporalem, quae est servanda, et vitam hominis, quae perinde extinguitur. Nihilominus est sententia communis eaque gravissimorum theologorum, qui illud esse licitum affirmant, quando nempe, habita ratione opulentiae proprietarii, discrimini exponuntur bona temporalia magni momenti, neque alia via servari aut recuperari possunt; ipsa enim lege naturae non prohibetur, quominus vis vi repellatur: alioquin homines religiosae conscientiae rebus suis impune spoliarentur. Sane bonum vitae est praestantius bonis temporalibus; rectus tamen ordo caritatis non obligat, ut bona aliena altioris ordinis bonis propriis, licet ordinis inferioris, praeferantur, nisi id fiat in exterma necessitate proximi, quando nempe hic sibi succurrere non potest; sed fur et latro, qui sponte se periculo vitae exponunt, in illa necessitate non censentur versari. Sapienter tamen adnotat quidam auctor anonymus: hanc sententiam non esse fidelibus publice denuntiandam propter abusus, qui inde sequerentur; praeterea rarissimae erit praxeos, tum quia fur, qui solum furari intendit, ordinarie potest repelli absque occisione, tum quia ablata possunt regulariter recuperari via juris [2]). Non licet tamen occidere aggressorem pro rebus minoris momenti; damnata est ab Innocentio XI propositio n. 31: *regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* Nequit pariter occidi fur, qui alia via repelli potest, nec pariter ille, qui tantummodo impedit a consequendo aliquo bono, ad quod quidem jus habetur, quod tamen actu nondum possidetur.

---

[1]) S. **Alphonsus**, lib. IV, n. 381; **Lessius**, lib. II, cap. 9, dub. 12; **Sylvius**, *Comment. in 2.2, q. 64, art. 7.*

[2]) **Tractatus Mechlinensis de Justitia**, p. III, n. 63.

γ) *Duellum.*

31. Duellum definiri solet: *certamen duorum vel paucorum, ex condicto initum statuto tempore et loco, cum periculo occisionis aut saltem gravis vulneris.* A duello, quod proprium dicitur, distinguenda est tum rixa et altercatio, quae ex subito fervore irae sequitur, tum illa pugna, quae in loco minus apto v. gr. in domo aliena inopinate incoepta, deinceps in loco determinato fustibus, pugnis aut aliis instrumentis minus fatalibus continuatur, etiamsi per accidens mors sequatur. Duellum, cum sit ejusdem naturae, ac homicidium directum privata auctoritate factum, sine injuria Dei, societatis, propinquorum permitti nequit. Sola auctoritate publica ad avertendum majus malum in eadem specie v. g. ad bellum finiendum fas est condicere duellum: principes ex legitima causa, quae est belli incoepti vel saltem certe imminentis decisio, possunt de certo loco ac tempore convenire, ut unus vel plures utrimque determinati pugnent, ut tali pacto multitudini parcatur. Ceterum hoc genus duelli, quod *publicum* dicitur et apud veteres adhibebatur, hodie jam amplius usu venire non solet. Duellum *privatum,* etiamsi alicubi lege civili permittatur, neque ad honorem defendendum, neque ad contemptum vitandum, neque ad notam timiditatis fugiendam unquam est licitum: haec enim non tali ratione, a gentibus barbaris mutuata, obtineri debent. Imo, etiamsi quis, duellum recusando, privetur officio, quo se suosque sustentat, perinde nefas est ei illud non detractare [1]), cum duellum privatum sit malum intrinsecum, juri naturali et divino adversum.

32. *Duello gravissima injuria Deo Creatori* irrogatur et quidem duplex: qui ad duellum provocat, incitat, aut saltem non detrectat, tum jus Dei in propriam vitam usurpat, sine sufficiente ratione seipsum periculo mortis aut gravis vulneris exponendo, tum jus in vitam proximi, animo eum occidendi aut saltem vulnerandi. Committitur pariter, licet minus rigorosa, injuria *erga societatem humanam,* quae tali pacto suis membris destituitur; a fortiore committitur *erga personas sanguine propinquas.* Attamen haec injuria, quae fit parentibus, uxori, filiis viri in duello occisi, non est illa stricta, quae restitutioni sit obnoxia, dummodo ne in duello occisus vel graviter vulneratus ad certamen coactus consenserit. Etiamsi igitur quis ad duellum non

[1]) Constit. Benedicti XIV „*Detestabilem*“.

altercatio = ссора, спор.

prior provocaverit, dummodo tamen libere illud acceptaverit, illam injuriam, quae forte consanguineis ex sua morte obveniat, condonasse censetur; jus enim conjunctorum, ait Waffelaert, non oritur nisi ex eo, quod laedens injuste i. e. per vim eorum emolumenta abstulit; consentiente autem laeso actio laedentis non fuit violenta, sed laeso voluntaria, adeoque ex consensu illius, a quo habituri erant emolumenta, factum est, ut iis careant illi conjuncti [1]).

33. Ecclesia, quae duellum semper damnabat, *gravissimas quoque poenas* contra reos hujus sceleris tulit. In Conc. Trid. [2]) contra hoc scelere obstrictos constituta est excommunicatio, ipso facto incurrenda; quae poena a Pio IX iterum est confirmata et Summo Pontifici simpliciter reservata, eamque incurrunt *duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quilibert complices, vel qualemcunque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscunque dignitatis sint* [3]).— Porro, duello certantes eorumque patrini fiunt irregulares ex delicto, vel saltem ex infamia juris, si nec mors nec mutilatio sequitur. Quas duas poenas etiam ii incurrunt, qui ad timiditatis aut vilitatis notam evitandam duellum suscipiunt, vel ad illud serio provocant, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturum, utpote ab aliis impediendam. Tandem in duello pereuntes sepultura ecclesiastica privantur. Quam poenam Conc. Trid. [2]), contra eos tantum decrevit, qui in ipso conflictu morerentur. Benedictus XIV vero constituit hanc poenam etiam ante sententiam judicis incurri a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem recepto, sive duellum publice, sive privatim indictum sit, etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit. Lege Rossica contra duello certantes eorumque consortes etiam severae poenae sunt latae [4]).

---

[1]) Waffelaert, II, n. 368.

[2]) Conc. Trid., sess. XXV cap. 19 de Reform.

[3]) Const. Pii IX „*Apostolicae Sedis*".

[4]) Уложеніе о наказаніяхъ, *ст. 1497—1512.*

δ) Procuratio abortus.

34. *Abortus est expulsio ex utero materno concepti fructus, qui extra uterum vitae nondum est capax* [1]. Ab abortu distinguenda sunt: a) expulsio fetus jam mortui aut corrupti; in dubio tamen fetus semper vivus esse praesupponitur, nec de industria eum expellere licet. b) Acceleratio partus, quae ob graves rationes, v. gr. ob angustiam ostii uterini, permittitur, dummodo constet, fetum extra uterum jam vitae esse capacem, etiamsi per accidens moriatur. c) Expulsio fetus, qui ex morbida quadam causa, ex. gr. per rupturam uteri aut per sanguinem in uterum infusum, jam a sua cum utero conjunctione, qua sola vitam vivere potest, est sejunctus.

Procuratio abortus esse potest directa et indirecta. *Abortus procuratur directe* [2], quando ponitur causa, ex qua abortus per se, qua naturalis hujus causae effectus necessitate physica proxime sequitur, vel saltem ipse, qua finis aut medium intenditur, ex. gr. quando fetus in matrice perimitur veneno, instrumentis, aut inciditur vesica, ut liquore effuso, fetus sua sponte ante tempus expellatur. *Abortus indirecte*

---

[1]) Antiquis, duce Aristotele, videbatur in utero ab initio conceptionis fieri quoddam corpus informe, ante 40 vel 80 dies quolibet vitali organo destitutum. Id tamen recentiores scientiae naturalis periti non comprobant, potius affirmant, conceptum fructum statim saltem ea organica vita frui, qua in utero materno in hominem naturaliter crescere possit, et anima humana esse praeditum. Conceptus fructus per 3 priores hebdomades nudis oculis non satis apparet et simpliciter *ovum humanum foecundatum* dici solet. Dein audit *embrio*, cujus omnia humana organa post 3 menses sat conspiciuntur. Abhinc appellatur *fetus*; involutus vesica (*pęcherz*) vel membrana, quodam liquore instar aquae repleta, continetur in utero materno, qui toto tempore praegnationis in dies magis extenditur. Tempore partus uterus, natura duce, violenter coangustatur, vesica rumpitur, liquor effunditur, fetusque saepissime (96%) vertice capitis in lucem prodit. Ante 7 menses praegnationis, si vesica casu infausto aut de industria rumpitur, tunc fetus saepissime ipso facto perit, cum instar piscis extra aquam respirare non possit. Quidam affirmant, Fortunio Liceti, virum eruditum XVI sec. sexto mense suae conceptionis esse natum (Cf. Derbeyne, *La théologie morale et les sciences medicales*). Post 7 menses praegnationis completos vitae extrauterinae fetus jam est capax atque interdum hoc tempore nascitur; admodum raro id contingit mense octavo. Generatim vero post 9 menses partus subsequitur conceptionem. Cod. Civilis Rossicus extremos terminos legitimae nativitatis intra 180 et 306 dies supponit. *Гражд. Зак. ст. 119 и 125.*

[2]) Debrayne, *Essai sur la théologie morale* pars III, *De l'embryologie*, ubi causae abortus enumerantur. Item: Штольцъ, *Судебн. Медиц.*, ст. 240, г. 1890.

procurari dicitur, quando ponitur causa, ut balneum aut alia medicamenta, ex qua duplex effectus naturaliter sequi potest: abortus et sanatio matris infirmae; attamen ipse abortus non intenditur, sed tantum permittitur, neque inservit ut medium sanationis, sed potius sequitur, qua circumstantia concomitans.

35. *Abortum directe procurare, aut saltem eum intendere nunquam est licitum*, etiam ad martem in certo et jam praesenti vitae discrimine salvandam, imo etiamsi absque hac procuratione perinde aeque mater et fetus certo sint perituri; non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona. A fortiore id non est licitum ad solam ignominiam vitandam. Damnata est ab Innocentio XI propositio sub n. 34: *licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur*. Directe abortum procurare est idem, ac hominem innocentem directe occidere, quod sane est peccatum letale et injuria gravissima erga Deum et ipsum innocentem. Haec est communis theologornm sententia, in usu vitae tenenda.

Quidam recentiores medici, imo etiam theologi catholici itali, ut d'Annibale, Viscosi [1]) probare conantur, in certo vitae discrimine ad salvandam matrem licitam esse directam abortus procurationem: fetus, dicunt ipsi, in hoc casu est considerandus tanquam injustus vitae maternae aggressor, quem, nisi aliud salutis medium habeatur, absque injuria abigere licet. Verumtamen fetus nullo pacto dici potest injustus vitae maternae aggressor; nam sine ulla sua actione, potius voluntate matris (*per conceptionem*) in ea condicione reperitur, qua vitam matris periculo exponit; insuper impedimentum partus fere semper ex parte matris propter angustiam pelvis (*Beckenenge*) oritur [2]). Qua igitur ratione injustus aggressor dici possit? S. Congr. Inq. die 28 Maji 1884 in causa craniotomiae interrogata, respondit: *in scholis catholicis licitam esse hanc chirurgicam operationem—tuto doceri non posse*. Ceterum, d'Annibale suam sententiam videtur revocasse, nam tum ipse, tum quos ex antiquioribus theologis allegat, ut Laymann, Sylvius, s. Antoninus directam expulsionem solummodo fetus inanimati

---

[1]) **Daniel Viscosi**, *La Embriotomia ne' suoi rapporti colla morale cattolica*, Napoli 1879. **D'Annibale**, *Theol. Moral.*, t. II, n. 284 et 285. Ex antiquis: **Sanchez**, *De Matrim.*, lib. IX, Disp. 20, n. 9 et 10. *Embriotomia* adhibetur, quando fetus via naturali ex utero prodire non potest; idcirco ope instrumenti aut decolatur (*cephalotomia*), aut ejus cranium comprimitur (*craniotomia*), aut alio quovis modo secatur et per partes ex utero extrahitur.

[2]) Cf. **Capellmann**, *Pastoral-medicin*, ed. 12, an. 1898, pag. 14.

esse licitam docent. De abortu autem fetus jam animati d'Annibale dicit: *multorum sententia fuit et hoc ticitum esse: hanc sententiam olim non improbabilem censui.* Cum autem hodie inter physiologos sit fere communiter receptum, fetum a momento conceptionis statim animari, ideo vix causa subest, cur de hypothesi fetus inanimati fiat quaestio specialis.

36. Quidem theologi, ut Ballerini, Lehmkuhl [1], saltem *punctionem membranae vel fibrarum relaxationem*, qua fetus immaturus, quamvis certo moriturus, ipse eggrediatur, licitam esse docent in certo et alia via jam non evitabili mortis periculo. nam dicunt, matri in hoc vitae discrimine licitum esse se abstinere ab ulteriore fetus gestatione, utpote sibi fatali et fetui innutili, cum hic semper simul cum matre moriatur. Fetus, ratiocinatur Lehmkuhl, jus suum existendi in utero unc plane sibi inutile et potest renuntiare in favorem maternae vitae et revera renuntiare dicendus est, saltem in illis circumstantiis, quando periculum sine baptismo decedendi ex abortu inducto non aggravatur, sed potius minuitur. Ballerini provocat ad auctoritatem card. de Lugo, qui ita dicit: «mater non tenetur cum tanto vitae suae periculo et detrimento procurare et conservare foetum: sicut nec natum jam filium tenetur cum vitae discrimine alere». Ut patet tamen ex contextu, Lugo id expresse dicit de procuratione abortus indirecta, quae in punctione membranae vix talis esse dici potest, nam hominem aeque directe occidit et qui eum letaliter transverberat et qui eum ex alta turri dejicit. Qui hanc procurationem abortus in extremo matris periculo licere arbitrantur atque indirectam eam esse affirmant, comparant eandem cum casu, quo mater non obligatur cum certo suae vitae periculo infantem ulnis gerere, quamquam perinde in undas vel barathrum demittet. Haec opinio est nova et videtur esse periculosa, quam non solum veteres theologi implicite, sed perquam multi recentiores, hac controversia mota, eam expresse respuunt, ut Pruner, Dumas, Crolly, Berardi, Waffelaert, Marres, Aertnys, Marc, imo etiam pii et insignes medici, ut Capellmann, Hubert, Stöhr [2]).

37. Ceterum, quidquid sit in genere de punctione vesicae et fibrarum

---

[1]) **Ballerini**, *Adnot. ad Gury,* t. I, n. 402 et 403; **Lehmkuhl**, I, n. 842—844; **Lugo**, Disp. X, n. 133

[2]) **Pruner**, *Moral. Theol.*, p. 396; **Crolly**, III, n. 134; **Berardi**, *Prax. confess.* n. 192; **Waffelaert**, II, n. 89, 90; **Capellmann**, *Pastoral-medicin*, De abortu; **Hubert**, *Du l'avortement médical*; **Stöhr**, *Handbuch der Past.-medicin.*

relaxatione ad salvandam matrem, multi graves theologi merito opinantur, *licitam esse hanc* operationem saltem in hisce duobus casibus: a) in prolapsu uteri, quando nulla alia media ad reponendam matricem adsunt; hoc enim in casu per punctionem secundinarum abortus procuratur indirecte tantum; nam membrana pungitur non ad fetum abigendum, sed potius ad amplitudinem matricis, liquore effuso, minuendam, ut tandem in pelvim reponi possit. Haec tamen impossibilitas reponendi prolapsum uterum sine punctione secundinarum admodum raro contingere solet. b) Punctio membranae est licita ad partum accelerandum post 7 menses praegnationis, quando fetus vitae est capax extra uterum, etiamsi per accidens moriatur. Ad hanc tamen operationem chirurgicam cohonestandam requiruntur graves et sufficientes causae. Hujusmodi vero justae causae tunc adsunt, quando certo praevidetur fore, ut proles ad terminum naturalem perveniens et aucta, ob angustiam uterini ostii, naturaliter nasci non possit; item quoties grave vitae periculum matri et proli instat, nisi partus acceleretur; tandem quoties proles sine baptismo secus moritura esse praevidetur. In hisce tamen casibus non statim post 7 menses esse licita dicitur, potius expectandus est terminus, quantum fieri potest, ultimus, ut tali pacto vitae temporali prolis optime prospiciatur.

Hic subjungi potest *monitum*, quod Marres *confessariis* recte exhibet: sacramenta negari non possunt medico, qui bona fide licitum esse reputat directe procurare abortum ad servandam matrem aut in ipso vitae periculo constitutam, aut in illud proxime et certo collapsuram, quia haec sententia, etiamsi aut falsa aut improbabilis videatur, tamen non spernenda extrinseca ratione seu auctoritate nititur, atque confessarius non controversiarum est judex. Ast absolutione indigni sunt medici, nisi perversam agendi rationem mutare velint, qui abortum leves propter rationes ex. gr. ad infamiam vitandam, ad infirmam matris valetudinem corroborandam, ad leve aut remotum aliquod vitae periculum praecavendum procurant, aut quando accelerato partu matribus succurri potest, letifero remedio utuntur [1]).

38. **Abortus indirectus** ex justa causa permitti potest; possunt igitur ex justa causa matri, cujus vita periclitatur vel graviter laborat, subministrari media, quae directe ad valetudinem recuperandam inserviunt, etiamsi periculum abortus secum afferant. A fortiore in ipso partu difficili adjuvando licite adhiberi possunt forcipes ceteraeque

---

[1]) Marres, lib. II, n. 277.

chirurgicae operationes eo fine, ut non tantum matri sed etiam proli, quo meliore modo fieri potest, subveniatur, etiamsi quandoque praeter intentiam aut matris aut prolis mors exinde sequatur. Generatim in curandis gravidis matribus aegrotantibus etiam extra grave periculum vitae adhiberi possunt remedia, quae directe ad matrem salvandam sunt necessaria vel apta, quamvis nonnunquam, admodum tamen raro, abortum efficere possint. Hic pertinent balneae, injectiones in vaginam et potissimum interiora pharmaca, fetui directe non nociva. In periculo autem matris directo et immediato etiam tale remedium adhiberi potest, quod probabiliter abortum producet, dummodo ne aliud remedium existat, neque ipsum pharmacum directe et immediate ad prolem perimendam vel abigendam inserviat. Tota difficultas est in singulis casibus determinare, utrum causa adsit sufficiens et justa ad illa certe periculosa remedia adhibenda. Insuper, si praevidetur, fore ut proles possit perire, requiritur, ne rationabili spe suscipiendi baptismum ipsa privetur, cum ex ordine charitatis mater salutem prolis aeternam suae temporalis vitae periculo praeferre teneatur.

39. Attamen, quando moraliter est certum aut maxime probabile, non adhibito remedio, prolem matri non supervicturam esse, tunc pharmaca indirecta subministrari possunt, nulla *habita ratione baptismi*, cum condicio prolis exinde pejor non efficiatur, nec mater ob solam probabilem spem vitae et baptismi prolis propriam vitam negligere teneatur. Hinc rationabiliter dicunt Salmanticenses, ait s. Alphonsus, medicos quoad pharmaca praestanda matribus non esse scrupulose angendos, eo quod rarissime est et moraliter impossibile, ut paene miraculum sit, quod, pereunte matre, proles supervivat, ut baptismum recipere possit (puta, nisi mater sit partui proxima vel nisi morbus sit brevissimus). Idque mihi confirmarunt plures artis medicinae periti, prosequitur s. Alphonsus, quos consului; quia matre laborante letali morbo, humores corrumpuntur et inficiunt fetus alimenta [1]. Mater et medicus graviter sane contra caritatem peccant, quando abortu qualicunque ex sausa secuto, moralem non adhibent diligentiam, ut aeternae prolis saluti, quantum potest, per baptismum provideatur.

Consulitur utique, ut in casu abortus praeviso, fetus in utero baptisetur; hoc tamen, nisi agatur de casu, quo fit punctio secundinarum ad reponendam prolapsam matricem aut de partu acceleratu fetus jam vitalis, vix fieri potest; utero enim acclusso, ait Waffelaert, nec

---

[1] S. Alphonsus, lib. IV, n. 394.

partes fetus satis discernere, nec certo scire, utrum aqua attigerit fetum, possumus, omissis dubiis, quae ex anxietate, praecipite actione baptisantis in simili eventu oriri possunt [1]). Insuper, ut baptismus saltem dubie validus sit, certo requiritur, ut saltem aliquod membrum fetus immediate attingatur; non sufficit vero solas secundinas aqua attingere; contrarium quidem affirmat Gury-Ballerini, dicendo, secundinas censeri veluti pars infantis, id tamen est prorsus falsum [2]).

40. *Homicidii indirecti sunt reae, ideoque graviter peccant mulieres gravidae*, quae sine gravi ratione ponunt causam, ex qua abortum proxime secuturum esse praevident: quae cum vehementi corporis motu saltantes choreis indulgent, ira vehementi efferuntur, sine necessitate equo aut curru vehuntur citato cursu, onera gravia tollunt, nimio pro viribus suis labori operam dant, nimis frigida aqua pedes lavant et s. p. Propter eandem rationem etiam graviter peccant, qui mulierem praegnantem cum periculo abortus graviter percutiunt, aut de industria terrefaciunt. Potus, qui a gravidis puellis ad abortum procurandum sumuntur plerumque effectum intentum non producunt, ob pravam tamen intentionem sunt graviter peccaminosi. «Interdum feminae, extra matrimonium gravidae, deprecantur medicum, ut fetum abigat ipsasque ab infamia liberet. Sane medicus, ait Capellmann, huic crimini nullo pacto cooperari potest. Sunt tamen medici, qui putent, hanc petitionem non esse simpliciter repellendam, ne istae alium adeant, qui forte eis facilius obsequatur. Volunt medici tali in condicione ficte petitioni morem gerere illisque aliquod medicamentum innocuum praebere. v. gr. pillulas panis, quibus istas mulieres decipiunt. Attamen ne dicam, hanc fraudem plerumque finem suum non assequi, illicitum mihi videtur esse, quamvis ficte, ita nefario consilio morem gerere et certe valde indignum» [3]). Ratione hujus sententiae subjungit Waffelaert: addere possumus medico christiano, imo et simpliciter honesto alias suppetere vias avertendi a crimine hujusmodi miseras feminas, proponendo nempe tum legem moralem et horrorem homicidii, tum leges ipsas physicas et periculum grave sanitatis et vitae, pro ipsa muliere proveniens ex

---

[1]) **Waffelaert**, t. II, n. 89; Cf. **Capellmann**, *Pastoral-medicin*. Die Taufe.

[2]) Fetus in utero matris tribus secundinis (*osłony*) est involutus, quarum interiores quidem amnion et chorion ex ipso ovo efficiuntur, ideoque aliqua ratione pars infantis dici possunt, exterior tamen decidua (*błona doczesna*) ex matrice producitur, idcirco certe est pars matris.

[3]) *Pastoral-medicin*, p. 14 nota.

ex obortu, addendo etiam pro adjunctis prudentiae consilia de modo subtrahendi infamiae viis honestis [1]).

41. **Lege ecclesiastica gravissimis poenis** plectuntur abortum procurantes, quando id est certo illicitum: a) Constitutione Pii IX «*Sedis Apostolicae*» procurantes abortum, effectu secuto, excommunicationi episcopo reservatae subjiciuntur, nulla habita distinctione inter fetum animatum aut inanimatum, et in nostris dioecesibus casum Ordinario loci reservatum constituunt. b) Quemadmodum voluntarii homicidae, fiunt irregulares, si fetus praesumitur, juxta regulam antiquam, jam esse animatus, vc. in dubio post 80 dies; quae irregularitas etiam in casu occulto Summo Pontifici reservatur. c) Tandem hujus criminis rei Constitutione Gregorii XIV «*Sedes Apostolica*» dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis privantur ipso facto, vel saltem post sententiam declaratoriam criminis, vc. quando crimen est juridice probatum. — Poenas abortus, non sine ratione addit Waffelaert, non incurri nobis videtur ab iis, qui partum accelerant etiam absque motivo sufficiente, nec ab iis, qui embryotomica operatione fetum jam vitalem (ad salvandam matrem in vitae discrimine) occidunt; sed poenis homicidii teneri, qui fetum occidunt, nobis indubium est (t. II, n. 99). Tandem est observandum, jure canonico homicidis aequiparari, qui conceptionem naturalem impediunt veneno sterilitatis aliove indebito modo: si quis, causa explendae libidinis vel odii meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit vel potandum dederit, ut non possit generare aut concipere vel nasci soboles, ut homicida teneatur [2]).

Codice Poenali Rossico etiam gravissimis poenis plectuntur abortum prucurantes, imo etiam obstetrices partum accelerantes aut eos, qui id rogaverint, apud magistratum non denuntiantes [3]).

---

[1]) T. II, n. 85 *nota*.

[2]) Cap. V, *De Homicidio*. Vd. Marc, *Instit. Moral.*, t. I, n. 742.

[3]) Улож. о наказ., *cm. 1461*: Qui sine scitu et consensu gravidae mulieris quocunque modo abortum procuraverit, ad metalla per 4—6 annos condemnatur; si vero exinde etiam mors mulieris praegnantis sequatur, poena augetur ad 8—10 annos. — *cm. 1462*: ipsa mulier, aut qui cum ejus scitu et consensu fetum abegerit, omnibus juribus privantur et exilio in remotiorem partem Sibiriae puniuntur. — *cm. 1463*: hae poenae uno gradu augentur, si hujusmodi criminis fiunt rei: medicus, obstetrix, pharmacopola, aut recidivus.—*cm. 878*: obstetrix, quae partum etiam praeter intentionem *(безъ умысла)* acceleraverit, carcere per 2—4 menses punitur.— *cm. 879*: obstetrix, si eos, qui abortum procurare rogaverit, magistratui non denuntiaverit, carcere per 2—4 menses est punienda.— *cm. 872 ct 873*: medicus aut obstetrix, ad puerperam invitati, si auxilium ei praestare sine sufficiente ratione no-

ε) *Mutilatio, vulneratio, verberatio.*

42. Integritas membrorum hominis triplici modo laedi potest: mutilatione, qua aliquod membrum corporis aufertur; vulneratione, qua caro violenter disrumpitur; verberatione vel percussione, quando corpus contunditur et dolore afficitur. Quemadmodum totius humani corporis, ita etiam ejus singulorum membrorum ipse homo dominium perfectum non habet: solus Deus est eorum Dominus absolutus, qui dat vitam et incrementum corporis: *Quis autem vestrum*, quaerit Christus Dominus, *cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* (Luc. XIII, n. 25). Nemo igitur proprium aut alienum corpus sine sufficiente ratione laedere potest mutilando, vulnerando, aut verberando. Injuria, quae in hisce Deo et ipsi homini infertur, ex genere suo est gravis; nihilominus parvitatem materiae admittit, cum laesio esse possit gravior et levior; in mutilatione tamen, qua corpus aliquo membro vel ejus usu spoliatur, parvitas materiee raro esse supponitur.

Cum integritas membrorum sit minus bonum, quam ipsa vita corporis, facilius haberi possunt causae, quae illorum laesionem de injuria excusent, imo opportunam et nacessariam faciant. Audiatur s. Thomas: cum membrum aliquod sit pars totius humani corporis, est propter totum, sicut imperfectum propter perfectum. Unde disponendum est de membro humani corporis, secundum quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per se quidem utile est ad bonum totius corporis: per accidens tamen potest contingere, quod sit nocivum, puta cum membrum putridum est totius corporis corruptivum. Si ergo membrum sanum fuerit et in sua naturali dispositione consistens, non potest praescindi absque totius corporis detrimento. Sed quia ipse totus homo ordinatur, ut ad finem, ad totam communitatem, cujus est pars, potest contingere, quod abscissio membri, etsi vergat in detrimentum totius corporis, ordinatur tamen ad bonum communitatis, in quantum alicui infertur in poenam ad cohibitionem peccatorum. Et ideo sicut per publicam potestatem aliquis licite pri-

---

luerint aut eam post partum statim reliquerint, antequam omnia hac in causa necessaria ordinate sint peracta, mulctis pecuniariis inde a 10 rubelis incipiendo sunt plectendi.

vatur totaliter vita propter aliquas majores culpas, ita etiam privatur membro propter aliquas culpas minores [1].

43. Cum **mutilatio et vulneratio** sint minus malum, quam occisio, ideoque ubicunque sine injuria licet proximum occidere, aut periculo mortis semetipsum exponere, a fortiore in iisdem adjunctis licet vulnerare aut mutilare tum seipsum tum alium. Hic igitur sunt consideranda singularia adjuncta, quae ad servandam corporis integritatem non obligant, licet ad mortem hominis excusandam non sufficerent. Sermo igitur esse potest tantum de laesione corporali hominis innocentis, non malefactoris aut injusti aggressoris. Hujusmodi adjuncta singularia triplicis generis examinari possunt: *causa ab intrinseco, causa ab extrinseco tum necessaria, tum libera.*

a) Causa ad laedendam membrorum integritatem certo sufficiens, a s. Thoma indicata, est conservatio vitae humanae a periculo, quod a **causa intrinseca** imminet, vc. in morbo curando, imo ad magnos dolores avertendos, quando alia media efficacia desunt, nisi aut membrum aliquod auferatur, aut operatio chirurgica per incisionem perficiatur. Quo in casu quisque potest sui corporis mutilationem aut incisionem, in quantum sunt necessariae, permittere. Attamen ad illas subeundas generatim non obligatur, nisi sint parum molestae, nec periculosae. Sane cujus hominis vita bono communi est valde necessaria, aut cujus mortem subsequitur mors alterius innocentis (*si mater praegnans periculose aegrotat*), major requiritur repugnantia naturalis, ut patiens ab operatione chirurgica subeuda eximatur; certe tamen ad media curationis extraordinarie molesta etiam tunc temporis nunquam ex justitia, imo etiam raro ex sola caritate sub gravi potest obligari. Pari modo subigere hominem operationi chirirgicae, quamvis salutari, contra ipsius patientis voluntatem, nisi id fiat praecepto divino (*circumcisio apud Hebraeos*), admodum raro est licitum. Qua in causa ita Molina dicit: quia homo custos et administrator est constitutus suae propriae vitae ac membrorum, nullus, ipso renuente, potest secare ab eo membrum gratia curationis, aut medicamentum aliud ei applicare, excipe, nisi sub cura esset parentum aut tutoris, *aut nisi sub praelati oboedientia viveret* [2]. Quae tamen postrema sententia vix approbari potest, nam praelatis non sunt commissa corpora subditorum ad bonum particulare, sed solum regimen persona-

---

[1]) 2. 2. q. 65, art. 1.

[2]) Molina, tom. IV, tr. III, Disp. 1, n. 10.

rum ad bonum commune; ita religioso non potest a superioribus stricta obligatio subeundi valde molestam operationem imponi, nisi, ut Lugo ait, valde esset Reipublicae et communitati necessarius et remedium esset securum et certum [1]). Attamen, si aliqua operatio aut abscissio membri infecti est necessaria ad praecavendum malum publicum, v. gr. ne plures in Republica inficiantur, tunc ipsa praecipi potest. Ita, publica auctoritate possunt subditi obligari, ut ad praecavendam pestem sibi variolas artificiales inserant.

44. In particulari, quod ad **sectionem caesaream** pertinet, haec sane est vel maxime matri suadenda, si alia media, quibus proles aut ipsa mater salvetur, desunt, si adest peritus chirurgus, si tandem matri, habita ratione suae valetudinis, non adeo grave periculum vitae imminet; quod periculum, testibus pluribus medicis, hodie est interdum minus, quam in ipsa cephalotropsia [2]). Stricte tamen obligari ad hanc operationem, quam mulieres maxime abhorrere solent, nisi dolores commode temperari, imo tolli possint chlorophormo [3]), matres neque ad vitam prolis aut suam servandam, neque ad salutem aeternam sobolis procurandam etiam ex caritate possunt, cum nemo, spectata infirmitate humana, vitam suam aut alienam tam insolito et duro medio servare teneatur.—Matre praegnante mortua, caesarea sectio sub gravi peragi debet, si adest medicus vel alius peritus, et si spes aliqua prolem vivam extrahendi et baptisandi subest; quae spes, testibus hodiedum medicis semper adest; id praecipit expresse Rituale Romanum: *si mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum caute extrahatur, ac si vivus fuerit, baptisetur* (De baptisandis parvulis) [4]). Caesarea sectione hoc in casu non tantum saluti aeternae, sed non semel etiam vitae temporali prolis, praesertim altera praegnationis periodo, providetur. Cum tamen non semper certo con-

---

[1]) **Lugo**, Disp. X. n. 21.

[2]) Cf. **Capellmann**, *Pastoral-medicin*, Das fünfte Gebot.

[3]) Usus chlorophormi per se non est damnandus; cum tamen aliquod periculum morti licet remotum secum habeat, ideo sine gravi et sufficiente ratione non permittitur. A fortiore graviter peccant mulieres, quae ad tolerandos ordinarios dolores partus, cum gravi periculo vitae prolis, adhibent chlorophormum. **Capellmann.**

[4]) Idem etiam Jure Rossico est praeceptum: когда беременная женщина на второй половинѣ своей беременности скоропостижно умерла, для спасенія плода и окрещенія его должно произвести Кесарьское сѣченіе со всѣми предосторожностями, какія при семъ обыкновенно наблюдаются у живыхъ.

Св. Зак., т. XIII, **Уст. Суд. Медиц.**, ст. 1742.

stet de morte matris, ne igitur haec viva et lethargo oppressa occidatur, solus artis medicae peritus ad sectionem caesaream peragendam vocari debet.

45. Quidam theologi arbitrantur, *parochum*, praesentem matri gravidae nuper mortuae, quando medicus aut alius rei peritus abest, *ratione muneris sui* obligari ad sectionem caesaream peragendam, ut tali ratione aeternae saluti prolis provideat, nam obligatur ut pastor ex justitia, dicunt, ad succurrendum aeternae saluti suorum fidelium subditorum, extrema autem necessitas excusat, quidquid in hac actione minus conveniens esse videatur. Sane reprehendi nequit sacerdos, rei peritus, qui zelo salutis animatus, ut spirituali infantis necessitati subveniat, deficiente chirurgo, ipse hanc operationem perfecerit. Attamen ad id vi muneris sui pastoralis obligari certe non potest, cum proles nondum nata non sit sibi subdita. Insuper, si rei est imperitus, ab illa operatione peragenda prorsus se abstineat, cum admodum sit difficile certo scire, num mater jam sit vere defuncta; quapropter periculum occidendi subire potest, aut saltem hujus criminis accusandi. In hoc arduo eventu potius tentanda est spes baptisandi prolem saltem sub condicione in utero matris.

46. b) Ad vitandum vitae periculum, **a causa extrinseca necessaria** (*physica*) proxime imminens, non est quidem praecepta, certe tamen est licita suimetipsius mutilatio aut vulneratio, quia, ut Doctor Angelicus ait, disponendum est de membro totius corporis, secundum quod expedit toti. Insuper, cum in casu extrinseca causa supponatur necessaria seu physica, deest periculum cooperandi alieno peccato formali. Hinc, tempore incendii aliquis parieti carceris catenā alligatus potest, quamquam non tenetur, sibi manum amputare, ut mortem effugiat. Imo, ad declinandam certam mortem, a causa extrinseca necessaria imminentem, licet non tantum se vulnerare, sed etiam certum periculum mortis subire, cum in hoc eventu non suicidium intendatur, sed ex duobus malis eligatur minus. Ita, tempore incendii ad evitandam certam mortem acerbissimam, nisi alia supersint media, licet e fenestra se projicere, etiamsi perinde non tantum membra corporis frangantur, sed aeque ipsius vitae periculum immineat. Pari modo, navi conflagrante, ad certam mortem incendii evadendam, licet in flumen aut mare desilire, etsi spes servandae vitae, sit parva.

c) Utrum ad conservandam vitam etiam a periculo **extrinseco et causa libera** liceat seipsum mulitare aut vulnerare, inter theologos non satis constat: Soto et Vasquez negant, licitum esse e

praecepto tyranni propriam manum truncare, etiamsi secus inoboedienti mors certa immineat. Contra, Lugo propriam directam mutilationem hoc in casu esse licitam merito arbitratur, cum non sit cooperari peccato tyranni, sed potius volenti majus scelus committere, consulere minus peccatum. Idem tuentur Molina, Lessius, Lehmkuhl [1]). Opus etiam non vituperandum, potius eximia laude extollenda virtus caritatis est, permittere sibi carnem excidere, ut proximo ad medendum vulneri insanabili et alias letali eadem inseratur. Generatim conservatio vitae in omni casu esse videtur sufficiens ratio ad permittendam, aut etiam eligendam propriam mutilationem.

47. Difficilius permitti potest mutilatio aut vulneratio *ad alios fines obtinendos*, nisi sint *valde graves* et altioris ordinis, quam ipsa vita hominis temporanea. Ita, licet virgini aliqua incisione membri sese deformare, ut tali pacto insidiatorem castitatis horrore afficiat et a se repellat. Imo quis accusare audeat, quaerit Lehmkuhl, heroicum illud exemplum virtutis, quo Sanctus quidam in scorti sibi insidias parantis faciem «praecisam morsu linguam expuit» illudque sic in fugam conjecit, ut narratur in Martyrologio Romano sub die 28 Julii? [2]) Juxta s. Alphonsum virgo, cum in stupro semper adsit periculum consensus, ad servandam castitatem ab invasore, potest non solum se mutilare, sed etiam se conjicere in certum periculum vitae, non in mortem certam, vc. potest sese praecipitare e fenestra sat celsa et valde periculosa, non autem ex alta turri [3]).—Contra, certo non licet absque gravi injuria sibi digitum amputare, aut sanitati nocere ad militiam declinandam; pari modo non licet ad pulchritudinem augendam magnos cruciatus subire, v. gr. pilos palpebrarum sibi evellere et alios magis decoros substituere, ut a quibusdam feminis aliquando fieri narratur.

---

[1]) **Soto**, lib. V, q. 2, art. 1; **Lugo**, Disp. X, n. 22; **Molina**, t. IV, Disp. 10, n. 2; **Lessius** cap. XI, dub 14, n. 107; **Lehmkuhl**, vol. I, n. 577.

[2]) Actum heroicum nemo utique in hoc casu non agnoscet, imo etiam virtutem subjectivam, cum Sanctus optime intentione et fide id fecisse merito supponatur. Per se tamen ad procacem feminam repellendam et propriam tentationem carnis superandam non videtur licere praecisam morsu linguam exspuere, cum praesto sint alia media minus atrocia.—A majoribus nostris traditur, quaedam monialis in incursione infidelium, cum potius mortem quam stuprum pati mallet, aggressori pudicitiae mendacio persuasisse, sibi caput gladio abscindi non posse, eumque ad id tentandum incitasse; hic *deceptus* virgini intactae januam coeli gladio aperuit. Id sane admirari possumus, imitari tamen minime licet.

[3]) **S. Alphonsus**, lib. IV, n. 367 et 368.

48. *An se ipsum aliquando castrare liceat?* Certe id non est permissum ad conservandam castitatem vel sedandas tentationes carnis, cum ad hunc finem alia subsint media, et ipsa castratio tentationes nec tollat, nec minuat, imo, teste s. Chrysostomo, auget [1]. Probabilius, etiam ipsis pueris consentientibus, ad vocem suavem conservandam eos evirare non licet; si enim pro bono animae id non licet, eo magis pro lucro temporali interdicitur, quod natura reprobat. Contraria opinio, quam Elbel [2] et quidam alii tuentur, vix sustineri potest etiam in casu, quo castratio pueris ad vitam tolerandam sit valde utilis eorumque condicionem multo feliciorem reddat. Eviratio tum in pueris, tum in viris adultis tunc tantum licite permittitur, quando est prorsus necessaria ad vitam servandam, aut ad dolores molestissimos tollendos. Recentiore tempore ab Eduardo Porro medico, ad praecavendam in posterum necessitatem operationis caesareae, incoepta est excisio ovariorum in feminis, quae ob angustiam claustri uterini naturaliter parturire nequeunt; quae operatio ad praecavenda tantum futura et remota pericula vitae illicita esse merito censetur, attamen si est necessaria in actu ad ipsam caesaream operationem peragendam, quemadmodum id medici affirmant, aut ad alium morbum periculosum avertendum, certe permitti potest [3].

49. Cum **verberatio** sit minus malum, quam vulneratio vel mutilatio, etiam minor causa sufficit ad illam legitimam efficiendam. Ne dicam de auctoritate publica, quae potestate coercitiva malefactores verberibus punire potest, etiam parentibus erga pueros immaturos haec potestas intra legitimos fines agnosci debet: homo triplici via ad virtutem movetur: ratione ducitur, metu cogitur, praemio allicitur; praestat sane tentare viam rationis et praemii; quando tamen hae viae inefficaces manent, etiam virga multum valet [4]. Parentes filios suos punire possunt non solum eo fine, ut in posterum eos a malo retrahant et ad emendationem excitent, sed etiam ut poena delicto condigna ipsis infligatur. Ceterum immoderatus erga pueros

---

[1]) **S. Chrysostomus**, *Homil. 63 in Matth.;* idem etiam **S. Thomas**, 2.2, q. 65, art. 1; **S. Alphonsus**, lib. IV, n. 373.

[2]) **Elbel**, *Theologia Moralis* pars IV, n. 29.

[3]) **Capellmann**, c. o., *Das fünfte Gebot II*

[4]) Rószczką Duch święty dziateczki bić radzi;
Rószczka bynajmniej zdrowiu nie zawadzi;
Rószczka napędza rozumu do głowy,
Uczy paciorków, a broni złej mowy...

rigor eosdem ignavos, meticulosos, duri ingenii efficere solet; semper igitur praestat benignitas et misericordia, quam severitas. *Parentes, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini* (Ephes. VI, 4).

Peccant parentes, non semel etiam mortaliter, quando pueros suos aut ex solo odio verberant, aut justos limites excedunt, plus puniendo, quam filii promeruerunt, a fortiore quando nimia severitate eorum sanitati nocent.—Quod jus hac in causa parentibus erga filios agnoscitur, idem inter limites strictiores, pro praesumpta vel tacita licentia parentum, agnosci potest tutoribus erga pupillos.—Jus verberibus puniendi famulos, mercede conductos, domini per se habent nullum.—Maritus, quamquam est caput uxoris et inter justos fines ab ea oboedientiam sibi exigere potest, auctoritate tamen coercitiva per se gaudet nulla; uxorem igitur verberibus afficere, nisi gravissima necessitate urgente, nunquam expedit marito, imo esset maximum dedecus, cum uxor non sit suum mancipium, sed socia et materfamilias. Insuper habenda est ratio condicionis et status: inter conjuges rudes plus hac in causa consuetudine permitti solet, quam inter personas nobiles. Graviores inter conjuges verberationes, vulneribus consignatae, Codice Poenali Rossico severius quam inter personas alienas puniri solent, attamen nonnisi alterutra parte judicem interpellante, aut parentibus partis afflictae id exigentibus [1]).

η) *Bonum pudicitiae et virginitatis.*

50. Homo, cum per se usum sui corporis habeat, ideo membris generationis etiam inordinate sive solus, sive cum aliis utendo, quamquam graviter peccat, nemini tamen injuriam facit, nisi propter insufficientem aetatem aut alia adjuncta in ipsum corporis usum valide et eficaciter consentire nequeat. Efficacia consensus imprimis impeditur *defectu aetatis et insufficiente discretione mentis;* qui igitur luxuriose abutitur ignorantia non adultae personae innocentis, facit ei injuriam gravem. Jure Civili Rossico ignorantia in virgine semper supponitur ante 14 annum aetatis, et qui abutatur ejus ignorantia, ad metalla per 4—12 annos condemnatur [2]). Jure naturae discretio

---

[1]) Уложеніе о наказан. ст. 1583 и ст. 1496 прим. 2.

[2]) Ibid. ст. 1523—1525.

mentis et quae dicitur malitia aetatis aliquando maturius supponi potest. Qui libidinis explendae gratia, e domo paterna aut tutorum, juvenem aut virginem innocentem et ignorantem *per vim et raptum* subducit, injuriam facit non solum erga personam luxuriose violatam, sed etiam erga parentes et tutores. Si minor jam mentis discretionem habet sufficientem et de raptu consentit, ejus censensus, quamquam illicitus, est tamen validus, et injuria ratione raptus nonnisi erga parentes committitur. Porro, efficacia consensus in luxuriam tollitur, *vinculo matrimonii subsistente:* conjux adulter alteri etiam tunc facit veram injuriam, quando hic de crimine adulterii consentit; nam suus consensus est invalidus. Si ambo adulteri sunt vinculo matrimoniali conjuncti, uterque duplicis injuriae fit reus [1].

51. An sicut conjux ratione vinculi matrimonialis, ita etiam *alteruter sponsus* ratione sponsalium, *luxuriose cum persona externa peccando*, non solum contra castitatem peccet, sed simul faciat injuriam alteri parti, in confessione declarandam, non satis constat inter theologos. Alii id absolute negant, cum neuter desponsatus ad corpus alterius verum jus habeat; hanc opinionem saltem ut probabilem plures theologi agnoscunt, ut Lugo, Laymann, Elbel, s. Alphonsus, Sanchez, praesertim si fornicatio occulta manet, neque aliud detrimentum, ut praegnatio sponsae, subsequitur. Attamen Elbel, s. Alphonsus, Sanchez, Laymann uti probabiliorem esse censent illam opinionem, quae sponsum quidem a vera injuria excuset, non item sponsam [2]. Fornicatio sponsae, ait s. Alphonsus, est circumstantia in confessione exprimenda, quia mutat speciem et constituit injustitiam, quae in sponsa gravis est, ideoque mortalis habetur, ut si quis rem alteri promissam notabiliter corrumpat: quod tamen sponsus non censetur facere fornicando, cum in viro fornicatio non tanti aestimetur, nisi aliud accedat.—Cum igitur hac in causa theologi non sint concordes, non potest per se imponi certa obligatio, in confessione simul cum fornicatione etiam circumstantiam sponsalium declarandi, nisi id suadeat alia ratio, v. gr. detegendi impedimentum dirimens matrimonium, aut nisi fornicatio fiat notoria et dedecore innocentem afficiat. Difficilius excusari potest a vera injuria in confessione de-

---

[3]) **Cod. Poen. Rossicus** hac de causa, ст. 1585.

[2]) **Lugo**, *De Poenit.* Disp. XVI, n. 57; **Laymann**, *Theol. Mor.*, lib. V, tr. X, p. 1, c. 1, n. 6; **Sanchez**, *De Matrim*, lib. I, disp. II, n. 4—7; **Molina**, t. III, Disp. 73, n. 8; **Elbel**, *Theol. Moral.*, pars. IV, n. 243, *Theol. Sacr.*, p. III, n. 59; **S. Alphonsus**, lib. V, n. 847.

claranda, qui alterutrum desponsatum *mediis injustis, vi, fraude, in somno* fornicarie violaverit: hujusmodi fornicator veram injuriam non tantum erga violatam personam committit, sed probabilius etiam erga alterum sponsum; hic enim, quamquam verum jus ad corpus alterius nondum habet, ratione tamen sponsalium habet jus, ne mediis injustis impediatur a corpore alterius sibi promisso integre recipiendo.

52. Qui *virginem integram mediis injustis,* vi aut fraude, ad fornicandum coegerit, duplicis injuriae fit reus, cum non solum ejus corpore contra consensum abutatur, sed etiam virginitate eam privet, claustrum virginale (hymen) dilacerando; quae circumstantia in confessione est certe declaranda [1]. Non est autem stuprum, sed simplex fornicatio, quando virgo sponte in peccatum carnale consentit. Molina quidem contrarium arbitratur, affirmando feminam-virginem, quando fornicatur prima vice, peccare non solum contra sextum Decalogi praeceptnm, sed etiam contra quintum ob diruptionem sine legitima causa claustri virginalis (*błona dziewictwa*), quā peculiaris injuria Deo Creatori irrogetur; adolescentem vero prima vice fornicantem, cum nullum membrum in eo rumpatur, non peccare contra V praeceptum [2]. Juste tamen Waffelaert hac in causa animadvertit: Deus concessit unicuique usum suorum membrorum, ita ut qui illegitime etiam utitur, injuriam non committat. Jam vero ad usum corporis virginei videtur pertinere ista laesio membranae hymenis, quae ideo non superaddit peccato luxuriae injuriam; si enim ipse usus, licet peccaminosus, non est injustus, nec injuriosum videtur id praestare vel permittere, quod ad usum pertinet et sine quo usus non est.

ι) *Incarceratio.*

53. Ne dicam de nocumento, quod inclusus etiam in bonis fortunae non semel patitur, ipsa incarceratione per se, vera et specie singularis erga hominem committitur injuria, ob injustam fraudationem suae libertatis. *Deus reliquit hominem in manu consilii sui* (Eccl. XV, 14), homo igitur ex Dei liberalitate habet jus strictum ad suam libertatem etiam corporalem, qua sine sufficiente ratione privari nequit; injuria quae homini illegitima incarceratione infertur, est ex

---

1) Sanchez, *De Matrim*, lib. VII, disp. 14, n. 7.

2) Molina, t. IV, tr. III, disp. 1, n. 7; Waffelaert, p. II, n. 103, nota II.

genere gravis, eoque gravior, quo diutius durat et quo ipsa persona inclusa est majoris dignitatis. Incarceratio tamen ob legitimas causas et a legitima auctoritate permitti potest. Ipse Deus secundum ordinem suae sapientiae per se aut per alios non semel cohibet libertatem peccatorum, ne possint peccata implere, aut aliis nocere: *qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod coeperant* (Job. V, 12). S. Thomas ita hac de causa ait [1]: «incarcerare aliquem vel qualitercunque detinere est illicitum, nisi fiat secundum ordinem justitiae aut in poenam, aut ad cautelam alicujus mali vitandi». Non tamen pro qualibet culpa hominem licet incarcerare, neque omnibus etiam privatis id permittitur: «detinere hominem ad horam ab aliquo opere illicito statim perpetrando, ait s. Thomas, cuilibet licet: sicut cum aliquis detinet aliquem, ne se praecipitet, vel ne alium feriat. Sed simpliciter aliquem includere vel ligare ad eum solum pertinet, qui habet (*potestatem legitimam*) disponere universaliter de actibus et vita alterius» (*ibid.*).

54. Potestas legitima, quae universaliter de actibus et vita alterius decernere potest, est potestas publica civilis et ecclesiastica. quae in carcerem includere potest tum malefactores, tum etiam graviter suspectos, donec causa eorum cognoscetur et dirimetur [2]). Hominem certe innocentem nec publica potestas sine gravissima ratione libertate privare aut tantum e patria relegare potest. Parentes et tutores, quamquam correctionis gratia filios et pupillos possunt punire, domi retinendo et ad tempus exiguum libertate privando, cum tamen eorum potestas non sit perfecta potestas coactiva et vindicativa (*haec est penes superiores perfectae societatis*), sed potius directiva, ideo sibi subditos nequeunt in exilium mittere, aut longiore tempore carceri mancipare. Codice Poenali Rossico, qui vi et privata auctoritate, sine causa lege approbata, aliquem inclusum libertate privaverit, habita ratione temporis, quo illum detinebat (*смотря по продолжительности заключенія или задержанія*), ipse ad carcerem per 2 menses et longius tempus usque ad 16 menses condemnatur, imo etiam quibusdam juribus privari potest. Si vero illegitima incarceratio plus quam per 3 menses durat et conjuncta est cum aliis violentiis, reus hujus criminis omnibus juribus spoliatur et in Sibiriam relegatur [3]).

---

[1]) 2. 2. q. 65 art. 3.

[2]) Soto, lib. V, q. 2, art. 3.

[3]) Улож. о наказ. ст. 1540—1544.

c) De Laesione Famae.

55. Nescio, an quod vitium inter homines tam sit commune, tam parvi ab iis pendatur, quodque simul tot malorum sit causa et origo, quam est laesio alienae famae. Nulla aetas, nulla dignitas et auctoritas, nulla merita adversus detractiones, temeraria judicia, sinistras suspiciones satis tuta praestatur. Homo optime meritus, si, quid boni et mali de eo loqui solent homines, simul pondere examinaret, potius ignorari, quam aestimari ab iis mallet. Praesidium et consolamen est ei propria suimet ipsius bona existimatio, quam esse concordem cum judicio aliorum non semel bona fide est persuasus, ac valde admiratur et angitur, si quando aliud rumoribus affingitur. Propriam bonam famam homines solent magni ducere, eam puro auro appendunt, ejusque maculam sanguine detractoris, vel sinistri judicis non sat condigne esse abluendam non semel censent, *enimvero melius est nomen bonum quam divitiae multae* (Prov. XXIII. 1); fama tamen aliena nec denariolo aestimatur, et quo magis quis alios deprimit, eo magis se ipsum extollere arbitratur.

Parvum carnis membrum est lingua hominis, neque immerito duplici ordine dentium in gutture occlusa, ad multa tamen infortunia, res adversas et acerbas eheu misera valet. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit* (Eccl. X, 11). Quot discordiae et inimicitiae inter familias, quot damna in bonis fortunae, quot impedimenta in officiis et muneribus utiliter fungendis ex temerariis judiciis, detractionibus aut calumniis ortum habeant, vitamque humanam reddant amaram! Merito igitur, omnibus theologis consentientibus, injusta laesio alienae famae, nisi parvitas materiae excuset, peccatum ex genere suo esse mortale censetur. S. Paulus susurrones, detractores, contumeliosos, Deo odibiles, *morte dignos, a regno Dei exclusos dicit* (Rom. I, 30; I Cor. VI, 10). Quod tamen maxime dolendum est, homines parum attendere solent ad gravitatem injuriae, quam proximo faciunt, ejus bonam aestimationem verbis malitiosis aut temerariis tanquam vermes corrodendo. In qua radice et causa plurium malorum extirpanda multum valent, minus tamen curare solent, tum concionatores, qui hoc vitium non satis acriter publice reprehendunt, tum confessarii, qui reparationem hujusmodi injuriae parum aut non satis urgent. Et tamen, quemadmodum de

injuriis in bonis fortunae, ita pariter de injuria in bono famae alienae valet principium s. Augustini: non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Aliena bona fama laedi potest: *calumnia*, *detractione*, *susurratione*, *temerario judicio* et *suspicione*, tandem *revelatione secreti*. Singula separatim consideremus.

a) *Calumnia et Detractio.*

56. Detractio et calumnia eo inter se differunt, quod illa veros proximi defectus aut crimina sine justa causa evulgat, haec autem falsa de proximo narrat. Utraque laesio alienae famae est peccatum ex genere suo mortale, calumnia tamen est peccatum per se gravius detractione, nam, praeter simplicem laesionem famae alienae, sibi adnexum habet mendacium. Detractio facilius, quam calumnia, ob imperfectam deliberationem, inadvertentiam, subitum passionis impetum, praecipitationem mentis et linguae, aut ob ignorantiam a peccato mortali, aliquando etiam a quovis peccato excusari potest; imo habentur circumstantiae, quando alienos veros defectus et crimina aut licet, aut aliquando evulgare oportet; calumnia autem, cum sit malum intrinsecum, nunquam est licita.

Materia detractionis et calumniae sunt defectus et peccata, quae aut ex se, aut ratione status et condicionis personae, iisdem obnoxiae, bonam hominis existimationem apud alios diminuunt; quae bona existimatio quo magis diminuitur, eo majus peccatum contra caritatem proximi et major injuria contra justitiam committitur. *Quae sit materia gravis in detractione et calumnia*, una regula pro omnibus statui non potest. In genere gravitas peccati hac in re non tam nuda gravitate alterius defectus et delicti propalati mensuratur, quam potius detrimento famae, quod proximus exinde patitur: idem vitium v. gr. ebrietatis divulgare de milite esset peccatum veniale, cum non magno opprobrio eum afficeret; contra, esset gravissima injuria idem vitium de sacerdote palam facere.

57. *Detrimentum autem famae demetiendum est communi hominum judicio*, non vero alicujus irritabilitate aut indole ad offensionem prona. Insuper *habenda est ratio tum hominis detrahentis*, *tum detracti*,

tum etiam audientium: magis enim nocet unicum verbum viri conspicui, quam prolixa maledictio mulieris garrulae; quo quis est moribus integrior et dignitate gravior, eo majoris pretii est sua bona fama; injuste denigrare aliquem apud suos superiores, sanguine vel amicitia conjunctos, est major injuria, quam apud personas exteras, quarum judicium minus aestimatur; delictum grave alterius qua mere auditum, fide parum dignum, referre coram iis, qui non esse credituri merito praesumuntur, nisi adsit scandalum, non videtur leve peccatum excedere; contra, idem narrare qua fide dignum coram personis, quae assertioni fidem praestabunt, est peccatum mortale. Tandem *attendendum est ad consuetudines loci et ad numerum audientium:* ebrietas in Italia majus esse reputatur opprobrium, quam in Rossia aut Anglia; detrahere aliquem de fama coram pluribus est peccatum certe gravius, quam idem facere coram paucis; imo juxta opinionem, quamquam minus probabilem, tot numero peccata committuntur, quot personae detractionem audiunt. Utrum sit peccatum grave unico tantum viro alicujus probrosum delictum detegere, non satis constat inter theologos; probabilius est peccatum grave, nisi rationabilis causa excuset [1]; certo autem est mortale peccatum, si ex tali diffamatione grave damnum temporale aut inimicitiae sequi possunt. Attamen, si quis solatii tantum causa, ait s. Alphonsus, et non intentione detrahendi alicui amico narret injuriam ab alio sibi factam, non videtur esse mortale. Et sic excusari possunt (saltem a mortali) famuli, qui injurias sibi ab heris suis, uxores, quae a maritis, filii qui a patre, religiosi qui a praelato, illatas, doloris tantum mitigandi causa referunt. Idem dicendum, si crimen occultum reveles uni alicui viro prudenti et taciturno, cui dicere perinde esset, ac si nulli diceretur [2].

58. Si *ad singula detractionis peccata* redeamus, haec ad mentem s. Alphonsi sunt tenenda: Regulariter non est mortale (etsi per accidens ratione damni sequentis tale esse possit) revelare naturales defectus animi et corporis, v. gr. aliquem esse stupidum, ignarum, molestum. Plerumque etiam levis detractio habetur, si alium infames generalibus nominibus peccatorum mortalium, v. gr. esse iracundum, superbum, avarum (nisi id fiat de personis magnae dignitatis), quia

---

[1]) Ita: Lugo, Disp. XIV, n. 51; Molina, tr. IV, Disp. 29; Lessius, lib. II, cap. 11, n. 70.

[2]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 973.

audientes plerumque id interpretantur de naturali propensione et defectu involuntario. Similiter non erit mortale communiter, referre peccata mortalia, quae, ob condicionem personae, ejus famam notabiliter non laedunt, v. gr. si dicas militem habere concubinam, pugnasse in duello, cogitare vindictam, adolescentem esse prodigum, deditum amoribus. Contra, esset peccatum mortale dicere, aliquem optimi nominis praelatum esse mendaciis assuetum, virum gravem esse illegitime natum. Pari modo narrare aliquam esse impudicum, concubinarium, laborare morbo venereo, furem etc. est peccatum mortale, cum grave detrimentum famae inferat. Idem est, etsi de altero nihil in particulari, sed tantum in genere dicas, v. gr. te scire aliquid de illo, quod si dicas, magno illum rubore sis affecturus [1]).

59. Detractio fieri potest non solis verbis apertis, sed pariter ambiguo loquendi modo, imo solo motu capitis, manus etc. Generatim *octo modi detractionis a theologis recensentur;* de quibus ita Doctor Angelicus: quod quidem fit quandoque directe, quandoque indirecte. Directe quidem quadrupliciter. Uno modo, quando falsum imponit alteri; secundo, quando peccatum adauget suis verbis; tertio, quando occultum revelat; quarto, quando id quod est bonum, dicit mala intentione factum. Indirecte autem, vel negando bonum alterius, vel malitiose reticendo, vel minuendo [2]); quibus superaddi solet octavus modus: laudando remisse. Hi octo modi concipiuntur hisce versibus:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse.

Vivida oratione quosdam detractionis modos exprimit s. Bernardus, cum dicit: alii quidem, nude et irreverenter, uti in buccam venit, virus evomunt detractionis; alii quodam fuco simulatae verecundiae malitiam adumbrare conantur, mittunt alta suspiria, vultu maesto et voce plangenti egreditur maledictio; et quidem tanto plausibilior, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde invito et magis condolentis affectu, quam malitiose proferri: doleo, ait, vehementer pro eo, quod satis eum diligam et nunquam potui de hac re corrigere illum. Et alius: bene illud noveram, sed per me nunquam innotuisset;

---

1) Cf. S. Alphonsus, lib. IV, n. 967.
2) 2. 2. q. 73, art. 1.

at quoniam res patefacta, veritatem negare non possum; dolens dico: revera ita est [1].

60. *Detractione mediata* vel per alios tripliciter aliquis peccare potest, vc. excitando, delectando, simpliciter detractionem permittendo.

a) *Qui alium, interrogando vel laudando, ad detrahendum proximo positive excitat*, si id facit coram aliis, tum contra caritatem, tum etiam contra justitiam rigorosam gravius peccat, quam si ipse detrahat: peccat enim contra caritatem et justitiam erga personam detractam, qua causa movens; peccat etiam erga ipsum detractorem, cum eum ad peccatum formale provocet. Nihilominus a peccato mortali excusandus esse videtur, qui absque intentione evulgandi ex sola curiositate, privatim solus alterius crimen explorat. Certo autem a mortali excusatur, qui, leve quid circa proximum suspicatus, alterum ad id detegendum movet, etiamsi detractio praeter ejus intentionem per accidens gravis fiat.

b) *Qui detractione vel calumnia aliena interne delectatur*, nisi vi muneris sui ex justitia ad illam impediendam obligetur, generatim non peccat nisi contra caritatem proximi, nec proinde ad restitutionem adstringitur; peccat vero contra caritatem graviter, si gaudet de alterius infamatione gravi idque facit ex affectu odii, vindictae, aut simpliciter ex affectu damni alieni; si autem delectatur solo lepido modo, quo res narratur, vel audit ex quadam curiositate et vanitate, saepissime venialiter tantum peccat, nisi accedat aliqua circumstantia singularis, notabiliter aggravans, ut si sacerdos detractione sacerdotis coram laicis delectatur.

61. c) *Detractionem aut calumniam alienam permittentes vel simpliciter audientes* esse possunt aut personae privatae, aut superiores. *Persona privata* detractionem alienam simpliciter audiens illamque non impediens certo nunquam peccat contra rigorosam justitiam neque ad restitutionem obligatur; peccat tamen contra caritatem proximi, si illam pro viribus non impedit. Impedire autem ex caritate et vi correctionis fraternae tenetur in materia gravi sub peccato mortali: 1) si id absque suo gravi incommodo fieri potest, 2) si alter certo injuste detrahit, 3) tandem si spes efficaciter detractionem impediendi adest. Aliqua ex hisce condicionibus deficiente, obligatio corrigendi detractorem aut prorsus cessat, aut nonnisi sub veniali audientem

---

[1] S. Bernardus, *Sermo 24 in Cantica.*

adstringit. Insuper a gravi obligatione corrigendi detractorem excusat timor, verecundia, conscientia scrupulosa, quaedam negligentia. Sapienter s. Alphonsus adnotat: «quia in hac materia detractionis difficillime constare potest correctionem proficere, et aliunde facillime offenduntur detrahentes coram aliis correpti, imo periculosum est, quod potius augeant vel confirment detractionem: ex omnibus his motivis simul congestis rationabiliter sustineri potest communissima sententia, excusans universe audientes a mortali, si correctionem omittant. Excusantur autem apud omnes etiam a veniali, qui, advertendo detractionem, discedunt, vel sermonem divertunt, vel faciem avertunt, aut tristem ostendunt ex Prov. XXV, 23: *dissipat facies tristis linguam detrahentem*» [1]).

Difficilius, imo raro in materia gravis detractionis *exusari potest superior* a correctione fraterna aut auctoritativa facienda, nam et magis commode ad eandem faciendam valet et, ipsam negligendo, positive approbans videri potest. Attamen etiam superior tum detrahentis, tum detracti juxta communiorem et probabiliorem theologorum sententiam [2]), si simpliciter detractionem audit, eandem tamen non approbat, non videtur *contra justitiam* peccare. Excipitur tantum casus, quo detractionem in iis rebus aut causis non impedit superior, quae speciali suae curae et vigilantiae, ratione muneris ac proinde e tacito contractu, sunt commissae.

62. *De distinctione numerica et specifica* detractionis et calumniae haec sunt tenenda: quot quis personis detrahit, tot numero distincta peccata committit, cum unusquisque homo ad famam jus suum habeat. Qui igitur detraxerit alicui familiae, non facit satis, si confitetur, se alicui graviter detraxisse, nam pluralitas personarum saltem approximative est indicanda. Contra, major numerus personarum, coram quibus detrahitur, quamquam malitiam detractionis et calumniae auget, ipsum tamen peccatum probabilius non multiplicat; in materia igitur gravi sufficit confiteri, se alicui graviter detraxisse. Quod pertinet *ad specificam distinctionem*, detractio et calumnia, juxta certo communiorem theologorum sententiam, sunt peccata specie distincta, nam calumnia injustae laesioni famae insuper malitiam mendacii addit. Utique sim-

---

[1]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 981; Cf. etiam 2.2. q. 73, art. 4.

[2]) Lugo, Disp. XIV, n. 132—134, Molina, Disp. 34, n. 5; S. Alphonsus, lib. IV, n. 980; Waffelaert, t. II, n. 164; Marres, lib. II, n. 334.

plex mendacium, in quantum soli veracitati adversatur, peccatum veniale excedere non solet; cum tamen alio modo calumnia et alio modo detractio sint reparandae, hinc confessario, ut prudens consilium poenitenti praebere possit, expedit inquirere, utrum calumnia, an simplici detractione fama aliena sit laesa. Num etiam singulae detractiones, quando in materia specifice distincta, ut in castitate, furto, superbia versantur, specie inter ipsas differant, inter theologos non constat: s. Alphonsus id affirmat; Molina, Lugo contrariam opinionem esse veriorem dicunt [1]. Cum igitur causa sit dubia, poenitens non potest obligari, ut ipsam materiam detractionis confiteatur; sufficit solam gravitatem detractionis indicare.

63. Calumnia, cum sit mendacium, nunquam est licita. Non ita se res habet cum detractione, qua veri defectus aut crimina revelantur: ad bonam famam, quae in falsa praesumptione probitatis fundatur, homo nonnisi jus limitatum habet; quod jus in certis circumstantiis prorsus cessat.

Imprimis *jus ad bonam famam homo non habet, si suum delictum, ratione juris aut facti, est publicum.* **Ratione juris** delictum est publicum, si per justam sententiam publici judicis est pronuntiatum; quā sententia reus in materia sui delicti famam in omni loco et pro omni tempore amittit, judex enim, quemadmodum aliis bonis ipsaque vita, ita pariter famā spoliare potest reos in vindictam publicam criminis et in terrorem aliorum. Attamen, cum peccata et crimina aliena animos virtutis studio saltem non imbuant, eadem sine ulla ratione cum quadam praedilectione enarrare culpa veniali non vacat. Imo, si sententia condemnatoria privatim tantum, intra certum collegium vel communitatem est lata, reus jus ad famam intra illum tantum locum amittit et, nisi suum delictum aliunde jam publicum sit, non solum contra caritatem, sed aeque contra justitiam peccaret, qui delictum extraneis sine sufficiente ratione revelaret.

64. **Ratione facti** *delictum dicitur publicum*, quando aut in publico loco, in praesentia multorum est perpetratum, aut quando est quidem occulte commissum, per evulgationem tamen sive licitam, sive illicitam, ad notitiam tot personarum jam pervenit, ut jam amplius secretum remanere moraliter non posset. Quot vero personis notum

---

[1]) S. Alphonsus, lib. II, n. 48; Molina, tr. V, Disp. 19, n. 3; Lugo, *De poenit.* Disp. XVI, n. 265.

esse debeat, ut in aliqua communitate delictum facto publicum dici possit, adaequate definiri nequit. Plus minus haec juxta communiorem theologorum opinionem sunt tenenda: si aliqua communitas ex 8 personis constat, sufficit ad publicitatem facti, quando 4 illud delictum sciunt; si constat ex 100 personis, jam 15 sufficere censentur ad illud divulgandum; si oppidum constat ex 40 familiis, secretum vix servari potest, quando 20 personae e diversis domibus notitiam criminis habent; si in oppido 5000 civium delictum 40 personae sciunt, causa jam censetur esse perdita etc [1]. A fortiore aliquis dici potest infamis, quando suum delictum in ephemeridibus est promulgatum nec revocatum. Delictum proximi, quod juxta allatas regulas praesumi potest fore, ut brevi omnibus innotescat, tum in eodem loco, tum probabilius etiam in aliis locis, absque laesa justitia, imo etiam sine offensione caritatis, ceteris ignorantibus patefieri licet, dummodo tamen ipsum crimen sit certum, non autem soli suspicioni aut vagis rumoribus innitatur; bonum enim publicum postulat, ut unusquisque ab aliis talis dignoscatur, qualis publice habetur; quod bonum praeponderat detrimento, quod reus ex ampliore publicatione sui delicti patitur. Nihilominus, *si delictum proximi, temporis decursu, jam est oblivioni datum*, nisi per sententiam judicis publicum sit factum, esset contra caritatem illius memoriam sine sufficiente ratione redintegrare, nam proximus possessionem suae famae recuperasse censetur; qua pacifica possessione fraudari iterum nequit, praesertim si se emendavit. Quamquam *historicis*, res gestas enarrantibus, ratione veracitatis plus hac in causa licet, cum tamen etiam mortui jus ad bonum nomen habeant, non est sine peccato, eorum vitia praesertim vitae privatae sine ulla ratione ex mera malignitate pandere.

65. Ratione facti delictum dicitur etiam publicum, *quando quis publicis muneribus cum detrimento communitatis fungitur;* omnes enim magistratus publicae opinioni quodammodo subjacent. Ideoque non peccat, qui amore boni publici eorum actus publicos, non vero vitam domesticam et privatam, investigat et pro merito damnat, dummodo absit temerarium judicium, quod vel maxime est timendum.

Quemadmodum famam non habenti ipsa auferri non potest, ita etiam famā spoliari non censetur, *qui penitus est ignotus*, neque unquam

---

[1]) Ita: Molina, t. V, Disp. 32; Lugo, Disp. XIV, n. 70; Elbel, *Theol. Mor.*, p. IV, conf. XIII, n. 379; Lacroix, lib. III, p. II, n. 1219; S. Alphonsus, lib. IV, n. 975.

cognoscetur ab iis, quibus sua crimina narrantur, ut si quis de italico quodam caupona quaedam probrosa dicat. Attamen non dicuntur penitus ignoti et, quod inde sequitur, detrimentum famae pati possunt, qui audientibus facie quidem non sunt noti, ex dignitate tamen, officio, familia, negotiatione, aut alia quadam nota cognoscuntur, ut si quis de Episcopo, Ministro, aut alia persona insigni et publica quid indigni narret.

Non detrahit etiam, quamquam ratione scandali aut saltem verbi otiosi peccare potest, qui quaedam probrosa narrat, *personam delinquentis proxime non definiendo*, ex. gr. si dicat, in certa urbe quodam scelus esse patratum, aut multos ebrietati esse deditos. Graviter tamen alicui *familiae*, *collegio*, *monasterio*, *aut ordini* quis detraheret, qui, etsi nullam personam nomine designaret, referret tamen, ibi grave delictum esse commissum, aut disciplinam esse prorsus labefactatam: quia non tantum singulae personae, sed etiam quaevis familia, collegium, monasterium, ordo, suam habent famam, quae detractione graviter laedi potest [1]).

66. *Tandem propter speciales rationes aliena delicta non tantum possunt, sed aliquando renuntiari debent*, quando vc. bonum alterius generis id postulat; quod bonum non est necesse praeponderet aut etiam aequivaleat bono famae, quandoquidem nocens et innocens non sunt jure pares. **Alienum crimen revelare licet,** quando bonum grave ipsius narrantis id postulat. Ita, ad integritatem confessionis procurandam licet peccatum complicis revelare; licet pariter confessarium aut alium prudentem virum in causa sufficienter gravi consulere, etiamsi perinde crimen alterius indicetur.

Aliena delicta occulta evulgari debent: a) quando secretum vergeret in detrimentum Religionis aut Reipublicae. Ita, expedit palam dicere occulta vitia apostatae aut haeresiarchae alicujus, ne fucata vitae integritate incautos decipiant; revelanda est superioribus indigna vita alicujus ad sacros ordines adspirantis, ne eosdem cum detrimento Ecclesiae suscipiat; deferendum est alicujus scelus ad judicem, ut justa poena luatur et securitas publica promoveatur. b) Quando id suadet bonum ipsius delinquentis, praesertim bonum spirituale et spes corrigendi reum: conjux conjugi filiorum vitia, magister magistro

---

[1]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 978; Marres, lib. II, n. 327.

alumni delicta communicare possunt et debent, ut communi consilio remedia opportuna provideant. c) Quando id est necessarium ad bonum innocentis avertendum; ita, expedit indicare puellae occulta vitia juvenis et e converso, si secus gravia damna, ut infaustum matrimonium, certo immineant; expedit etiam aliquem monere, ut consortium perversi hominis vitet, ne ipse pervertatur. d) Tandem quandoque ex praecepto aut ex officio aliena delicta sunt superioribus denuntianda; ita, ex praecepto denuntiari debet confessarius ad turpia sollicitans; ex officio et stricta justitia deferendi sunt a custodibus securitatis malefactores, fures, homicidae et s. p. [1]).

b) *Susurratio*, *zausznictwo*, *sulieżuvavimas.*

67. Susurratio est mala et secreta, quasi ad aurem, locutio ad dissolvendam veram amicitiam. Susurratio a detractione eo differt, quod susurro non semper quid absolute mali de proximo dicit, sed id quod saltem quandam speciem mali habet et, habita ratione personarum, sit aptum ad amicitiam inter ipsas dissolvendam. Susurratio, nisi fiat ad amicitiam noxiam et inordinatam sejungendam, est peccatnm ex genere suo mortale. *Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes* (Eccl. XXVIII, 15). Directe susurratio repugnat charitati et pietati, dirimendo amicitiam, quae tanti ab hominibus aestimatur: *amico fideli nulla est comparatio* (Eccl. VI, 15); tanto autem gravius peccatum est susurratio, quanto amicitia, quam solvit, est magis debita, ut inter maritum et uxorem, inter parentes et filios, inter personas sub eodem tecto habitantes etc. Susurratio repugnare potest etiam strictae justitiae, quae restitutionem imponit, si ei accedit calumnia vel detractio, aut si exinde damna saltem in confuso praevisa, ut lites, divortia, detrimenta temporalia sequuntur.

c) *Temerarium judicium et suspicio.*

68. Temeraria suspicio est *animi propensio* ad assentiendum, judicium vero est *firmus mentis assensus* de peccato aut opprobrio alte-

---

[1]) Lege Civili Rossica sola calumnia, scripto obfirmata, punitur. Улож. о наказ. *cm. 1535—1539.*

rius sine sufficiente ratione. Homines rudes non semper bene destinguunt temerarium judicium a detractione et calumnia; non semel in confessione temerarii judicii se accusant, cum tamen potius detractionis aut calumniae sunt rei. Calumnia et detractio sunt peccata externa loquelae, judicia vero et suspiciones actibus internis potissimum consumuntur et, nisi externe manifestentur, obligationem restitutionis non imponunt, quamquam justitiae adversantur. *Triplicem fontem suspicionum* s. Thomas hisce verbis designat: «uno modo ex hoc contingit, quod aliquis ex seipso malus est: et ex hoc ipso, quasi conscius suae malitiae, faciliter de aliis malum opinatur, secundum illud Eccl. X: *in via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos aestimat*. Alio modo provenit ex hoc, quod aliquis male afficitur ad alterum. Cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut irascitur, vel invidet ei, ex levioribus signis opinatur mala de ipso: quia unusquisque faciliter credit, quod appetit. Tertio modo provenit ex longa experientia. Unde.... senes sunt maxime suspiciosi, quia multoties experti sunt aliorum defectus. Primae duae suspicionis causae, manifeste pertinent ad perversitatem affectus (*ergo malitiam augent*). Tertia vero causa diminuit rationem suspicionis». Idem s. Doctor Angelicus ulterius *triplicem gradum suspicionis* indicat: «primus quidem est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat. Et hoc est veniale et leve peccatum. Pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur. *Nolite ante tempus judicare* (I Cor. IV). Secundus gradus est, cum aliquis pro certo malitiam alterius aestimat ex levibus indiciis. Et hoc, si fit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi. Tertius gradus est, cum aliquis judex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum: et hoc directe ad injustitiam pertinet: unde est peccatum mortale» [1]).

69. *Temeraria suspicio et dubitatio*, nisi sit de gravissimo et maxime probroso alterius peccato, est saepissime peccatum veniale. *Saepius mortaliter peccatur temerario judicio*, quod tamen, nisi externe manifestetur, relative est peccatum minus detractione et calumnia. Ut temerarium judicium peccatum mortale constituat, requiruntur in reo: a) sufficiens advertentia et sat firmus assensus; b) materia certe gravis; c) notabilis insufficientia rationum, quibus illud innititur.

---

[1]) 2. 2. q. 60 art. 3.

Remedia contra temeraria judicia et suspiciones poenitentibus sunt suggerenda, habita ratione fontis, ex quo nascuntur: si proveniunt ex propria vita perversa, hujus imprimis emendatio est imponenda, juxta monitum Salvatoris: *medice, cura te ipsum* (Luc. IV, 23). Si odium aut invidia est causa temerarii judicii, tunc quam maxime expedit orationem et alia opera caritatis pro temerarie judicato commendare. Homines morosi, tetrici, natura suspicaces sunt adhortandi, ut deponant nigra perspicilla, ne sibi et aliis vitam reddant amaram; *ceterum, in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (Marc. IV, 24). Tandem omnibus est commendandum, ut dubia sua, si sint circa personas, in meliorem partem interpretanda studeant; aut igitur prorsus a judicio est abstinendum, aut benigne est judicandus proximus, aut saltam excusandus est, habita ratione propriae fragilitatis. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat* (Joan. VIII, 7).

70. Saluberrima monita dat s. Bernardus: «Etiamsi perperam quid actum deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus tibi et dicito apud temetipsum: vehemens fuit nimis tentatio; quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem» [1]. Obligatio tamen interpretandi dubia in meliorem partem non prohibet. quominus in casibus dubiis et erga personas ignotas sibi cavere liceat, v. gr. claudendo exactius cistam aut cubiculum, quando homo ignotus adest; occultando pecuniam a viro incognito secum proficiscenti, a famulis, operariis; proximus enim tunc non judicatur, nec malus suspicatur, sed potius, attenta communi hominum fragilitate, media adhibentur, ne occasio eum furem faciat. Ita pariter superiores, quibus cura subditorum peccata praecavendi incumbit, possunt praecautiones adhibere, et consortia, quae videntur sibi suspecta, prorsus interdicere, *ut prudentiam doceant adolescentulas* (Tit. II, 4).

---

[1]) S. Bernardus, *Sermo 40 in Cantica.*

d) *Violatio secreti.*

71. Quadruplex distingui solet secretum: naturale, promissum, commissum, extortum.

Secretum naturale dicitur, quod sine ullo contractu ex natura rei nascitur et cujus revelatio in damnum proximi vergit. Secretum naturale in re gravi, nisi justa causa excuset, obligat sub gravi et quidem ex justitia. Unde omne damnum sive famae, sive fortunae, quod ex culpabili violatione secreti alicui obvenit et saltem in confuso est praevisum, certe reparari debet. A servando naturali secreto excusat tum proprium grave damnum, tum notabile detrimentum innocenti imminens, tandem bonum spirituale illius, cujus secretum superioribus, ut delinquentem corrigant, panditur. Secretum tamen, ex cujus revelatione grave damnum publicum nasci potest, etiam cum gravi proprio incommodo est servandum, cum Reipublicae salus privato damno longe praestet.

72. **Secretum** dicitur **promissum,** quod quis servare gratis promisit, licet res ex natura sua obligationem secreti non induceret; non semel tamen ipsa materia secreti promissi est talis, quae jam per se ad secretum naturale obligat; quo in casu silentium ex duplici ratione indicitur. Gravitas obligationis, servandi secretum mere promissum, ex animo ipsius promittentis est deducenda: potest enim promittens sub peccato gravi et levi, ex sola fidelitate, aut etiam ex justitia se obligare. In dubio, nisi ex violatione secreti aliquod damnum grave alteri certe sequatur, obligatio levis ex fidelitate praesumitur. Quaenam vero fuerit intentio promittentis, aut ex testimonio ipsius, aut ex circumstantiis concomitantibus est dirimendum, ex. gr. num ad obligationem gravem significandam quaedam solemnitates, ut juramentum, nudae promissioni sint additae? Attamen etiam jurata promissio secretum servandi non obligat, quando ipsum ex lege divina aut humana est revelandum; juramentum enim per se naturam contractus non mutat, qui in casu fit illicitus. A judice igitur, aut a suo praeposito legitime interrogatus, aut etiam ad damnum partis innocentis avertendum, secretum noxium, quamvis promissum, celare nefas est. Imo quisque ad proprium grave damnum evitandum secretum alienum pandere potest, nisi contrarium diserte promiserit; nemo enim censetur se voluisse obligare cum proprio magno detrimento, nisi id expresse promiserit.

73. **Secretum commissum** sequitur potissimum ex contractu oneroso, quo silentium explicite vel tacite imponitur. Hujusmodi secreto obstringuntur medici, obstetrices, causidici, theologi, aut etiam privati viri prudentes, quorum consilium in re gravi exquiritur. Secretum commissum in causa licita et gravi obligat sub peccato mortali et quidem ex stricta justitia [1]. Propterea secretum commissum neque judici aut praeposito legitime interroganti est revelandum, in quantum ipse committens illud licite celare potest, in quantum vc. exinde non imminet grave damnum alicui personae innocenti vel bono publico. Num quis possit ad proprium grave damnum declinandum prodere secretum commissum, non satis constat. Communior theologornm opinio id non prohibet [2]: secretum promittens non videtur pejoris esse condicionis, quam quaevis tertia innocens persona. Insuper a secreto servando excusat tum consensus rationabiliter praesumtus committentis, tum etiam secreti evulgatio aliunde facta. Tandem saltem probabilius non videtur esse grave peccatum, revelare secretum commissum uni prudenti viro sub eodem secreto, nisi grave damnum exinde nascatur, aut nisi prodatur illi, quem prae ceteris commitens secretum excipere voluisse supponitur. Specialem et sacram obligationem servandi habet secretum commissum, sigillo confessionis obfirmatum, quod, cum sit divinae institutionis, etiam cum vitae discrimine est servandum.

74. **Secretum extortum** dicitur, quod vi, metu, dolo, speculatione, subauscultando, interceptis litteris, generatim via injusta innotescit. Secretum extorquere mediis injustis, nisi levitas materiae rationabiliter praesumatur, est gravis injuria; quisque enim ad suum secretum, ut ad rem suam, habet jus verum. Semel vero cognitum, ceteris paribus, servandum est cum majore suo incommodo, quam si non injuste innotuerit. Quod in genere de secreto extorto affirmamus, idem in specie etiam *de litteris alienis interceptis* est tenendum, quas quis aut clausas aperit, aut apertas sed in secretiore loco repositas legit. Idem probabilius est dicendum de casu, quo quis *litteras* a domino *laceratas* et in locum publicum abjectas, fragmentis compositis, legerit. Eo enim ipso, quod proprietarius dilaceravit praesertim in parva fragmenta, praesumitur noluisse, ut alter iis abutatur.

---

[1]) In quibusdam causis ob revelationem secreti etiam Cod. Poenal. Rossicus reos punit: cт. 419—425.

[2]) Lugo, Disp. XIV, n. 95; Lessius, lib. II cap. 11; S. Alphonsus, lib. IV, n. 971.

Licet vero alienas litteras aperire et legere, tum ex consensu diserto scribentis aut accipientis illas, tum aliquando etiam ex consensu rationabiliter praesumto ob specialem amicitiam [1]). Idem etiam per se est licitum ad praecavendum grave damnum tum proprium, tum tertiae personae innocentis; requiritur tamen moralis certitudo damni imminentis, quae admodum raro haberi potest. Tandem epistulas aperire et licite legere possunt, qui ad hoc legitima auctoritate sunt praediti, quales sunt: praelatus regularis erga suos subditos, paterfamilias erga filios et uxorem, tutor erga pupillos, superior erga alumnos, suae speciali domesticae curae et inspectioni subditos. Excipiuntur tamen semper litterae, quae secretum familiae et conscientiae continent, vel quae ad auctoritatem majorem, quam ipse legens, sunt datae.

d) Bonum honoris.

75. Honor est testimonium nostrae opinionis de excellentia alterius, saltem aliqua ratione praesentis. Juxta d. Thomam: «in quolibet invenitur aliquid, ex quo potest aliquis eum superiorem reputare, secundum illud ad Philip., II, 3: *in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*. Et secundum hoc etiam omnes se invicem debent honore praevenire» [2]). Honor laedi potest tum verbis, tum factis, aliquando sola omissione observantiae, erga personam excellentem debitae, qua aliquis contemptus significatur. Principes quatuor distingui solent modi, quibus alienus honor laeditur: contumetia, convicium, impro-

---

[1]) Inter principia morum catholica, quae theologis Gr.-Rossicae Ecclesiae a spiritu christiano esse aliena videntur et lapidem offensionis constituunt, recensetur etiam doctrina de licentia legendi litteras alienas ex praesumto (*rationabiliter*) consensu scribentis aut easdem recipientis. Inter alia gravamina insuper catholicis haec objici solent: occulta recompensatio; summa necessitas *a furto* excusans; gaudium de prospero effectu, qui ex malo sequatur; immunitas ab obligatione revocandi calumniam, aut exequendi promissionem juratam, in certis condicionibus, quae a catholicis sufficienter excusantes esse censentur. Tandem probabilismus dicitur theoria, qua omne crimen excusari possit, summumque absurdum doctrinae catholicae, ab omni prorsus honestate alienum, constituere: теорія пробабилизма, по которому можно оправдать всякое злодѣяніе и порокъ, представляетъ верхъ безнравственнаго ученія католицизма. Старицкій Епископъ, *Православ. Нравств. Богословіе*, p. II, tr. IV, cap. 1.

[2]) 2. 2. q. 102 art. 2.

perium, irrisio [1]); specie tamen inter se non differunt. *Contumelia* habetur, quando alicui delictum aut crimen objicitur, ut si in faciem fur, mendax, meretrix appellatur. *Convicio* alicujus defectus naturalis, dedecore afficiens, exprobratur, ut illegitimitas natalium, deformitas corporis. *Improperium* intendit proximum humiliare, ejus paupertatem, auxilium ei praestitum, in memoriam cum jactantia revocando; tandem *irrisio aut subsanatio* dicitur, quando aliquis joco, rubori, ludibrio, contemtui *verbis vel mediantibus gestibus* exponitur.

76. Quaevis gravis laesio honoris, nisi sit plene promerita, est peccatum mortale nedum contra charitatem, sed et contra justitiam. S. Paulus contumeliosos inter eos enumerat, qui digni sunt morte (*Rom. I, 30*). Gravitas injuriae hac in causa mensuratur, tum ipsa materia contumeliae, tum qualitate personarum inhonorantis et inhonorati, tandem adjunctis loci et temporis. *Irrisio jocosa* de exiguo quodam defectu alterius, nisi praevideatur gravis exacerbatio, aut nullum est peccatum, aut nonnisi leve; imo juxta s. Thomam esse potest virtus eutrapeliae (*2.2, q. 72, art. 2*), quando inter amicos ad honestam fit recreationem, aut virtus caritatis, si ex justa causa fit moderate, ut derisus a peccato resipiscat. Multi autores notant, plerumque gravia non esse reputanda convicia, irrisiones, quibus pueri, mulierculae, homines infimae plebis sese mutuo impetere solent. Serio tamen sunt reprehendendi, qui habent consuetudinem contumelias effuciendi; nam e gravi ira sic loqui solent, scandalum dant adstantibus, et licet honorem aliorum graviter non laedant, cum eorum dictis non credatur, ipsos tamen exacerbare solent. Insuper ne sint tales, qui libenter alios derident, ipsi vero ad minimam sui derisionem excandescunt. Parentes autem, qui proles suas probrosis nominibus appellare solent, saepe ratione scandali graviter peccant, nam dura agendi ratione pueros quoque duros, morosos, inhumanos, iracundos efficiunt [2]).

77. *De modo, quo injusta honoris laesio sit toleranda*, haec dici possunt: injuria affectus sine odio in personam (quod tamen a mero aversionis sensu differt) et sine animo vindictae eandam tolerare debet, cum soli Deo vindicta competat. Potest quidem, aliquando etiam

---

[1]) Poloni, cum honorem magni aestiment, magis copioso hac in causa utuntur vocabulario: *obelga*, *zelżywość*, *hańba*, *zniewaga*, *urąganie*, *ohyda*, *wyszydzanie*, *wyśmiewanie*, *lekceważenie*, *afront*, *maltretowanie* et s. p.

[2]) *Tractatus de Jure et Justit.* Mechliniae, 1896.

debet ad bonum altius, ex recto fine, justam poenam petere; ita tamen animo esse paratus debet, ut si opus fuerit, injuriam sine ulla reparatione sustineat, imo suo inimico bene faciat, secundum monitum Christi: *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos* (Matth. V, 44). S. Thomas: «sicut patientia necessaria est in his, quae contra nos fiunt, ita etiam in his, quae contra nos dicuntur. Praecepta autem patientiae in his, quae contra nos fiunt, sunt *in praeparatione animi* habenda: sicut August. in libro de Sermone Domini in monte, exponens illud praeceptum Domini, *Si quis percusserit te in unam maxillam, praebe ei et aliam:* ut sc. homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit. Non tamen hoc semper tenetur facere *actu*, quia nec ipse Dominus hoc fecit: sed cum suscepit alapam, dixit, *Quid me caedis?* Et ideo etiam circa verba contumeliosa, quae contra nos dicuntur, est idem intelligendum. Tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut sc. ejus audacia reprimatur, et de cetero talia non attentet, secundum illud Prov. XXVI: *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Unde Gregorius dicit super Ezech. homil. 9: Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum praedicationem non audiant, qui audire poterant; et ita in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant» [1]).

e) Furtum.

78. Omnis injuria, qua proximus in bonis fortunae laedi potest, generali nomine furti solet appellari, atque hac generali significatione furti interpretandum est VII Decalogi praeceptum: *non furtum facies.* Qua sententia simul prohibentur omnes tum actiones, tum omissiones, ex quibus proximus injusta ratione in suis bonis externis detrimentum patitur, sive quando res sua usurpatur, destruitur, deterior effi-

[1]) 2. 2. q. 72, art. 3.

citur, sive quando ei debita non solvuntur, aut indebita ab eo exiguntur. Sensu magis proprio acceptum furtum distinguitur *ab injusta damnificatione*, qua res aliena sine proprio commodo destruitur, aut deterior efficitur. De injusta damnificatione, qua injuria, nihil peculiare hoc in libro est dicendum; omnia enim principia, quae hic de furto considerantur, aeque injustae damnificationi accomodantur.

79. Furtum definiri solet: *injusta rei alienae ablatio, domino rationabiliter invito*. Ad furtum igitur committendum non sufficit, ut res aliena *clam* auferatur vel detineatur, sed insuper requiritur, ut id absque consensu expresso aut rationabiliter praesumto proprietarii fiat. Proprietarius vero non dicitur rationabiliter invitus, quando res sua vel ex jussu Dei, qui est dominus primarius omnium rerum, aufertur (*Exod. XII, 35*), vel quando res sua proximo ex justitia debetur aut ratione legitimae compensationis, aut ratione extremae necessitatis.

Ratione modi, quo committitur, **furtum distinguitur:** simplex, rapina, fraus, prout vel simpliciter res aliena, animo eam sibi retinendi, occulte usurpatur, vel praesenti et invito proprietario violenter aufertur, vel tandem dominus inscius per dolum, ut in contractibus contingere potest, studiosa defectuum occultatione, mercium falsificatione etc. decipitur. Insuper in Jure Civili distingui solet furtum diurnum, nocturnum, furtum effractis foribus (*со взломомъ*), furtum ex egestate, aliaque. **Ratione objecti** furtum esse potest vel simplex, vel sacrilegium, si res sacra aut saltem loco sacro locata [1]) aufertur, vel tandem peculatus, quando res aut pecunia, ad fiscum pertinens, injuste usurpatur.

80. **Omnia furta** simul cum injusta damnificatione, qua injuriae in bonis fortunae, **per se unam speciem moralem** constituunt. Propter

---

[1]) Quibusdam est visum, sacrilegium committi, quando res quaecunque in loco sacro furentur. Id tamen est negandum. Sacrilegium tunc tantum patratur, quando vel res ecclesiastica, vel res Ecclesiae commissa aut locata aufertur. Hinc distinguitur: *furari in loco sacro et de loco sacro*. Locus sacer subintelligitur consecratus aut saltem benedictus, non vero oratorium domus privatae, aut claustra et domus regularium. Est etiam sacrilegium auferre bona, quae ad ornatum Ecclesiae et ministrorum sustentationem pertinent (*2.2, q. 99, art. 3*). Constitutione Pii IX „*Apostolicae Sedis*“ excommunicatione latae sententiae Rom. Pontifici speciali modo reservata plectuntur *usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum vel beneficiorum pertinentes.*

tamen peculiares circumstantias ei accedere potest nova species malitiae. Ita, in ablatione rei sacrae, praeter simplex furtum, etiam sacrilegium committitur: violatur enim praeter justitiam rigorosam etiam religio. In rapina, qua res aliena praesenti domino extorquetur, praeter simplex furtum accedit contumelia et contemtus erga ipsam personam proprietarii. Alia furta non videntur specie differre.

Furtum est peccatum ex natura sua mortale: non tantum VII Decalogi praecepto illud prohibetur, sed in Scriptura s. inter illa peccata recensetur, quae Dei maledictionem merentur et a regno coelorum excludunt: *haec est maledictio, quae egreditur super faciem omnis terrae, quia omnis fur... judicabitur* (Zachar. V, 3). *Vae ei, qui multiplicat non sua* (Habac. II, 6). *Neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (I Cor. VI, 10). Furtum esse peccatum ex genere suo grave ipsa ratio suadet, quam neque ipsi fures negare possunt. Hinc recte s. Augustinus exclamat: *furtum certe punit lex tua, Domine, et lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur aequo animo furem patitur?* [1]. Nec obstat, quod in libro Prov. legitur: *non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim, ut esurientem impleat animam* (VI, 30). Ut enim ex contextu apparet, furtum non censetur tam grande peccatum, ac est adulterium, cujus foeditatem auctor sacer ostendere nititur. Praeterea, culpam furti minuit aut interdum prorsus tollit egestas et necessitas furantis, quod de adulterio affirmari nequit.

81. Quamquam furtum ex genere suo est peccatum mortale, attamen tum ratione non sufficientis advertentiae, tum ob parvitatem materiae fieri potest veniale tantum. Merito igitur inquirunt theologi, **quae quantitas materiae ad peccatum mortale objective sufficiat** [2]. Qua in causa opiniones inter se valde discrepant. «Doctores fere omnes, ait Lugo, post longam inquisitionem et magnum studium, ut materiam aliquam determinarent furti gravis, ingenue fatentur, non posse regulam aliquam fixam constitui, sed totum id pendere a judicio morali, ita ut Deus sciat, quando hic et nunc materia sit gra-

---

[1]) S. Aug., *Libri Confess.*, lib. II, cap. 4.

[2]) Inquiritur de gravitate furti *objectiva*, quae etiam in foro interno semper praesumitur, nisi contrarium appareat. Attamen ob erroneam persuasionem non semel mortaliter peccatur per furtum objective veniale. Hinc confessarius, conscientiam poenitentis scrutando, haec duo ne confundat: peccatum esse potest *subjective* mortale, obligatio tamen restituendi venialis tantum, aut nulla.

vis» [1]. Quae *dfficultas et theologorum dissensio ex duabus potissimum causis oritur.* Primum, quia pro diversitate temporum et locorum valor pecuniae, qua omnia bona externa aestimantur, non semper est idem: cum enim metallorum etiam pretiosorum copia, ex visceribus terrae erepta, augeatur, ejus valor in dies deprimitur. Porro, inter theologos non satis constat, ex quonam principio sit exordiendum ad normam gravis materiae definiendam. Alii gravitatem furti aestimandam esse arbitrantur ex majore vel minore damno; quod laesus patitur. Cum autem divites et pauperes non eadem quantitate furti aeque damnum patiantur, neque eodem modo rationabiliter inviti praesumantur, ideoque gravitatem materiae in furto respectivam esse dicunt: aliam pro divitibus, aliam pro operariis et pauperibus. Contra, alii, ut Lessius, Billuart, Gousset, quantitatem gravis materiae esse absolutam atque pro omnibus eandam affirmant, quia malitia furti. ajunt. non in eo consistat, quod proximus majus vel minus damnum patiatur, magis vel minus sit invitus, hoc enim furto est extrinsecum, sed potius quod, domino invito, *res aliena, non sua* arripiatur [2]. Quae postrema opinio non est sine ratione: 20 aurei, si regi auferantur, non magnum ei detrimentum faciunt, nec graviter affligere possunt; quis tamen affirmare audeat, furtum 20 aureorum etiam apud regem non esse peccatum mortale? Qui hanc opinionem tuentur, pro materia gravi *stipendium diurnum honesti operarii* habent, quod fere 6 francos adaequat.

82. Inter has ambages constituti *ducem s. Alphonsum sequimur*, cujus sententiam major pars theologorum, imo recentiores fere omnes amplectuntur. Qui hac in causa ita ratiocinatur: «quidquid aliqui dicant, commune est apud doctores et non videtur posse negari, quod ad determinandam hujus materiae gravitatem non possit absolute pro omnibus eadem quantitas assignari, sed ipsa demetienda sit res respective ad circumstantias personae, rei, loci, temporis; cum enim furti gravitas consitat in quantitate damni, quod proximo infertur, facile nocumentum, quod respectu unius leve erit, respectu alterius erit grave» [3]. Quaenam sit in individuo pro singulis hominibus materia furti gravis, non potest nisi morali judicio approxi-

---

[1]) Lugo, Disp. XVI, n. 21.

[2]) Lessius, lib. II, cap. 12, n. 30; Billuart, Disp. VI, art. 4; Gousset, *Théol Mor.*, t. 1, n. 980.

[3]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 527.

mative tantum decerni. *Normam generalem* S. Alphonsus hanc proponit: «communiter doctores dicunt, in furto illam esse gravem materiam, quae alicui juxta suam condicionem in die sufficeret pro sui suaeque familiae sustentatione; in qua, ut bene animadvertit Croix n. 985, non solum computatur victus, sed etiam vestitus et habitatio». Ratio hujus normae ita interpretari solet: bona externa in eum finem sunt homini concessa, ut vitae suae necessitates toleret; cum autem non parvum sit detrimentum etiam diurna sustentatione fraudari, ideo furtum, hujus sustentationis quantitatem adaequans, materia gravis esse merito judicatur. «Alii, dicit Lugo, proponunt regulam magis claram, desumtam non ex victu, sed ex quantitate rei ablatae cum proportione ad omnia bona ejus, qui injuriam patitur» [1]).

83. Ipse s. Alphonsus regulam suam ut valde obscuram et confusam agnoscit, eamque pressius declarare conatur, *pro diversis personarum generibus certam pecuniae quantitatem*, ut materiam gravem indicando. Quae pecuniae quantitas, habita ratione valoris hodie saltem duplo minoris, quam tempore s. Alphonsi, haec pro singulis hominum generibus a recentioribus theologis decerni solet: respectu vere divitis vel magnatis materiam furti gravem 12—15 franci (4—5 rubeli) constituere videntur; mediocriter dives etiam furto 5—6 francorum (2 rub.) graviter laedi potest, imo quantitate etiam minore, si ex propriis quidem reditibus misere tamen vivit; pro mercatoribus sat opulentis 7—8 fr. ($2^1/_2$ rub.) videtur esse materia gravis; respectu opificis, qui propria fabrica utitur, ipse tamen etiam laborat, ad furtum grave sufficere possunt 3—4 fr. ($1^1/_2$ rub.); pro simplicibus operariis, qui diurno labore sibi prospiciunt, est gravis materia 2—3 fr. (1—$^3/_4$ rub.). Tandem materia absolute levis etiam pro mendicantibus est ea, quae unum francum non adaequat, excepto casu, quo quis pauper etiam minore quantitate pecuniae fraudatus, per integrum diem non haberet, quid manducaret. Quando ignoratur, cui damnum sit factum, juxta communiorem theologorum sententiam, illud mediocriter diviti esse illatum praesumitur; hoc enim frequentius contingere solet; materia gravis tunc 5—6 franci (2 rub.) reputantur.

84. Ceterum, *hae dimensiones moraliter, non mathematice sunt accipiendae*, et magnopere hac in causa attendere juvat judicia hominum prudentium loci et conscientiam, qua melior societatis pars mo-

---

[1]) Lugo, Disp. XVI, n. 27.

deratur. cum neque opulentia incolarum ubique locorum sit eadem, nec pecunia et res eodem valore veniant, nec tandem pretium diurni laboris, quod simplicibus operariis solvi solet, sit idem. Insuper, ut sapienter s. Alphonsus observat, plus requiritur ad notabilem quantitatem in rebus, quae ultro proveniunt et sunt valde expositae v. gr. fructus ad viam publicam, ligna, gramina, quam in rebus, quae admodum laboriose comparari solent, vel primo usui minus sunt necessariae, potius luxui furantis serviunt.

85. Tandem in demetienda gravitate furti quamquam habenda est ratio damni, quod singulis infertur, et quo quis est ditior, eo major respectu ejus requiritur quantitas, ut graviter laesus esse judicetur, attamen non immerito plures theologi arbitrantur, *haberi quandam materiam furti absolute gravem*, quae respectu cujuscunque divitis sine peccato mortali fraudari non possit, etiamsi hic ratione opulentiae magnum nocumentum non sentiret. Si enim absque gravi peccato quantitatem respective levem aut apud plures, aut totidem apud eundem valde divitem furari liceret, non quidem singulis laesis, certe tamen toti societati id sine gravi detrimento evenire non posset. Recte ait card. Lugo: «non ergo attendi debet in hac materia ad illum solum damnum, quod hoc furtum hic et nunc affert.. sed debet considerari damnum, quod sequeretur, si ipsum non prohiberetur graviter; quia si cuilibet absque gravi culpa liceret furari aureum, tot essent atque adeo frequentia ejusmodi furta, ut ex eis maximum detrimentum hominibus proveniret in bonis fortunae: quod periculum vitari non potuit, nisi prohibendo graviter singula furta unius aurei»... «Ad materiam enim gravem non requiritur, quod per illud furtum secundum se magnum detrimentum patiatur proximus in suis fortunis, sed quod fundet saltem tale detrimentum grave, si ejusmodi furta non prohibeantur. Unde licet rex vel princeps non patiatur magnum detrimentum ex furto uno aurei unius vel duplicis, potest adhuc illud esse furtum grave, et princeps rationabiliter est graviter invitus» [1]). Materia furti etiam erga principem aut fiscum absolute gravis, independenter a damno, quod proprietarius exinde patiatur, juxta S. Alphonsum est pecunia duos aureos adaequans, quae hodie, mutatis circumstantiis, 20—25 fr. (7—8 rub.) aequiparatur.

---

[1]) Lugo, Disp. XVI, n. 29 et n. 32.

86. Quibusdam est visum *parvitatem materiae in sacrilegio* non haberi. Id tamen est negandum. Haec vero singularia adnotari possunt: si res furto ablata est quidem sacra, ratione tamen suae physicae speciei pretio aestimari solet, ut calix, vestis, tunc gravitas injuriae decernenda est sicut in re profana. Contra, si res sacra nullo pretio temporali aestimari potest, ut reliquiae aut quid simile, tunc habenda est ratio dignitatis et raritatis. «Unde, ait Reuter, mortale foret furari minimam particulam S. Crucis, veniale tantum, tamen extra territorium Romanum, auferre de corpore alicujus Sancti aliquid pulveris, capillum, aut simile quid, quod non deformet Reliquias, nec minuat earum aestimationem. In districtu tamen Romano prohibitum est sub poena excommunicationis a Clemente VIII et Paulo V, minimum quid auferre de Reliquiis, invito Ecclesiae Praefecto. Prohibitio videtur facta ob avaritiam istius populi nimiam, qua alias facile gravia inferret damna» [1]. Quam excommunicationem Rom. Pontifici simpliciter reservatam etiam hodie subeunt «extrahentes absque legitima venia (*sine expressa permissione Card. Vicarii)* reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes», nulla habita ratione quantitatis materiae [2].

De rapina haec sapienter Lehmkuhl animadvertit: ea communiter mortalis est, neque solum in ea re, cujus ablatio mortalis est injustitia, sed etiam in leviore, quia longe facilius personalis injuria gravis evadit. Imo qui rapinam et latrocinium exercent, sui animi dispositione longe etiam gravius et gravissime delinquunt, cum fere parati sint, quamlibet vim injustam justae defensioni opponere, atque ita ob animi propositum non tantum injustitiae et personalis injuriae utcunque inferendae, sed ipsius homicidii cruentaeve invasionis, rei sunt [3].

Furta domestica.

87. Disputando de furtis domesticis, ut conjugum, filiorum, familiarium personarum, famulorum, theologi liberariores esse solent et generatim, ut res ablata materiam peccati mortalis constituat, *quantitatem duplo majorem*, quam in furtis extraneorum, requirunt, simul

---

[1]) Reuter, *Theologia Moralis*, lib. III, tr. III, n. 438.

[2]) Constit. Clementis X, *Ex commissae*; S. Rit, C., 27 Nov. 1863

[3]) Lehmkuhl, *Theol. Moral.*, p. I, lib. II, n. 929.

tamen admonent, ut in singulis casibus circumstantiae particulares attendantur, v. gr. opes damnum patientis, ejus liberalitas, ratio propinquitatis personae, qualitas rei ablatae (*pecunia*, *an esculenta*). Ita v. gr. Busenbaum ait: «licet vere furtum sit, si uxor, liberi, amici, servifamilias invito quid auferant, plerumque tamen major quantitas requiritur, ut sit mortale, quum plerumque hic dominus aut non rationabiliter invitus, aut saltem minus invitus sit, ut ab his, quam ab aliis auferatur, vel etsi valde invitus sit, saepe tamen id fiat non tam ratione rei acceptae, quam modi accipiendi *clam*, aut ratione finis, ob quem accipiunt, v. gr. ad ludendum, potandum etc.» [1]). Sane id est verum: furti gravitas potissimum mensuratur majore vel minore damno, quod laesus patitur; attamen habenda est pariter ratio majoris vel minoris displicentiae, qua proprietarius, re sua fraudatus, erga furem afficitur: quemadmodum de jure suo plene cedere potest, condonando, ita etiam ablationem rei suae aliunde notabilis potest minus aegre ferre, si a suis fiat. Quod postremum, nisi singulares circumstantiae contrarium probent, generatim prudenter praesumitur, praesertim si ratio uxoris, liberorum, parentum habetur; nam cum hae personae unam simul familiam constituant, censentur aliquam partem totius sortis habere et, nisi rem, clam ablatam, alienis donent vel in usus inhonestos insumant, necessitates vitae communis temperare praesumuntur.

86. Non ideo tamen omnia *furta domestica* etiam **filiorum et uxoris** omni peccato carent; nam quamquam filiifamilias et uxor habent jus ad sustentationem et, post mortem patrisfamilias, ad hereditatem, nequeunt tamen alia familiae membra laedere, nec bonorum etiam communium administratione per se potiuntur. Ideo in Scriptura S. legitur: *qui subtrahit aliquid a patre et a matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidae est* (Prov. XXVIII). Nihilominus pro furtis filiorum et uxoris ad peccatum grave quantitas duplo major, quam in furtis alienorum, certe etiam tunc requiritur, quando paterfamilias est juste invitus. Hic enim magis quoad modum, quo res *clam* surripitur, quam quoad substantiam sublatam invitus esse praesumitur; uxor filiique potius abusu pecuniae subductae, quam furtis graviter peccare solent. Sane una regula generalis in hac causa pro omnibus statui non potest; «hoc enim pendet, ait Lugo, ex multis

---

[1]) Apud. s. Alphonsum, lib. IV, n. 539.

circumstantiis, nempe ex statu et facultatibus parentis, ex usu, ad quem accipitur, ex pluralitate filiorum, ex eorum aetate, ex genio patris et majore vel minore affectu erga filium; quae omnia et singula consideranda sunt prudenter a confessario et vitanda extrema, ne vel facile scrupulum peccati gravis filio injiciat, vel habenas laxet ad furandum nimium de bonis paternis» [1]).

87. Si quem *generalem modum agendi cum filiis*, furto maculatis, indicare licet, hunc fortasse proponere possumus. Si res, ab ipsis ablata, est primo usui vitae et jam consumata, vix unquam restitutio imponi potest. Contra, si res aut pecunia ablatae in sua specie intactae manent, restitui debent, nisi paterfamilias moraliter certe praesumatur, nolle ipsos ad hoc obligare. Si res non primo usu consumtibiles aut pecunia, in notabili quantitate subductae, jam in usus alienos sunt expensae, filiifamilias, nisi propria bona habeant et restitutionem commode perficere possint, sunt sedulo exhortandi, ut parcius vivendo et curam domesticam diligentius habendo, paulatim damnum reparent, aut, si quantitas damni est valde notabilis, ut hereditatem suo tempore cum aliis familiae membris dividendo, sibi minus accipiant. Molina quidem etiam tunc, quando parentis condonatio prudenter praesumitur, nihilominus suadet, ut venia petatur, et tali modo fures saltem in posterum a delicto avertantur. Hoc tamen nec per modum consilii insinuare expedit, cum et pax familiae exinde perturbetur et delinquentes ex verecundia, ut plurimum, promissis stare non soleant.

Uxori, ait Lehmkuhl, pro diversis circumstantiis aliquando plus, aliquando vero etiam minus, quam filio, concedi potest citra peccatum grave [2]). Generatim tamen liberariorem expedit esse in hac causa erga uxores, praesertim si res clam ablatas in usus familiae aut suorum propinquorum insumant; saepenumero enim potius ex erronea conscientia, quam proprio furto peccare solent (*Cf. l. I, pag. 93—95*).

88. Quando **de furtis famulorum** agitur, ratio est habenda rerum, quae clam surripiuntur: in esculentis et cibis ordinariis, quae non accurate clauduntur nec diligenter custodiuntur, vix unquam furtum grave committi potest, dummodo ab ipsis famulis illa consumantur, nec vendantur aut e domo efferantur; attenta enim fragilitate hu-

---

[1]) Lugo, Disp. XVI, n. 76.

[2]) Lehmkuhl, *Theol. Mor.* p. I lib. II n. 934.

mana. perdifficile est famulis ita fideliter res domini administrare, quin aliquid manibus contrectantium adhaereat. Contra, si subripiantur pecunia, vestes, supellectilia, etiam poculenta pretiosiora, ut vinum generosum. ad peccatum mortale quantitas major, quam in furtis extraneorum, generatim non requiritur; cujus rei causam hanc adfert Billuart: «quidam idem (*vc. ac de f. filiorum et uxoris*) censeut de furtis domesticorum... Verum si loquamur non de usuconsumtibilibus, ut sunt poculenta et esculenta... sed de rebus permanentibus, ut sunt pecuniae, supellectilia et similia, non video, qua ratione in his requiratur major quantitas pro domesticis, quam pro extraneis; quia domestici nullum habent jus sive in re, sive in spe ad illas res. Insuper res domesticae sunt... eorum fidelitati et custodiae commissae, ita quod illorum furtis vix obviare possit dominus; unde gravius puniuntur furta domestica, quam extranea, et consequenter dominus censendus est ad minus aeque invitus circa illa, ac circa extranea» [1]. Famulus ob fraudatam pecuniam tunc nonnisi liberalius videtur posse judicari, quando certo constat, eum esse domino valde utilem et diligentem, nec sufficiente mercede remunerari, vel quando familiae aliquo modo arctius jungitur, v. gr. si post longos insumtos labores tandem ob senectutem alendus suscipitur.

Furta minuta.

89. Furtum subintelligitur minutum, quando quantitas rei ablatae sola per se ad peccatum mortale non sufficit. Accedentibus tamen quibusdam circumstantiis talia furta minuta aut *simpliciter peccatum mortale* conficere possunt, aut simul etiam *gravem restitutionis obligationem* imponunt. Furta, objective parva, simpliciter peccata mortalia fieri possunt aut ob erroneam conscientiam, ut in pueris non raro contingere solet, aut ratione scandali. Quae peccata, quamquam mortalia, gravem obligationem restitutionis non injungunt; imo onus reparandi per se nullum imponunt, nam illud principium justitiae: «non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum» gravibus tantum injuriis applicari debet. Recte tamen in hac causa hortatur Lessius: «monendi mihi sunt hoc loco pro his et similibus casibus confessarii,

[1]) Billuart, Diss. IV, art. 5.

ut non facile in furtis etiam minutis et quae ad peccatum mortale non pertingunt, dissimulent, sed pro conditione et capacitate personarum semper aliquam restitutionem injungant, quod fiat vel reddendo rem eandem, si extat, vel ejusdem speciei, vel pretium rei, vel compensando majore obsequio, quam ex contractu teneantur; vel si creditoribus non possunt, conferendo tantundem in pauperes. Hac enim ratione, cum non impune transeunt, magis ab hujusmodi peccatis absterrentur, quam aliis poenitentiolis: alioquin fiunt ad hujusmodi furtula faciliores et ad majora gradum faciunt» [1]. Cui monito id tantum addi licet, ne vc. confessarii in hisce furtulis plus justo sint severiores, nec strictam obligationem tunc injungant, quando ob aliquas praevisas difficultates de ipsa moniti efficacia dubitari potest, alioquin nova peccata ex conscientia male informata addi possunt.

90. Porro, **furta minuta** non tantum peccata mortalia fiunt, sed simul **gravem obligationem restitutionis in hisce casibus imponunt:** a) quando res quidem in se parva proprietario aufertur, attamen ipsi *exinde magnum detrimentum obvenit.* Ita, opifici surripere instrumentum, quod brevi comparari commode non potest et sine quo ipse cum notabili proprio damno per aliquot dies a labore se abstinere cogatur, erit sane furtum grave ratione damnificationis, dummodo haec sufficienter praevideatur. Qui dominum re exigua sed ipsi valde cara fraudaretur v. gr. raro ac singulari flore, primis fructibus ex arbore ad aliquem virum insignem honorandum destinatis, simulque vel exinde, vel, habita ratione avaritiae, gravem domini tristitiam praevideret, graviter contra caritatem peccaret; contra justitiam tamen peccatum per se tantum veniale fieret, nisi forte grave exinde damnum proprietarius pateretur.

91. b) Quando furta in se minuta a pluribus erga eandem personam *mutuo consilio et consensu* eodem tempore aut successive committuntur simulque collecta gravem materiam constituunt. In quo casu dominus grave detrimentum patitur et, cum ad id totum singuli moraliter cooperentur, singuli etiam mortaliter peccant et sub gravi ad totum damnum reparandum obligantur. Nihilominus, si singuli etiam erga eandem personam, seorsim tamen et independenter, minuta furta perpetrant, haec sane in unum furtum grave non coalescunt; proprietarius quidem graviter laeditur, singuli tamen fures non sunt causa totius damni, nec mortaliter peccant.

---

[1]) Lessius, lib. II, cap. 12, n. 50.

Inter theologos disputatur, an graviter contra justitiam peccent fures, si non quidem consilio, sed, *mutuo exemplo* excitati, levia furta erga eundem committant et eum magno damno afficiant. Sane, sine dubio ratione pravi exempli contra caritatem peccant mortaliter; contra justitiam tamen singuli mortaliter probabilius non peccant neque ad restitutionem obligantur, nam exemplum non est causa, sed tantum occasio alieni damni (*vid. n. 18*). Nihilominus occurrere possunt casus, quando exemplum instar impliciti consilii, ut in superioribus, parentibus, in insignibus personis, habetur. Quosdam alios casus indicat Lugo, cum dicit: «non nego, posse dari casum, quo singuli modica accipientes graviter peccent et restituere sub mortali teneantur. Si v. gr. videant simul ab aliis modica accipientibus vineam devastari vel aerarium exhauriri, quando v. g. mensa numularii in foro decedente et effusa in terra pecunia, singuli accurrunt, singulos argenteos arrepturi; quo casu difficile est, quod.... non *exemplo et consilio tacite* se invicem provocent» [1]).

92. c) Tandem furta minuta peccatum mortale contra justitiam fieri possunt, si ab eadem persona *erga unum vel plures* aut de facto ad gravem materiam *multiplicantur*, aut saltem intentio ad gravem materiam perveniendi ab initio habetur. In illo casu per singula furta venialiter quidem peccatur; quando tamen usque ad materiam gravem advertenter pervenitur jam peccatum efficitur mortale, nam res aliena notabilis injuste retinetur. In hoc autem casu, quando vc. intentio ex alieno damno notabiliter ditescendi ab initio habetur, jam statim primo etiam levi furto mortaliter *affective* peccatur, utpote cum actus externus malitiam suam ab actu interno desumat; hic vero in casu graviter peccaminosus supponitur. Obligatio tamen reparandi damnum illatum etiam in hoc casu tunc tantum contrahitur, quando materia per multiplicata furta tandem *effective* gravis evadit.

93. Ex hisce deducitur, graviter contra justitiam peccare *mercatores*, qui per defraudationes etiam leves, per injustas stateras et mensuras ditescere ab initio intendant: *statera dolosa abominatio est apud Dominum* (Prov. XI, 1). Quot autem numero peccata isti sua iniqua agendi ratione committant, non satis constat: quibusdam theologis est visum, simul ac materia per furta minuta gravis sit completa,

---

[1]) Lugo, Disp. XVI, n. 59.

quodvis novum furtum leve fieri peccatum mortale, siquidem singulis hujusmodi licet levibus furtis renovetur saltem implicite propositum retinendi gravem quantitatem jam subreptam. Quae opinio plus justo rigida esse videtur. Contra, alii numero plures opinantur, quodvis novum furtum minutum esse peccatum veniale tantum, quo prius peccatum mortale continuetur, gravitate augescat, sed unum idemque numero maneat, nisi illa prava intentio per voluntatem restituendi interrumpatur; quam opinionem Marc probabiliorem appellat [1]. Dixerim tamen, tot peccata mortalia committi, quot vicibus nova materia gravis inchoetur; cui opinioni favere videtur ipse S. Alphonsus, cum ait: «Lessius cum aliis hujusmodi furtum leve dicunt non constituere peccatum mortale, nisi pertingat ad aliam novam quantitatem gravem et hoc Bonacina *merito putat* valde probabile» [2]).

Quemadmodum mercatores, ita pariter peccant *sartores*, quando panni fragmenta, quae supersunt, sibi retinere, vel aliis vendere solent; hi tamen facilius excusantur, si alicubi universalis consuetudo, aut praesumtus clientium consensus haec fragmenta ipsis adjudicant, aut quando proprietariis fere nullius sunt momenti.

94. *Furta minuta* ab eodem fure erga eundem dominum *multiplicata posse coalescere* et, quod inde sequitur, gravem obligationem restituendi inducere, satis constat ex propositione n. 38, ab Innocentio IX damnata: *non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Quod ipsa ratio comprobat, nam proprietarius per furta minuta, licet non quavis vice, certe tamen, gravi quantitate completa, notabiliter in suis bonis laeditur. Verum furta minuta non solum tunc temporis coalescere possunt, quando erga eundem proprietarium committuntur, sed etiamsi erga diversos fiant: singulis quidem id gravi nocumento non est, certe tamen tota communitas in multis suis membris simul graviter laeditur. «Quandonam de facto, ait Waffelaert, plura furta minuta coalescant, definiendum est ex pluribus adjunctis. Inspiciendus nempe *furantis* tum *animus*, tum *qualitas:* qui enim animo ditescendi saepe pauca furatur, ut faciunt qui mensura et pondere decipiunt, facilius ad grave pertingit, quam qui sine hujusmodi animo furatur; similiter objecta facilius generatim coalescunt, quando fur est extra-

---

[1]) Marc, *Institutiones Moral. Alph.*, t. 1, n. 909.

[2]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 538.

neus. Item consideranda est *domini*, a quo res parvae auferuntur. *identitas* vel *diversitas:* facilius enim coalescunt, quae ab eodem, quam quae a diversis auferuntur. Rursus attendendum est non modo pretium sed *natura rerum ablatarum:* facilius coalescunt pecuniae et res, quae de se leves, ad graves tamen accedunt, quam esculenta et res minimae. Tandem *spatium temporis,* intra quod furta perpetrantur, inspici debet: quo enim brevius sibi succedunt furta, eo facilius coalescunt et contra» [1]).

95. Quidam theologi rigidiores opinabantur, *omnia furta minuta per integram vitam,* nisi interim quid restituatur, coalescere. Sed haec opinio sensui fidelium communi nimis repugnat, neque opus est eam importunitatis evincere: furta minuta, quamvis erga eundem dominum committantur, si tamen magno temporis intervallo interrumpuntur, moraliter uniri non censentur: cum enim sensim sine sensu fiant, domino exinde grave damnum non apparet. Quodnam *temporis intervallum esse magnum* censeatur, certo numero vix definiri potest. Juxta, mentem S. Alphonsi [2]) haec sunt in genere tenenda: si quis rem determinatam, ne detegatur, per partes surripit, aut per furta minuta ditescendi et ad gravem materiam perveniendi intentionem ab initio expresse habet, omnia ejus furta minuta, non obstante quocunque temporis intervallo, in unum coalescunt, nam eadem intentione, per restitutionem efficaciter non revocata, moraliter uniuntur. Contra, tali intentione deficiente, furta minuta, etiam quae aliquatenus, non tamen proxime, ad materiam gravem accedunt, etsi erga eandem personam fiant, interpositis duobus mensibus, moraliter uniri non censentur. Quodsi de furtulis agatur, quorum materia qualibet vice est sat modica, intervallum unius mensis vel 15 dierum illa sufficienter interrumpit. Sola voluntatis retractatio, etiam in confessione facta, sine legitimo temporis intervallo non impedit, quominus furta minuta uniantur, nisi ille retractionis actus sit efficax, quam restitutio de facto sequatur.

96. Tandem *furta minutissima,* praesertim in esculentis et rebus primo usui necessariis vix unquam in gravem materiam coalescunt. «Reprehenduntur quidem, ait Ballerini, qui per agros uvas, ficus, fabas, poma etc. leviusculis furtis saepe surripientes vorant, at vix

---

[1]) Waffelaert, *De Justitia*, tr. II, n. 219.

[2]) Cf. S. Alphonsus, lib. IV, n. 530

reperies, qui notam laxitatis timeat, si etiam post plures hujus consuetudinis annos scrupulum ipsis gravis furti ob materiam coalescentem non injiciat». Quod extendendum esse putat idem theologus ad levissimas alicujus oboli aut semioboli subtractiones, ancillis famulisve haud infrequentes, dum quotidianum victum pro heris emere solent [1]. Idem etiam juxta mentem S. Alphonsi dicendum esse videtur de pauperibus, qui in proprium usum, necessitate afflicti, bis in hebdomade ligna vilia ex silvis communitatis parva quantitate cedunt, aut etiam ex silvis privatis mediocriter divitum, siccos ramos colligendo, parvos fasciculos secum humeris asportant, nam dominus rationabiliter invitus in hisce non facile praesumitur. S. Alphonsus in hac causa etiam liberalior apparet; sed habenda est ratio temporis, quo sententiam suam protulit: terra tunc temporis erat silvestrior, nec lignorum penuria sentiebatur.

97. Quando furta minuta, legitimo temporis intervallo non interrupta, in unum objectum furti moraliter coalescunt, *pro materia peccati mortalis major requiritur quantitas*, quam si res aliena simul tota surripiatur. Et quidem, si furta erga eundem proprietarium diversis actibus, vel erga plures eodem tempore fiant, materia censetur gravis, quae summam, ad furtum grave communiter requisitam, parte dimidia excedit; si vero furta erga plures dominos et diversis vicibus fiunt, materia erit gravis, quae quantitatem absolute gravem adaequat, qua vc communitas graviter laedi censetur; ad gravem vero injuriam erga communitatem requiritur duplo major quantitas furti, quam erga ordinarie opulentos.

Circumstantiae, quae rationem furti tollunt.

98. Furtum, qua ablatio rei alienae domino rationabiliter invito, in genere morum est malum intrinsecum, neque unquam, qua tale, permitti potest. Nullae haberi possunt causae, quae de furto excusent; est enim sancte tenendum principium: *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Sed nec quis theologus catholicus furti patrocinium unquam suscepit, ut quibusdam parum subtilibus indagatoribus est visum (*vd. n. 75, nota*). Si theologi causas de furto excusantes con-

---

[1]) Gury-Ballerini, *Comp. Theol. Mor.*, t. I, n. 610 et 608, *notae.*

siderant, minime furtum, quod proprium dicitur, perinde intelligunt, quamquam modo loquendi reipsa non tam exacto utuntur. S. Augustinus, disceptando cum Juliano, ita S. Chrysostomum defendit: «*disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur.... vobis non litigantibus securius loquebatur*» [1]. Idem etiam nostris osoribus respondere possumus. Non quaevis rei alienae ablatio est furtum; alioquin ipse Deus, qui vasa Aegyptiorum Izraelitis auferre praeceperat, furti accusari possit. Ne ipsa tamen impropria dicendi ratio offendat, considerabimus circumstantias, quae ab acceptione rei alienae rationem furti tollunt. Quasdam indicat S. Alphonsus, cum ait: «qui accipit joco, vel ob bonum aut commodum illius, a quo accipit, non furatur: v. gr. si uxor auferat a marito pecunias, ne ludis aut commessationibus eas prodigat; aut vinum, ne inebrietur, aut librum haereticum, ne eum legat; aut famulus det eleemosynam non nimis magnam valde indigenti, de qua dominus rationabiliter non sit invitus, a quo tamen ob verecundiam vel aliam causam non audeat petere» [2]. Circumstantiae tamen, quae uberiore explicatione indigent, a theologis duae communiter indicari solent: *necessitas indigentis et occulta compensatio.*

α) *Necessitas.*

99. Triplex a theologis distingui solet necessitas: a) *extrema*, in qua ipsa vita hominis actu periclitatur; ei proxime accedit gravissima vel quasi-extrema; b) *gravis*, quando sanitas aut status notabili periculo exponitur, magna fames, paupertas, amissio honoris imminet, quando generatim vita admodum molesta redditur; c) tandem *communis*, quam passim pauperes et mendicantes experiuntur.

Omnes theologi, duce d. Thoma, censent, hominem, *in extrema necessitate* constitutum, tantum de bonis alienis sibi posse succurrere, quantum est satis, dummodo alia honesta media et moraliter possibilia desint, neque ipsius rerum proprietarii vita perinde extreme periclitetur. Cujus rei ratio haec indicari solet: divisio bonorum, vi cujus quisque propria possidet, maxime convenit juri naturae, imo est ne-

---

[1]) S. Augustinus, *Contra Julianum*, lib. II, c. 10, n. 22.

[2]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 519

cessaria in statu humanae naturae lapsae ad mutuam pacem fovendam et tranquilitatem vitae socialis servandam. Verum privatae possessiones nequeunt derogare juri naturae primitivo, quo bona externa omnibus hominibus ad vitam conservandam a Deo sunt benigne concessa. Cum autem quisque homo non tantum facultatem, sed etiam habeat officium vitam servandi, ideo in extrema vitae necessitate competit ei jus ex bonis externis, quasi nondum divisis, sibi succurrendi. S. Thomas hac in causa ita ratiocinatur: «ea, quae sunt juris humani non possunt derogare juri naturali vel juri divino. Secundum autem naturalem ordinem ex divina providentia institutum, res inferiores sunt ordinatae ad hoc, quod ex his subveniatur hominum necessitati: et ideo per rerum divisionem et appropriationem, ex jure humano procedentem, non impeditur, quin hominis necessitati sit subveniendum ex hujusmodi rebus... Sed quia multi sunt necessitatem patientes, non potest ex eadem re omnibus subveniri.... Si tamen ladeo sit evidens et urgens necessitas (*puta discrimen vitae*)... tunc icite potest aliquis ex rebus alienis suae necessitati subvenire, sive manifeste sive occulte sublatis, nec hoc proprie habet rationem furti vel rapinae» [1]. Insuper, quando res aliena in extrema necessitate accipitur, non immerito ipsius domini consensus praesumitur, recte enim Stapf dicit: «si dominus rei ablatae vel scintillam humanitatis retinuit, in tantis rerum angustiis ejusdem consensus certissime praesumi potest. Quodsi pertinaciter reluctetur, saltem rationabiliter invitus dici nequit» [2].

100. In extrema necessitate constitutus, *utrum rem alienam inscio domino accipere possit*, an prius illam petere debeat, inter theologos disputatur. Quidam rigidiores indigentem sub gravi ad petendum obligant; alii, ut Lessius, Lugo, Laymann docent, indigentem ad id sub levi tantum obligari. Communiter tamen recentiores theologi in hac causa sequuntur S. Alphonsum, qui, opinionem Lugonis aliquatenus immutando, ita brevius eam exponit: «si res illa peculiaris non est absolute necessaria ad inopiam pauperis sublevandam, pauper peccabit mortaliter, clam illam surripiendo; nam alias mendici omnes possent impune accipere aliena non petita, eo quod perirent, nisi eis ab alio subveniretur, quod falsum est. Si vero pauper peculiari illa re extreme indigeat, ita ut dominus teneatur omnino eam dare,

[1] 2. 2, q. 66, art. 7.
[2] Amb. Stapf, *Theol. Mor.*, t. III, § 449.

quia ipso non dante pauper periret, tunc iste, ut ait Lugo, occulte accipiendo, non peccat mortaliter, imo nec venialiter dico, cum ille habeat in casu absolutum jus ad rem illam accipiendam» [1]).

101. Ceterum theologi communiter censent eum, *qui mendicando* (ergo hunc et illum, si tempus permittat, petendo) sibi sufficienter providere possit, non versari in extrema necessitate, ergo nec posse clam rem alienam subducere, nisi quem tantopere mendicare puderet, ut potius mori vellet. Nec dici potest mendicare viro honesto esse indecorum, valde molestum. Cuique prima vice supplices manus tendere est res admodum ardua et amara; nihilominus, si talis praetextus admitteretur, omnes mendici res alienas impune surripere possent, et nulla amplius bonorum securitas haberetur. Insuper ipse mendicandi modus est alius atque alius, nec semper ostiatim stipem opus est colligere. Ideoque concludimus: quando tempus permittit et moraliter certo constat fore, ut dominus rogatus succurrere indigenti non renuat, hic non potest clam accipere rem sibi necessariam, sed petere debet; secus saltem venialiter peccat non quidem contra justitiam, sed contra rectum ordinem.

102. *Quando tamen tempus deest* et dominus irrationabiliter indigenti succurrere non vult, in extrema necessitate (ut in naufragio) etiam vi rem sibi summe necessariam vindicare licet; indigens enim tunc temporis legitima defensione vitae suae contra injustum aggressorem uti dicitur. Proprietarius, qui extreme indigentem vi impedit, quominus rem sibi absolute necessariam sumat, non tantum contra caritatem, sed etiam contra justitiam peccat et omnia damna, quae indigenti exinde obvenerint, resarcire tenetur. Attamen, si non vi impedit, sed tantum succurrere negligit, vel sua bona de industria occulte tenet, ne ab illis indigentibus subducantur, contra caritatem tantum peccat; non peccat vero contra justitiam, nam mediis non injustis proximum a bono consequendo avertit.

103. Quamquam in extrema necessitate de bonis alienis sibi providere generatim licet, verumtamen in singularibus adjunctis aliquando id prohibetur, quando nempe *ipse proprietarius* per ablationem suae rei *in eandem extremam necessitatem redigitur;* tunc enim proprietarius rationabiliter esse potest invitus, ne rebus summe necessariis fraudeter; in pari enim causa melior est condicio possidentis; sub-

---

1) S. Alphonsus, lib. IV, n. 520.

trahere alicui ea, quibus ad vitam servandam indiget, perinde est, ac eum occidere. Ita, non licet in naufragio alicui vi tabulam eripere, quam ille prior occupavit, vel tempore communis famis alicui panem surripere, quo hic ad suam suorumque vitam servandam indiget.

104. *Quemadmodum sibi, ita pariter aliis* in extrema necessitate ex bonis alienis consulere quisque potest, dummodo ne propria habeat, ex quibus illud beneficium ratione caritatis praestare et teneatur et possit. Quando propria non habet, licite potest extremam necessitatem proximi ex alienis sublevare, nam dicitur indigentis vices gerere; imo ratione strictioris vinculi familiaris, ut si agitur de uxore, liberis, parentibus, ad illud obsequium tenetur.

In ipsa tamen ratione sibi aut aliis prospiciendi *servandum est moderamen:* non licet enim aliena accipere, nisi quantum est satis, nec plus quam necessitas exigit: bono alieno, quantum fieri potest, est parcendum. Ideoque, si sifficiunt decem, nequit indigens quindecim accipere; si praesto sunt cibi communes, non licet cibos exquisitos quaerere; si sufficit solus usus rei, v. gr. equi ad fugiendum, cessante necessitate, ipsa res domino est restituenda. Pariter, si summe indigens alibi in re aut in spe probabili habet, unde damnum proximo illatum reparare possit, nequit rem alienam subducere, nisi cum proposito restitutionis, nam tunc per modum commodati vel mutui praesumti prospicere sibi potest.

105. Nihilominus, quando rem alienam in extrema necessitate consumit *sine ulla spe* fore, ut ad restituendum unquam valeat, tunc saltem generatim ad nihil in posterum tenetur, etiamsi deinceps fausto casu ad meliorem fortunam pervenerit. Cujus rei rationem card. Lugo hanc allegat: «diximus, ait ipse, ipsum dominum dantem, quamvis in rigore posset onus illud et obligationem restituendi imponere, non tamen id de facto facere, nisi raro et in rebus magni momenti: quia spes illa recipiendi postea, pinguiore fortuna superveniente, adeo exigua est, ut communiter pro nihilo reputetur, et ideo de obligatione illa imponenda homines non curant. Idem ergo cum proportione dicit potest, quando indigens propria auctoritate accipit» [1].

Ab hoc favore communior theologorum sententia eximit *furem*, qui in extrema necessitate constitutus rem alienam, jam pridem apud

---

[1]) Lugo, Disp. XVI, n. 171.

se injuste retentam, sine spe restituendi consumat; dicunt enim, obligationem ex debito contractam, superveniente extrema necessitate, non extingui, sed tantum suspendi, quae reviviscat, si fur ad benigniorem fortunam casu pervenerit. Contrariam tamen opinionem, quae etiam furem in hujusmodi angustiis ab omni restitutionis obligatione eximat, S. Alphonsus etiam non improbabilem esse arbitratur [1]).

106. Quod de extrema necessitate affirmatur, idem cum quadam moderatione *de quasi-extrema vel gravissima* valet. In hac necessitate constitutus potest sibi vel suis per media ordinaria, non vero extraordinaria succurrere. Non eadem tamen ratione theologi tum ipsam gravissimam necessitatem, tum media ordinaria definiunt. Juxta Vasquez et Valentiam necessitas esse censetur gravissima, quando probabile adest periculum mortem incurrendi. Alii, ut Lacroix, periculum amittendi membrum aliquod principale, v. gr. oculum, jam sufficere arbitrantur, ut quis gravissima necessitate esse affectus dicatur. Lugo, Sporer, Elbel gravissime indigere eum putant, qui in proximo periculo versetur incidendi in perpetuam captivitatem, infamiam, aut perpetuum morbum. S. Alphonsus inquirit, an eadem necessitate laborare dicitur pater, qui ob inopiam est in periculo filiam prostituendi, et respondet negative, quia nulla necessitas, ait ipse, potest aliquem ad peccandum cogere, cum possit alia via, saltem mendicando, suae necessitati subvenire; nisi aliquem virum honoratum valde puderet mendicare, ut potius mortem subire vellet [2]).

107. Quaenam sint *media communia et ordinaria*, quibus in gravissima necessitate uti liceat, eadem pro omnibus regula decerni non potest, cum id a cujusque condicione et opulentia dependeat: «Sane, ait Lugo, si quis equo alieno indiget, ut hostes insequentes fugiat, a quibus captivitatem timet, durum esset et inhumanum, si non posset, inscio domino, equum ejus usurpare, etiamsi nec ad equum, nec ad ejus pretium domino unquam restituendum valeret». Disputant theologi, an ad se redimendum a molesta captivitate liceat subducere valde gravem pecuniae summam. S. Alphonsus ingenue fatetur: «in hoc dubio, quod mihi ingentem confusionem ingessit et in quo doctores tam obscure

---

[1]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 520, q. 4.

[2]) Vasquez, *De Eleemosyna*, cap. I, dub. 7, nn. 60 et seq.; Lacroix, lib. III, n 957; Lugo, Disp. XVI, n. 154; Sporer, tr. V, cap 5, n. 103 et 85; Elbel, *Theol. Moral*, p. V, *Confer*. X, n. 271; S. Alphonsus, lib. IV, n. 520.

loquuntur, ipse nihil decidere audeo. Sapientiores decernant». Quidquid sit, nemo negare potest, sibi in gravissima necessitate ex alienis bonis succurrere—esse singularem favorem, privilegium, ideoque strictioris explicationis, nam secus quot hallucinationibus et abusibus haec doctrina esset obnoxia. Multa quidem homini in extrema necessitate permittuntur, quando ipsa vita actu periclitatur; tunc enim quisque, non compos sui, motibus primo-primis agere solet, nec facile peccat; deinceps vero, si ad damnum aliis reparandum non valet, de restitutione excusatur. Permittere tamen ad se liberandum a captivitate, quamvis admodum molesta, alicui valde gravem pecuniae quantitatem clam subducere, id sensui morali repugnare videtur; nec est mirum, si deinceps hac doctrina de causis a furto excusantibus quidam offenduntur.

108. Tandem *in necessitati gravi, a fortiore in communi* sibi aliena surripere est certe illicitum; secus enim nullum esset laboris incitamentum, cum quisque in necessitate sibi ex alienis provideret. Quot pauperes et mendici, tot essent fures! Cum autem mundus pauperibus abundet, ineptae essent privatae possessiones, et omnis bonorum securitas et ordo socialis in discrimen vocaretur. Affirmat quidem Lehmkuhl, si agatur de re auferenda omnino levis momenti, necessitatem non adeo gravem aliquando sufficere, ut ex consensu domini rationabiliter praesumpto agere liceat, attamen S. Alphonsus recte monet, hujusmodi epikejae usum non debere esse facilem [1]). Utique, qui necessitate gravi oppressus, ut inopiam sublevet, aliena sibi subducit, facilius de peccato letali excusatur, quam si id sine necessitate facit; non ideo tamen furtum, etiam ex egestate commissum, omnem peccati malitiam exuit, quemadmodum nec metus gravis de peccato excusat, quamquam ejus malitiam ex parte minuit. Ceterum ab Innocentio XI est damnata propositio n. 36: *permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Quamquam tamen ad sublevandam communem vel gravem necessitatem propria auctoritate non licet aliena surripere, minime tamen divites jam ab omni erga pauperes officio caritatis sunt immunes, quod si religiose praestare non negligerent, utique non ea esset condicio socialis, cui tantas difficultates hodie causa opificum efficere solet.

---

1) Lehmkuhl, p. I, lib. II, n. 936; S. Alphonsus, lib. IV, n. 520.

De occulta compensatione.

109. **Recuperatio** et *compensatio* eo distinguuntur, quod per illam *ipsa res sua*, per hanc vero *aequivalens rei suae*, ab injusto possessore aufertur. Utraque esse potest manifesta vel occulta. Nemo negare potest, manifestam suae rei recuperationem, etiam moderata vi adhibita, esse licitam, quando injustus raptor in ipso flagranti delicto deprehenditur, necdum res in tuto est reposita, nam id rationem justae defensionis contra iniquum aggressorem habet; id etiam Jus Civile nostrum agnoscit [1]). Si res, a raptore ablata, jam in tuto ab eo est reposita, privata auctoritate eam, raptore repugnante, manifeste recuperare generatim non licet, potius brachium publicae auctoritatis est invocandum; nemini enim in propria causa jus dicere competit, ne legitimus ordo juris laedatur; id aeque nostra Lege Civili est sancitum [1]). Attamen, si manifesta recuperatio illegitimo modo jam est facta, peccatur quidem contra rectum ordinem et justitiam legalem, non autem contra justitiam commutativam.—De recuperatione occulta idem est tenendum, ac de compensatione occulta infra dicetur.

110. **Compensatio** distinguitur *legalis* et *extralegalis.* Illa tunc usu venit, quando duo sibi invicem debitores aequivalentia debita non restituunt; quae compensatio ipsa lege civili permittitur, nam mutua duorum debitorum obligatio sine ulla ordinis civilis perturbatione legitime extinguitur. Compensatio extralegalis dicitur, si quis suae rei aequivalens, manifeste aut inscio possessore, propria auctoritate recipit: *Manifesta* compensatio, contradicente possessore, privata auctoritate nunquam peragi potest, nam recto juris ordini repugnat et tranquilitatem pacemque publicam in discrimen vocat. An *occulta* compensatio sit licita, uberius inquiremus.

Sunt, qui eam prorsus illicitam affirment et ita ratiocinentur: occulta compensatio in usu vitae est maxime periculosa et innumeris abusibus obnoxia, cum nemo sit aequus judex in propria causa; quod vero in usu vitae est periculosum, etiam ratione et doctrina prorsus

---

[1]) Всякое самоуправство по имуществамъ, хотя бы оно состояло и въ незаконномъ владѣнiи, строго воспрещается... Законная оборона отъ насилiя не считается самоуправствомъ, когда она не выходитъ изъ предѣловъ, закономъ опредѣленныхъ. Гражд. Зак., *ст. 690 прим.*

reprobari debet. Waffelaert, qui occultam compensationem in certis adjunctis esse licitam agnoscit, nihilominus fatetur, compensationem stricte dictam tum manifestam, tum praesertim occultam de se et secundum speciem actus consideratam, esse actum *male sonantem*, ita ut ille actus in individuo justitiae tum commutativae, tum legali aliisque virtutibus repugnet, nisi quaedam circumstantiae eam malitiam extergant [1]. Hanc ob causam, dicunt, damnatam esse ab Innocentio XI propositionem n. 37: *famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Tandem occulta compensatio omni lege civili prohibetur, utpote cum jus dicendi causam, quod est publicae auctoritatis, in illa proprio arbitratu exequatur.

113 . Hisce non obstantibus *occulta compensatio dici nequit intrinsece mala, absolute illicita*. cum rem *suam* vel ejus equivalens vindicare sit actus justitiae. Damnatur vero occulta compensatio ideo tantum, vel quia non debito modo exequitur, bonos mores et securitatem publicam discrimini exponendo, vel quia in illa fines justitiae rigorosae facile transgredi possunt, cum judex in propria causa cum alterius detrimento facile sibi faveat. Qui periculosi scopuli cum admodum raro et in singularibus tantum adjunctis certo declinari possint, ideo occulta compensatio per se dicitur illicita, et nonnisi per accidens, servatis quibusdam circumstantiis, *permittitur*, sed fere nunquam est suadenda. Condiciones, quae compensationem reddant licitam et legitimam *tum ex parte justitiae*, *tum ex parte honestatis* requiruntur. Si illae desint, violatur justitia, et onus reparandi damnum illatum suscipitur; si vero ex parte honestatis non serventur condiciones, peccatur contra caritatem, justitiam legalem, aut quandam aliam virtutem moralem, sed sine onere restitutionis.

114. **Ex parte justitiae requiritur:** a) *ut debitum*, quod occulta compensatione exequitur, *sit strictum et moraliter certum*. Debitum dicitur *strictum*, ad quod jus habetur ex justitia rigorosa, non vero ex caritate, gratitudine, benevolentia, simplici promissione. *Debitum oportet esse certum*, non probabile; nam in dubio melior est condicio possidentis. Certitudo sane exigitur moralis tantum, quā solā regi solet vita humana; ne tamen hallucinationibus sit obnoxia, quod cuique in propria causa facile contingere solet, pro viribus est quaerenda

[1] Waffelaert, *De Justitia*, t. II, n. 198.

objectiva, quae non proprio arbitrio, sed consilio alicujus prudentis viri innitatur. Non desunt theologi, qui doceant, licitam esse compensationem etiam in dubio debito, si dubium non circa factum, quod sane esse debet semper certum, sed versatur circa jus. *Sumamus exemplum:* Lessius [1]) aliique docent, pro laesa fama, quam detractor aut non vult, aut non potest restituere, infamato licere sibi compensationem procurare, negando illi pecuniam debitam. In hoc exemplo factum detractionis supponitur certum; jus tamen ad infamiam pecuniā compensandam est nonnisi probabile, nam plures graves theologi negant, restitionem fieri posse in alia specie, quando in sua specie perfici nequit. An igitur cum hujusmodi dubio jure licita sit occulta compensatio, non certo constat. Lugo affirmativae sententiae videtur favere, anceps tamen subjungit: «de hoc tamen nihil volo asserere, imo libenter abstineo ab ultimo judicio circa hoc totum punctum de compensatione licite facienda cum opinione solum probabili» [2]). Quidquid sit, causa est dubia; in dubio autem melior est condicio possidentis: quamobrem compensatio cum tali dubio permitti non potest; si tamen bona fide est jam facta, neque aliae condiciones legitimae desunt, restitutio imponi non potest.

115. *Famulis occulta compensatio* admodum raro permittitur, alioquin innumeris furtis via aperiretur, siquidem facile sibi persuaderent, sua stipendia esse justo minora. Si salario se obligarunt etiam infimo, contractui stare debent, quando libere cum patrono pactum inierunt; hic enim juste eos alloqui potest: *amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum. Tolle, quod tuum est et vade* (Matth. XX, 13). Ex generali regula excipitur tantum casus, quo famulus injuste illato timore, vi, aut necessitate est coactus ad paciscendum cum patrono de pretio notabiliter minore, quam est justum; tunc famulus usque ad stipendium infimum-justum sibi compensare potest, nisi ipse operas suas ultro obtulerit et patronus rogatus ex sola misericordia et pietate eum conduxerit, cum alios eodem pretio aeque conducere poterat. Compensatione pariter uti nequit famulus, quando propria voluntate et electione operas domino utiles auget; dicitur enim id facere ad gratiam patroni sibi conciliandam. Nihilominus, si eas ex voluntate domini expressa aut saltem tacita impendit et adauget, certe pro excessu laboris, ex contractu non debiti, dignus est mercede sua.

---

[1]) Lessius, lib. II, cap. 9, n. 136.

[2]) Lugo. Disp. XVI, n. 106.

Quod de operariis in genere affirmatur, idem in specie est tenendum *de sartoribus*, qui notabiliores reliquias sibi retinere solent, quasi ad pretium laboris complendum, aut de mercatoribus, qui merces vilius vendendo, nequeunt doloso pondere aut numero sibi compensationem procurare; alioquin pactum violant.

116. b) Requiritur, *ut damnum debitoris tum temporale, tum spirituale devitetur*. Damnum temporale non solum tunc efficitur, quando laesus creditor plus, quam ex justitia debetur, sibi usurpat, sed etiam tunc, quando debitor periculo bis idem solvendi exponitur; quod de facto contingit, si debitor, conscientia admonitus, ipse damnum reparat, ignorans illud jam occulta compensatione esse resarcitum. Ut hoc praecaveatur, sumenda est, quantum fieri potest, res in eadem specie, vc. equus pro equo, vestis pro veste; alioquin et justa commensuratio esset difficilior, et ipsa speciei permutatio sine consensu proprietarii perficeretur. Quando res in eadem specie sumi non potest, eligendum est, quod facilius comparatur et debitori est minori detrimento. Ut vero altera solutio praecaveatur, occultus recompensator moneat debitorem, se de jure suo cessisse, nec quidquam amplius exigere; si debitor, hac ficta liberalitate concitatus, aliquid ipsi elargiri velit, accipi nequit, aut occulte restitui debet saltem in alia specie, ne debitor offendatur.

117. *Detrimentum spirituale* inde debitor pati dicitur, quod ignorans, occultam compensationem esse jam peractam, erronea conscientia alieni damni oneratur et ob malam fidem in peccato manet. Quod detrimentum spirituale ut declinetur, monendus est debitor, eum jam ad nihil in conscientia obligari. — Ad avertendum damnum debitoris temporale creditor ex justitia tenetur, ad spirituale vero cavendum nonnisi ex caritate adstringitur, cum in hoc postremo casu compensatio non sit vera causa damni spiritualis, nam debitor jam aliunde ob pravum propositum aliena non restituendi erat in statu peccati. Cum tamen quisque e caritate, quantum sine proprio gravi detrimento potest, aliena peccata praecavere debeat, ideo creditor peccare dicitur, si hoc officium caritatis sine sufficiente ratione negligit.

118. c) Requiritur, *ne occulta compensatio damno tertiae personae fiat*. Nequit igitur creditor clam sibi surripere rem, debitori a tertia persona commodatam, locatam, mutuo datam. Pariter non potest compensatio procurari de bonis debitoris, hypotheca obligatis, nam hypothecarius ad debita recuperanda prae ceteris creditoribus jure primae actionis gaudet. Denique, si debitor ob ruinam fortunae omnibus cre-

ditoribus ad plene restituendum est impar, tunc unus creditor cum damno aliorum totum debitum sibi occulte compensare nequit, nisi res sua in sua specie adhuc maneat; singuli creditores per accidens habent tunc jus nonnisi pro rata parte bonorum debitoris.

119. **Ex parte honestatis**, ut occulta compensatio permittatur, requiritur, *ne suae rei aequivalens alia, via licita obtineri possit*. Creditor enim, ne ordo juris et justitia legalis laedantur, causam suam apud judicem dicendam curare debet; de qua obligatione excusatur nonnisi gravi incommodo proprio, quod tunc adesse censetur, quando res sua nonnisi cum periculo gravis inimicitiae et odii, aut cum majoribus sumptibus, quam ipsa res pretio venit, via forensi recuperari potest. Creditor tamen, qui sine sufficiente ratione proprio marte compensationem clam exequitur, non videtur per se graviter peccare.

Insuper adhibenda est cura, *ne occulta compensatio*, quae quandam furti speciem prae se fert, *per suspicionem aliis*, ut famulis, liberis, uxori debitoris *imputetur*. Tandem sedulo *praecavendum est scandalum*, quod facile obtingere potest, si occulta compensatione persona dignitate vel auctoritate insignis utatur et in actu flagranti deprehendatur; compensatio enim occulta, quidquid dicant sui patroni, est semper actus indecorus et male sonans; virum autem rectum non decet vias latentes quaerere.

120. *Quando condiciones, ex parte justitiae et caritatis requisitae, adsunt, occulta compensatio prohiberi non potest* non tantum in resarciendis damnis, via privata illatis, sed etiam tunc, quando quis, sententia judicis certo injusta vel ex errore lata coactus, id solvit, quod aut certo jam praestitit, aut ad quod prorsus non tenetur; nam quamquam in causa dubia semper judici est oboediendum, verum si judex certo errat, non potest conscientiam ligare. Porro, si furtum alicubi quibusdam poenis ecclesiasticis plectitur, easdem in interno foro certe non incurrit, qui occulta compensatione legitime utatur; nam haec non est furtum, sed actus justitiae. Ita, in nostris dioecesibus casus, quo quis bona post defunctos clericos usurpaverit, Ordinario loci reservatur; qua poena utique non afficitur, qui legitime compensationem exequitur, dummodo hac ex bonis clerici propriis, non autem ex ecclesiasticis utatur.

121. **In usu vitae** *animarum rectores-confessarii meminerint*, occultam compensationem, qua malum necessarium, nonnisi admodum raro permitti, nunquam ab ipsis suaderi posse. Complures theologi in eventu dubio suadent, ut judicium confessarii exquiratur. Id tamen non vi-

detur expedire. Potius consilium alicujus prudentis personae privatae petatur. Confessarius nullas partes in compensatione occulta positive habere debet: quantum enim scandalum esset, si quis, in actu occultae compensationis deprehensus et in jus vocatus, coram judice confiteretur, se consilio sui patris spiritualis ad eandem esse adhortatum! Proprio igitur motu confessarius occultam compensationem poenitenti nunquam insinuet. Interrogatus, an sit licita, sane contra communem theologorum opinionem nequit eam qua illicitam damnare, si condiciones particulares legitime excusant; respondeat, Ecclesiae doctores eam absolute non condemnare, simul tamen moneat, scandala, temerarias suspiciones, periculum duplicis solutionis aliaque incommoda exinde oriri; tandem concludat, se eam suadere non posse; si monito acquiescere noluerit, adeat aliquem prudentem virum familiarem ejusque consilio obtemperet. Si poenitens propria auctoritate occultam compensationem jam procuravit, scrutetur confessarius ejus bonam fidem et condiciones supra indicatas: si condiciones ex parte justitiae in casu deerant, poenitentem ad restitutionem obliget; si condiciones tantum ex parte honestatis non sunt servatae, ad dolorem pro peccato excitet; tandem si omnia ordinate et composite sunt peracta, cum tacita pace poenitentem remittat.

LIBER TERTIUS.

De Restitutione.

1. Restitutio definiri solet: *actus justitiae commutativae, quo res aliena, injuste ablata aut destructa, in se vel aequivalenter legitimo domino redditur.* «Restituere, ait d. Thomas, nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suae» [1]. Quam sint confessariis *scitu necessaria restitutionis principia*, satis declarat S. Alphonsus, qui tractatus de Restitutione et de Contractibus hisce verbis aggreditur: «hi (*tractatus*), cum permultis implicatissimis quaestionibus et dubiis solutu difficillimis conferti sint, maxima digni sunt animadversione et ad praxim ita scitu necessarii, ut si in his confessarii non bene sint versati, eos in multa offendicula incurrere oporteat» [2]. Re enim vera confessarius, cui vi muneris sui in tribunali poenitentiae animos, a via aberrantes, ad rectum tramitem redigere oportet, aeque angi merito potest, si ad restitutionem obliget poenitentes, qui ad eam non tenentur, ac si ab eadem eos liberet, qui restituere debent. Imo, si quo modo in excipiendis confessionibus causa positiva efficitur, quod aut debita restitutio negligitur, aut indebita peragitur, damnum, alicui exinde obveniens, reparandum in se suscipit.

---

1) 2. 2. q. 62 art. 1.

2) S. Alphonsus, lib. IV, n. 547.

DE RESTITUTIONE IN GENERE.

2. Quae de restitutione uberius sunt enucleanda, duabus partibus comprehendi possunt, quarum in prima principia generalia restitutionis explicantur, in altera vero singulae considerantur causae. quae ad damna specie diversa reparanda obligant.

In parte prima de restitutione quatuor in genere sunt inquirenda: *obligatio restitutionis*, *radices*, quibus haec obligatio innititur. *circumstantiae*, sub quibus restitutionem exequi oportet, tandem *singulares causae*, quae restitutionis obligationem aliquando aut prorsus tollunt, aut ad tempus suspendunt.

Cap. I. **Obligatio restituendi.**

Peccata contra justitiam commutativam id prae ceteris habent singulare, quod praeter communes condiciones, in reconciliatione peccatoris cum Deo necessarias, ut remitti possint, plenam juris violati reparationem in re, aut si id fieri nequit, saltem in voto postulant. Cujus rei ratio non tantum praecepto Dei positivo et auctoritati Patrum Ecclesiae innititur, sed ex ipsa horum peccatorum natura satis aperte deducitur. Nihilominus theologi Ecclesiae Gr.-Rossicae hoc caput doctrinae morum silentio praetereunt nec restitutionem rigorose urgere videntur.

3. *Obligatio restitutionis ex Litteris Sacris* non conjectura deducitur. sed aperte exigitur. *Si laeserit quispiam agrum aut vineam... pro damni aestimatione restituet.* Exod. XXII, 5. Pariter Ezechiel XXXIII, 15, cum enumerat condiciones, quae requiruntur, ut impius per poenitentiam vita vivat et non moriatur, etiam hanc apponit: *si pignus restituerit rapinamqua reddiderit.* Singulari cum sollitatione in Novo Test. S. Jacobus reparationem injuriae alienae urget, cum ipsum Deum Sabaoth hujus vindicem animose declarat: *ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit* (V, 4). *Ex Patribus* ad hanc doctrinam, tam aliunde apertam, confirmandam solum S. Augustinum allegare sufficit, cujus verba ex epist. ad Macedonium instar proverbii in ore omnium versantur: «non remittetur peccatum, nisi restituatur

ablatum, cum restitui potest» [1]. *Ipsa ratio* hanc sententiam s. Patris confirmat: peccatum remitti non potest, nisi reus iniquum consilium mutet et a via prava discedat; sed ille, qui, cum restituere potest, id tamen negligit, a pravo consilio vere non discedit, ecquidem legitimum dominum re sua vel ejus usu fraudare pergit, cum tamen rectus ordo postulet, ut quisque sua secum habeat.

4. Obligatio reparandi jus proximi violatum tam *alte mentibus fidelium* est infixa, ut non raro vulgus credere deprehenditur, animas defunctorum tamdiu in purgatorio detineri, donec restitutio ab heredibus facta fuerit, et aliquando vivis apparuisse, deprecantes, ut a flammis purgatorii per debitam restitutionem liberarentur. Hoc sane in album fictarum fabularum referri debet, nam quisque propriam tantum culpam luit, in quantum id, quod debuit et potuit, suo tempore peragere scienter neglexit, nec potest ob negligentiam heredum cruciari. Restitutio ab heredibus facta non aliter defunctis prodesse potest, ac preces et omnia alia bona opera, vc. per modum suffragii, et dummodo ne ad inferos, ubi nulla est redemtio, defunctus jam sit condemnatus.

Non defuerunt pariter theologi, qui restitutionem ultra modum urgerent, eamque ad salutem necessitate medii esse necessariam sine ratione affirmarent. Necessitate medii id esse necessarium dicitur, quod ex se est ordinatum ad aliquod, saluti prorsus indispensabile, obtinendum; cujusmodi est necessitas baptismi, aut fidei in Deum existentem et remunerantem. Restitutio utique dici potest ad salutem necessaria, nam non forum tantum externum, sed aeque internum ligat, ejusque gravis omissio, quemadmodum quodvis peccatum mortale, e regno coelorum excludit. Verum haec necessitas restitutionis non est tanta, quae ex se, aut ex voluntate divina ad salutem qua medium indispensabile ordinetur, cum aliunde constet, ipsas privatas possessiones non esse hominibus absolute necessarias. Insuper de iis, quae necessitate medii sunt hominibus necessaria, ipsa ignorantia inculpabilis non excusat; non ita se res habet cum restitutione.

Error tamen hic quorundam theologorum, quemadmodum ille sat communis plebis christianae, satis ostendunt, quam alte mentibus fidelium inhaereat persuasio de necessitate restitutionis et quam sit alienum a spiritu christiano gravari injuria aliena.

---

[1] Haec verba sunt inserta etiam Decreto Gratiani, cap. *Si res aliena*, caus. XIV, q. 6; et Catech. Rom., p. III, c. 8, n. 8.

5. Quamquam obligatio restitutionis est vel maxime necessaria, non semper tamen in re exequi vel perfici potest; quod autem homini est impossibile, Deus Optimus exigere non vult. Quapropter, qui in ea rerum condicione versatur, ut ad reperandam alienam injuriam actu *non valeat, a restitutione in re, non tamen a restitutione in voto eximitur:* semper enim esse dispositus debet, ut restituere saltem velit, quando poterit; alioquin affectum ad rem malam, quae est injuria, foveret. Imo, non sufficit merum votum aut propositum inerme restituendi, sed necesse est, si praesto sunt, ne praetermittantur media efficacia, quibus impedimenta restitutionis removeantur. Qui aut non restituunt, quando ad id valent, aut sincere nolunt removere obstacula, quae restitutionem faciunt impossibilem, contra VII Decalogi praeceptum peccant, eoque gravius, quo major proximo injuria est illata, vel quo quis magis ex aliena substantia injuste ditior est factus.

6. Qui proximum *gravi injuria* affecit, saltem ad illam partem, quamvis in se fortasse parvam, sub peccato mortali reparandam obligatur, qua deducta, materia injuriae levis tantum supersit. Qui proximo *leve tantum detrimentom* adtulit, sub peccato levi et incommodo rei proportionato ad illud repandum tenetur; facilius vero haberi potest tunc ratio, quae reum a restitutione praesertim ipso domino facienda eximat. Tandem *qui plures proprietarios*, singulos tamen in materia parva, defraudavit, sub gravi prohibetur, quominus eam quantitatem sibi retineat, quae materiam gravis peccati constituat, ne vc. ex re aliena notabiliter injuste ditescat. Singulos tamen proprietarios sub levi tantum indemnes facere tenetur, cum nemo eorum gravem injuriam sit passus. Si autem quae difficultas in restitutione singulis facienda occurrit, facile permitti potest, ut res alienae pauperibus, in pias causas, aut etiam in publicam utilitatem erogentur. *Quando quantitas rei alienae* injuste ablatae, aut damni proprietario illati *prorsus ignoratur*, post sufficiens examen supponitur, quod est minus. Nihilominus *si ipsa injuria proxima est in se satis cognita*, et tantum dubitatur, an dominus ratione opulentiae exinde graviter sit laesus, expedit urgere, ut restitutio ipsi legitimo proprietario fiat, ne hic periculo grave damnum subeundi exponatur.

7. Theologi disputant, *utrum praeceptum restitutionis sit affirmativum, an vero negativum.* Primo obtutu esse videtur affirmativum, cum restitutio, qua alteri debitum redditur, actu positivo perficiatur. Reipsa tamen primario est praeceptum negativum, nam in id tendit, ne res aliena injuste retineatur; insuper omissio restitutionis aequiparatur

furto, quod praecepto negativo prohibetur. Praecepta autem negativa id sibi proprium habent, quod semper et pro semper obligant; quae proprietas aeque obligationi restitutionis est communis. Nihilominus ipsa dilatio restitutionis peccatum furti probabilius non multiplicat, quando prava voluntas non restituendi habitualiter perseverat, quamquam ipsa gravitas hujus peccati tempore augetur: eo enim majus damnum proximus patitur, quo longiore tempore ipse non tantum re sua, sed etiam ejus usu et fructu privatur; ideo in confessione interdum oportet etiam temporis circumstantiam declarare, si legitimus dominus ob solam restitutionis dilationem non parvo detrimento afficitur.

8. *Restitutio ordinarie in eodem bonorum genere* seu ordine et in eadem specie est facienda. Quatuor sunt principes bonorum ordines: in ordine supremo sunt bona animae naturalia et supernaturalia, ut scientia, memoria, libertas, innocentia, virtus, gratia. In ordine secundo aestimatur vita humana, quod est fundamentum ceterorum bonorum et bonum naturae substantiale. Tertio loco sequitur honor et bona fama, quae est auro et argento pretiosior et post mortem valere non cessat. In ordine infimo bona fortunae ponuntur. Quaevis horum bonorum laesio, quantum fieri potest, in suo ordine et specie est reparanda. Si per injuriam in uno genere illatam, simul etiam in alio proximus damnum patitur, restitutio in utroque ordine est facienda. Ita, qui proximum de bona aestimatione injuste detraxit et perinde officio fructuoso privavit, simul et bonam famam, et damnum temporale resarcire debet. Non raro tamen contingit, ut injuria proximo facta, in eodem bonorum genere sit irreparabilis, ut in homicidio, vulneratione, stupro, aliisque similibus. *Quaeritur, utrum* tunc temporis *in alio genere*, v. gr. per pecuniariam recompensationem *restitutio sit obligatoria?*

9. *Sententia affirmativa* erat communior apud veteres theologos; ex recentioribus eam sequuntur Billuart et Carrière [1]. Cui sententiae favere videtur Exod. XXI, 26: *si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillae et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit.* Patroni hujus sententiae provocant ad auctoritatem d. Thomae, qui ita scribit: «quando id, quod est ablatum, non est restituibile, per aliud aequale debet fieri recompensatio, qualis possibilis est, puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque per-

[1] Billuart, D. X, art. 11, § 1; Carrière, *De Justitia*, t. III, n. 1273.

sonae secundum arbitrium boni viri» [1]). Ratio, cui haec sententia affirmativa innititur, haec adferri solet: quamquam injuria per bona alterius generis ad perfectam aequalitatem compensari nequit, attamen saltem minui et proprietario laeso tolerabilior fieri potest: quemadmodum damnum, dum totum reparari non potest, saltem ejus pars est resarcienda, ita etiam in illo eventu idem est observandum.

10. *Sententia negativa* apud recentiores est fere communis, quam insuper ex veteribus gravissimi theologi tuentur [2]). Plures pro hac opinione allegari possunt rationes, sed gravissima est, quam S. Alphonsus indicat: «justitia commutativa obligat ad restitutionem juxta aequalitatem damni illati; ubi autem restitutio facienda est in genere diverso, nulla adest aequalitas, nec ulla erit unquam compensatio damni: per quamcunque enim pecuniam damnum (*v. gr. in corpore, in fama*) minime reparabitur, neque in toto, neque in parte». Revera, justitia commutativa in id tendit, ut quisque habeat, quod est suum; sed etiamsi restitutio pecuniaria pro vita vel membro exhibeatur, nihilominus laesus nondum habebit, quod est suum, nam adhuc suo membro ablato aut vita, sicut prius, totaliter carebit; ergo pecunia illa nihil conducit ad formale intentum justitiae commutativae.

Insuper, id etiam animadvertere licet: si opinio de restitutione rigorosa, etiam in diverso bonorum genere, qua obligatorie facienda, admitteretur, haec *in usu vitae inexpugnabiles crearet difficultates*, cum inter bona diversi ordinis nulla communis mensura habeatur: quae enim in singulis casibus restitutio pecuniaria rigorose imponi possit pro adulterio, diffamatione, stupro? Gravitas harum injuriarum quam maxime a condicione hominis laesi pendet, neque idem est v. gr. pretium viro rustico, docto, aut rectori provinciarum. Ideo restitutio stricta in diverso bonorum genere rigorose imponi non potest.

11. Nihilominus etiam patroni hujus negativae sententiae certo probabilioris libenter fatentur, pro injuria, in suo genere irreparabili, judicem vel superiorem posse *quandam satisfactionem ex bonis alterius generis ratione poenae praecipere;* hoc modo etiam illud Exod. XXI, 26 interpretatur. Pariter, ipse injuriā laesus, cum jus habeat coram judice

---

[1]) 2. 2. q. 62, art. 2.

[2]) Lessius, lib. II, cap. 9, n. 141; Lugo, Disp. XI, n. 5—13; Laymann, lib. III, sec. V, tr. 3; Lacroix, lib. III, p. II, n. 299; S. Alphonsus, lib. IV, n. 627; Sporer, VIII pr. c. 6, n. 127.

reum denuntiandi, a quo est damnum injuste passus, potest certe ab ipso pecuniam accipere, ut denuntiationem omittat. Ita, mulier, ab aliquo vi corrupta, cum jus habeat stupratorem ad judicem compellendi, etiam pecuniam a reo fas est ei exigere, ut juri suo renuntiet. Ipse S. Alphonsus supra allatae sententiae suae subjungit: «communiter tamen praefati auctores monent, congruum esse, ut confessarius imponat poenitenti pro poenitentia vel ex aequitate aliquid laeso elargiendum». Homines divites et nobiles respuere solent satisfactionem pecuniariam tanquam vilem et ipsis indignam; in eorum ergo gratiam imponi potest poenitenti, ut veniam petat, absequium et honorem praestet, aut Deum Omnipotentem pro ipsis deprecetur. Contra, homines pauperes et egeni saticfactionem pecuniariam magni aestimant.

12. **Pro usu confessariorum** ex obligatione restitutionis haec corrolaria deduci possunt. Cum restitutio in materia gravi sub peccato mortali obliget et vi suae naturae, qua praeceptum negativum, conscientiam semper et pro semper liget, ideo absolutione sunt indigni, qui aliena injuria gravati firmum propositum sine mora restitutionem exequendi non habent, quamquam restituere possunt. Hujusmodi merito esse censentur poenitentes, a) qui bis aut ter in tribunali poenitentiae se restituturos esse promiserunt, tamen sine sufficienter gravi ratione promisso non steterunt. Generatim, nisi singularis gravis ratio contrarium suadeat, confessariis maxime commendatur, ut prius restitutionem exequendam curent et deinceps absolutionem poenitenti concedant: «quia, ut sapienter S. Liguorius animadvertit, bona sunt instar sanguinis, qui a venis non eruitur nisi cum magna vi et dolore; unde si restitutio non fit ante absolutionem, cum difficultate maxima fit postea, ut experientia admodum docemur» [1]. Ant. Ballerini, qui rigorismi certe accusari nequit, idem suadet: «etiamsi confessarius poenitentem judicet prorsus paratum ad implendam quantocius restituendi obligationem, nisi tamen aliud circumstantiae suadeant, expedit, ut a periculo, quod ab inconstantia illius timeri potest, illum eripiat» [2].

13. b) Indigni sunt absolutione, qui, cum ad reparandum damnum statim non valent, affirmant quidem se votum restituendi habere, *nulla tamen aut vix ulla pro suis viribus tentant media* ad illam facultatem sibi comparandam. Indigni igitur sunt absolutione debitores, qui *suos*

---

[1]) S. Alphonsus, *Praxis Conf.*, n. 43.

[1]) Ant. Ballerini, *Adnot. ad Gury*, t. I, n. 632.

quotidianos sumptus pro victu, vestitu, famulatu, in quantum pro sua condicione valent, *minuere nolunt*, ut creditoribus satisfacere possint. Idem est dicendum de iis, qui debitis onerati liberalius vivunt, lautasque epulas instituunt, simulque praevident fore, ut ad debita suo tempore solvenda non valeant. Tandem ejusdem farinae sunt *famuli et operarii*, qui pro reparanda injuria, quando alia ratione restituere non possunt, operas suas domino laeso gratis locare nolunt, nisi egestate propriae familiae ab hoc excusentur.

14. c) Indigni sunt absolutione: qui, cum totam injuriam illatam reparare possunt, *tantummodo ejus partem exequi volunt*, si pars, in qua deficere intendunt, materiam gravem adaequat; *qui nihil restituere* volunt, cum saltem partem possunt, et res divisionem permittit; tandem *qui restitutionem usque ad mortem differunt:* non tantum enim domino laeso ex dilatione majus damnum infertur, sed ipsi obligationi tali pacto male prospicitur, nam et mors inopinate appropinquare solet, et heredes vel promisso non semper stant, vel ad calendas graecas executionem procrastinare possunt.

d) Indigni sunt absolutione, qui se ab obligatione restitutionis liberare conantur, *eleemosynas Ecclesiae vel pauperibus promittendo*, nolunt autem sine gravissima et sufficiente ratione ipsum dominum laesum facere indemnem. Restitutionis obligationi tunc tantum per eleemosynas satisfieri potest, quando dominus aut prorsus ignoratur, aut vix quidem moraliter adiri potest. Neque ex eo se excusare illi possunt, quod Christus, cum pharisaeorum rapinam et iniquitatem increpasset, nulla restitutionis mentione facta, simpliciter dixit: *verumtamen, quod superest, date eleemosynas, et ecce omnia munda sunt vobis* (Luc. XI, 41). Salvator enim per ironiam hic locutus esse probabilius putatur, aut fortasse adhortabatur ad eleemosynas elargiendas qua optimum medium, Dei gratiam et adjutorium obtinendi ad obligationem alacrius adimplendam.

15. Quemadmodum semper et ubique, ita pariter in omnibus modo enumeratis casibus confessarius oblivisci non debet gravissimae rei, quae est *prudentia*. Utique indemnitas domini injuste laesi, quantum fieri potest, certe est procuranda; non tamen ideo bonum spirituale poenitentis, quod est gravius, discrimini est exponendum. Si igitur poenitens restitutioni obnoxius *in bona fide* versatur et confessarius prorsus est persuasus, suum monitum exequendi restitutionem minime esse profuturum, potius monere omittat et poenitentem suae conscien-

tiae pacatae relinquat. S. Alphonsus, qui suam sententiam auctoritate Lugonis, Laymanni aliorumque theologorum confirmat, ita hac in causa dicit: «si enim confessarius magna cum prudentia officio suo fungi debet, quomodo prudenter se geret, si poenitentem monebit, praevidens, quod ille animae detrimentum sit passurus, et e converso damnum creditoris non sit amovendum» [1]. Altera tamen ex parte *sine firmo fundamento non est praesumendum, admonitionem nihil esse profuturam;* in dubio melior est condicio ejus, qui est in certa possessione juris, vc. domini laesi, cujus indemnitas est procuranda; et potius innocenti, quam nocenti est in dubio favendum. Insuper confessarius ne facile jam animo cadat nec de meliore mente poenitentis desperet, si suo monito non statim effectum desideratum obtinet: praesto enim sunt ei non pauca media in thesauro misericordiae divinae ad durum poenitentis animum flectendum. Dei igitur adjutorium deprecando invocet nec moniti a S. Paulo tantopere commendati obliviscatur: *insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (2. Tim. IV, 2).

16. **In articulo mortis** cum poenitentibus restitutioni obnoxiis haec sunt in specie observanda: *si fructus adhortationis speratur, aut poenitens in mala fide* et ignorantia graviter culpabili versatur, fortiter simulque suaviter de sua obligatione est monendus et in ea proxime exequenda pro viribus adjuvandus; qui moribundus sine gravi incommodo ipse statim restitutionem facere non vult, ob malam conscientiam absolutione certe est indignus. *Si restitutio ob gravem causam statim ab ipso poenitente fieri nequit* et ipsa obligatio *ex occulto delicto* est contracta, prospiciendum est bonae famae moribundi: monendus est igitur, ut congruam pecuniae quantitatem viro fideli, aut si aliter fieri nequit, ipsi confessario eo fine tradat, ut haec creditoribus secreto remittatur. Confessarius ordinarie sine sufficiente ratione non debet esse nimis promptus ad hoc munus in se suscipiendum, ne forte quandam suspicionem immerito moveat. Si obligatio restitutionis *e causa honesta, aut inhonesta quidem sed omnibus nota* ab infirmo est contracta, neque ejus executio statim fieri potest, confessarius curet, ut haec aut firmo testamento heredibus imponatur, aut quod est tutius, syngrapha creditoribus detur. Tandem, si nec causa moram patitur, neque ullus honestus restituendi modus prudenter sine suspicione sup-

[1] S. Alphonsus, lib. IV, n. 682; *Praxis Confes.*, n. 44.

peditari potest, suadendum est moribundo, ut Dei misericordiae se commendet et per heredes testamento curet multas Missas celebrandas, eleemosynas pauperibus elargiendas etc.

Cap. II. De radicibus restitutionis.

17. *Radix restitutionis intelligitur causa, ex qua obligatio restituendi nascitur.* Radix restitutionis remota et generalis est omnis realis laesio justitiae commutativae. Radix proxima et specialis est per se duplex: injusta possessio rei alienae et injusta damnificatio; in illa restitutionis mensura est ipsa res aliena injuste accepta, in hac—gravitas damni, ex actione formaliter injusta proximo obvenientis. Hisce duabus radicibus theologi addere solent tertiam—injustam cooperationem, quae tamen novam propriam radicem non constituit; nam in singulis casibus aut cum acceptione rei alienae, aut cum injusta damnificatione convenit. A theologis majoris tantum claritatis causa separatim explicatur. Haberi autem ipsa tunc censetur, quando restituendi obligatio simul pluribus injustis possessoribus aut damnificatoribus, non eodem tamen tenore, obtingit.

De acceptione rei alienae in genere.

18. Prima restitutionis radix est injusta rei alienae acceptio aut potius ejus retentio, legitimo domino rationabiliter invito. Cum autem injustus rei alienae possessor esse possit in bona, mala, aut dubia fide, cumque non eaedem uniuscujusque sint obligationes, ideo de singulis separatim disseremus. Quaedam tamen principia communia praemittere expedit, quae singulis casibus in hac causa solvendis prosunt et instar axiomatum ab omnibus comprobantur. Principium fundamentale, ex quo alia sponte nascuntur, est sententia communis: *solus rei dominus habet jus eandem possidendi et ejus fructus percipiendi,* nec suum jus amittit, nisi aut ipse voluntarie ei renuntiet, aut justa lege privetur. Ex hoc principio id tantum excipitur, quod etiam possessor rei alienae legitimo domino per accidens aequiparatur, quamdiu ex errore invincibili rem esse suam credit.

Ex principio fundamentali haec tria communiter nota deducuntur consectaria: a) *res domino clamat,* vc. dominus, quousque est legitimus

dominus et rei neque ex parte neque ex toto renuntiavit, habet jus strictum eandem repetendi, ad quascunque manus ipsa pervenerit, ubicunque eam repererit. b) Quemadmodum res domino clamat, quamdiu existit, ita clamare cessat, naturali sua condicione periendo; exinde dicitur *res naturaliter domino perire;* cui sententiae consulto apponitur verbum «*naturaliter*»: nam si res non ex sua nativa condicione, ut morbo, defectu, naturali causa, sed ex culpa theologica alterius perit, non dominus sed destructor ejus periculum et detrimentum in se suscipit. c) *Res domino fructificat*, quod principium sermone negativo enuntiatum sonat: *nemo ex re aliena locupletari potest.* Utrumque ex ipsa natura perfecti dominii sponte concluditur; dominium enim in se complectitur non solum jus rem possidendi, sed et ejus emolumenta percipiendi. Quae ex hisce generalibus principiis per accidens excipiuntur, continuo in decursu rerum considerabimus.

a) *Possessor rei alienae cum bona fide.*

19. Possessor rei alienae, quamdiu est firmiter persuasus, rem esse suam, aequiparatur per accidens legitimo domino et rem sibi retinendo non agit contra conscientiam, licet erroneam. Ubi primum tamen suum errorem perspexit, nisi jam legitime praescripserit, rem alienam, sive in toto, sive ex parte subsistentem, legitimo domino, cui res clamat, reddere debet. Verumtamen rem restituendo, nihil exinde nocumenti sine culpa pati tenetur: potest sumptus, in conservanda re aliena factos, sibi pro aequitata recompensare; nam sicut ex re aliena locupletari nequit, ita nec quidquam perdere sine culpa tenetur; in solo conflictu jurium inter possessorem et legitimum dominium, hic jure potior esse judicatur. Tandem si res aliena neque in se ipsa, neque in re aequivalente amplius subsitit, obligatio restitutionis plene cessat: non enim ex titulo retentionis possessor ad restitutionem obligatur, cum res non existens amplius non retineatur; neque obligari potest ex titulo damni illati, cum possesor bonae fidei sine sulpa egisse supponatur [1]).

20. Haec de possessore bonae fidei simpliciter et generatim dicta non tam facile singulis casibus solvendis accomodari solent: vita humana non est tam simplex et plana [2]), sicut principia, quibus moderari debet,

---

[1]) Idem plane Jus Rossicum decernit: Гражд. Зак. *ст. 634.*

[2]) Versicolor est picus, magis tamen versicolor est vita hominum, dicit proverbium lithuanicum: *Genys margas, žmoniu gyvenimas dar margesnis.*

et in usu non semel casus sat implicatos praebet. Quamobrem, majoris claritatis gratia separatim inquiremus in obligationes et jura possessoris: 1) relate ad rem alienam, quam adhuc ipse tenet; 2) relate ad rem, quam aliquando tenebat; 3) relate ad fructus, quos percepit; 4) tandem relate ad sumptus, quos in aliena re conservanda fecit.

I. **Possessor, qui adhuc tenet rem alienam** vel ejus aequivalens, ex quo tempore aut deprehendit, rem certo non esse suam, aut saltem rationabiliter dubitare incipit, an sit sua. et nihilominus *sine examine in possessione sua tranquillus permanet*, possessor efficitur malae aut dubiae fidei, de quo infra disputabitur.

Qui, cognito suo errore, vult rem legitimo domino reddere, *ignorat tamen, quisnam sit ille dominus,* habendus est uti inventor rei nuper amissae, de quo *vd. lib. I, nn. 149—155.*

21. *Si dominus legitimus apparet statim*, ac res esse aliena cognoscitur, tunc est distinguendum, utrum possessor eam titulo gratuito. an oneroso obtinuerit; nam non eaedem sunt in utroque casu obligationes possessoris.

Res aliena, quae *titulo gratuito* (dono) accepta possidetur, sine ulla remuneratione gratis domino continuo est reddenda, nam donatio rei alienae est invalida. Attamen si donator, detecto suo errore, ipse legitimo domino satisfacere est paratus, sane donatarius ab obligatione restituendi liberatur.

Si res aliena *titulo oneroso*, puta ex emptione, possidetur, aeque gratis legitimo domino est reddenda, nam contractus emptionis erat invalidus, et res domino clamat. Emptor tamen actionem personalem habet contra venditorem, a quo pretium solutum repetere potest. ut indemnis fiat. Ex hac regula juris naturalis excipit *Cod. Nap. art. 2200* casum, quo res aliena bona fide in nundinis, in foro publico, sub hasta, aut a mercatore, hujusmodi res ordinarie vendente, emitur. Quo in casu possessor rei alienae, bona fide emptae, legitimo domino rem restituere non tenetur, nisi prius pretium solutum ab ipso recipiat; est jam ipsius domini recuperare a venditore pretium erogatum. Haec juris civilis sanctio, ad securitatem commercii publici lata, quamquam a quibusdam theologis acriter impugnatur, probabilius etiam in conscientia valet [1]). Jus Rossicum hac in causa cum jure naturali concor-

---

[1]) Cf. **Carrière**, t. III, n. 1041; **Pruner**, p. 703, nota 1; **Waffelaert**, t. I, n. 249.

dat et rem alienam, etiam in loco publico bona fide emptam, legitimo domino gratis reddendam esse dicit; nonnisi venditio publica auctoritate facta (*судебными властями съ публичнаго торга*) plenam dat emptori securitatem, ita ut ad nihil erga legitimum dominum hic obligetur et rem emptam sibi retinere possit. Legitimus dominus suum damnum a venditore reparandum petere debet [1]).

22. Sed jam non parva difficultas exoritur in hypothesi, quando possessor rem alienam legitimo domino gratis reddere debet, *ipse tamen pretium pro ea in emptione erogatum recuperare non potest;* nascitur enim tunc temporis conflictus jurium inter possessorem, qui sine culpa sua non videtur esse obligandus ad damnum subeundum et inter legitimum proprietarium, cujus res in individuo adhuc existens domino clamat. Generatim in conflictu jurium potior esse censetur legitimus dominus; in singulis vero casibus haec sunt observanda:

In casu evictionis, quando vc. dominus rei apparet et eam sibi vindicat, possessor eandem ipsi reddere debet, etiamsi pretium solutum a venditore recuperandi nullam spem habeat; nam dominus rem suam legitime postulat et est jure potior, quam infelix emptor, qui damnum propriae imprudentiae imputare debet. Contingere hic casus solet in emptione rerum, quae ignorantur esse furtivae, detecto autem errore, fur-venditor fugam capit et disparet.

23. In casu, quo *dominus est quidem notus, rem tamen suam* propter ignorantiam *non vindicat,* possessor, qui eandem bona fide emit, probabilius non tenetur cum pretii jactura domino sua sponte eam restituere, sed potest eam venditori reddere, si hic modus solus et nulla alia honesta ratio ad erogatum pretium sibi recuperandum remanet [2]). Cujus sententiae has rationes S. Alphonsus allegat: «prima, quia non teneris rem domino servare cum tuo damno et ideo potes permittere, ut fur rem illam recipiat, ne pretium tuum amittas. Prout, si rem alienam in via inventam abstulisti et postea scias, damnum te passurum, si eam retineas, bene potes illam in eodem loco reponere et per-

---

[1]) Гражд. Зак., ст. 1512; Уставъ Гражд. Суд. ст. 1061.

[2]) Contrarium tenet Molina, qui ad suam pecuniam recureparandam tunc nonnisi rem furi reddere permittit «quando verisimile admodum est, reddendo rem furi, nullum damnum esse incursurum rei dominum, quia vel fur sua sponte illam domino restituet, vel facile dominus et absque ulla molestia et incommodo eam ex illo recuperabit». *Disp. 722, n. 1.*

mittere, ut alter auferat, licet id faciendo, in deteriorem statum rem immittas. Secunda ratio, quia cum quisque jus habeat ad sua bona recuperanda, nemini interdicitur actio illa, quae per se est necessaria et directa ad suum damnum reparandum, licet indirecte et per accidens damnum alteri obveniat» [1]).

Tandem in casu, quo *venditor reperiri non potest*, aut acceptum pretium emptori-possessori reddere non vult, hic, cognito legitimo domino, rem ejus neque aliis vendere, neque in proprium usum retinere potest, sed etiam cum pretii jactura legitimo domino restituere debet; nam contractus emptionis, licet bona fide initus, in casu est invalidus, res autem domino clamat.

24. II. **Qui rem alienam bona fide tenebat,** sed nunc jam amplius eam non possidet, nisi exinde ditior evaserit, cognito suo errore, generatim ad nihil obligatur. Si aliquod emolumentum percepit, hoc restituere domino debet. Ditior factus ille hic intelligitur, qui aut suae rei pepercit, dum aliena utebatur, aut aliquod habet, quod secus non haberet. Qui post examen, causae congruens, adhuc dubitat, an ditior evaserit, ad nihil restituendum tenetur, nam in dubio melior est condicio possidentis. Haec est regula generalis, quae tamen, aliis circumstantiis accedentibus, paulisper in singulis casibus immutatur:

Qui rem alienam bona fide tertiae personae *dono dedit*, ad nihil obligatur, si donatarius, cognito errore, rem dono acceptam legitimo domino ipse restituit. Cum tamen id non semper contingere soleat, ideo donator aliquando ad nihil obligatur, aliquando restitutionis obligationem subit. Qua in causa haec sunt observanda: Si donator, etiam cognito suo errore, aeque e propriis opibus dono rem daret, tunc domino tantum restituere debet, quantum rebus suis pepercit, rem alienam pro sua liberaliter elargiendo. Si autem, errore perspecto, ex suis nihil daret, nihil pariter restituere debet, nam nec ditior est factus, nec causa formalis fuit alieni detrimenti. Tenetur tamen in hoc casu donator aut monere donatarium, ut rem legitimo domino restituat, aut ipsi domino indicare, ubi res sua habeatur. Utrum ad hoc monitum donator e sola caritate, an etiam ex justitia obligetur, inter theologos disputatur. Probabilius ad id ex justitia est obligatus, nam par est damnificatori materiali, qui damnum, e sua actione alteri obveniens, quantum sine magno incommodo potest, praecavere debet; secus fit damnificator formalis.

---

[1]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 569.

25. Qui rem alienam *dono acceptam tertiae personae vendidit*, pretium exinde acceptum sibi retinere nequit, nam et donatio et subsequens venditio fuerunt invalidae: objectum enim earum fuit res aliena. Acceptum pretium restitui debet vel emptori, si hic evictus et a legitimo domino est re privatus, vel domino, si res bona fide vendita recuperari amplius non potest; censetur vero non posse recuperari, si emptor aut disparuit, aut rem jam consumpsit. — Singularis difficultas oritur in casu, quo res aliena dono acepta et deinceps vendita, tandem *apud emptorem sine ejus culpa perit*. Quaeritur, cui venditor pretium reddere debeat? Alii restituendum esse dicunt empori: res, quae sine culpa perit, domino naturaliter perit; venditio rei alienae erat invalida, ergo emptor bonae fidei habet jus ad suam pecuniam recuperandam. Alii aeque probabiliter arbitrantur, pretium ex venditione acceptum domino esse restituendum: vinditio rei alienae, bona fide peracta, non plene est invalida, sed rescindibitis, et in casu nostro non magis emptori nocet, quam si vera esset; domino est restituenda pecunia, nam, deficiente ipsa re sua, ejus aequivalens domino clamat. Nihilominus etiam hujus opinionis patroni consentiunt, pecuniam non domino, sed emptori esse restituendam, si res aeque apud quemcunque e vitio intrinseco certo periisset.

26. Qui rem alienam *bona fide emptam eodem pretio alteri vendidit*, in casu, quo periculum sibi imminet erogatam pecuniam non recuperandi, detecto suo errore, non tenetur aut emptorem monere, ut rem domino restituat, aut ipsi domino indicare, ubi res sua reperiatur: non obligatur monere emptorem, nam huic error nihil nocet; non obligatur ad hoc ex justitia etiam erga dominum, cum rem ejus non amplius habeat, nec sit causa formalis, cur hic re sua privetur. Sed nec ratione caritatis ad hoc tenetur, nam caritas obligare non solet, ut quis cum aequali proprio damno alienam indemnitatem curet [1]). Ergo si res aliena bona fide empta et sine ullo lucro vendita tandem apud ultimum emptorem consumitur, causa est finita.

Non idem valet *in casu evictionis:* qui rem alienam bona fide emit et deinde alteri vendidit, in casu quo haec a domino suo cognoscitur et vindicatur (evictio), pretium acceptum emptori est reddendum. Cujus rei haec est ratio: emptori ultimo, apud quem res aliena a suo domino detegitur, hanc sane nefas est retinere: res domino clamat; sed cum rem domino reddit, non est justum, ut aliquod damnum sine culpa exinde subeat:

---

[1]) Cf. S. Alphonsus, lib. IV, n. 601; Lugo, Disp. XVII, n. 110.

habet jus a venditore exigendi erogatam pecuniam. Alii, ut Lugo [1]), hoc jus deducunt ex implicito pacto, quo venditor erga emptorem se obligat ad eum indemnem faciendum, si aliquis error substantialis in venditione intercedat. Alii vero illud concludunt ex nullitate contractus, quo res aliena venditur. Venditor bonae fidei etiam habet jus suum venditorem urgendi, ut pecuniam acceptam. Quapropter, si res aliena titulo venditionis in manus plurium possessorum successive transierit, ultimus possessor rem domino vindicanti reddere debet, et singuli emptores habent jus persequendi suum venditorem, ut pecuniam acceptam reddat. Si quis emptor intermedius a suo venditore pretium solutum obtinere non potest, ipse sibi imprudentiam imputet; alii erga eum ad nihil obligantur.

Quod de casu evictionis affirmamus, fere idem tenendum est in hypothesi, qua *emptor ultimus non admonitus, sed sponte rem domino restituit;* etiam tunc emptor non privatur jure pecuniam solutam recuperandi a venditore, nisi sane sua imprudentia vel mala voluntate per acceleratam restitutionem fiat causa, cur venditor a suo antecedente venditore ad pecuniam suam recuperandam amplius non valeat. Ita Lugo: «si ille, cui rem alienam bona fide vendidisti, te non admonito, domino restituit et ea de causa non potes tu postea pretium recuperare ab eo, qui tibi vendiderat, non teneri te ad pretium ei reddendum; quia damnum, quod tu ei intulisti vendendo rem alienam, ipse tibi vicissim intulit, sua accelerata restitutione impediendo, ne pretium tuum recuperare posses» [2]).

27. III. Restitutione rei alienae, quando ipsa est necessaria, legitimo domino facta, non semper tota jam causa statim componitur. Res aliena tempore, quo bona fide ab alio possessore detinetur, aut *fructus* secum afferre, aut etiam *sumptus* pro sua conservatione exigere potest. Quapropter recte quaeri potest, cuinam vc. domino rei, an alieno possessori hoc in casu adjudicandi sint fructus, et uter ex hisce onera conservationis subire debeat. Qua in causa alia sunt certa, alia occasionem disceptandi theologis praebent.

Fructus, quos secum res afferre potest, triplices distingui solent: naturales, industriales, civiles (*vd. lib. I, n. 47*). Omnes theologi et jurisperiti consentiunt, *fructus industriales* esse adjudicandos

---

[1]) Lugo, Disp. XVII, n. 107.

[2]) Lugo, Disp. XI, n. 109; etiam Lessius, lib. II, cap. 14, dub. 5, n. 28.

non domino rei, sed possessori, qui bona fide eos obtinuit, cum non sint fructus rei, sed hominis, qui eos occasione tantum rei vel per rem quidem sed propria industria sibi comparavit. Quapropter, si quis cum aliena pecunia bona fide prospere negotiando magnas sibi opes est nactus, non potest obligari, ut illas domino pecuniae restituat. Si juxta quorundam theologorum opinionem quid restituere debet possessor bonae fidei in hoc casu, certe nonnisi lucrum cessans, quod dominus, pecuniam suam fenori dando, ipse obtinere potuit. Sed etiam ad hoc nonnisi probabiliter tenetur.

28. Non ita unanimes sunt theologi et jurisperiti in solvenda difficultate, quae ad *fructus naturales et civiles* adtinet. Ex jure naturali, cui Jus Romanum concordare videtur, fructus naturales et civiles, in quantum legitimo tempore nondum sunt praescripti, possessor rei alienae debet legitimo domino restituere, nam ipse ad eosdem procreandos nihil contulit. Idem dicendum est de fructibus mixtis (partim naturales, partim industrialibus), in quantum eorum augmentum viribus naturae tribuitur: possessor ex hisce recompensare sibi tantummodo potest pro labore impenso. *Huic juris naturalis principio adversatur jus civile novum:* tum Cod. Nap., tum Jus Rossicum [1]) non tantum fructus industriales, sed etiam naturales perceptos et civiles, bona fide durante debitos, possessori adjudicant. *Quantum haec juris civilis sanctio in conscientia valeat*, usque adhuc inter theologos disceptatur, nec facile est decernere, quorum sententia sit firmior. Opinio, omnes fructus possessori bonae fidei juxta tenorem legis civilis adjudicans, pluribus theologis esse videtur probabilior et in conscientia tenenda. Ratio, cui haec opinio innititur, haec allegari solet: lex civilis in casu et vult dominium hujusmodi fructuum possessori conferre et id juste potest, cum bonum publicum id exigat; nisi enim omnes fructus possessori bonae fidei a principio decernerentur, hic multis molestiis sine culpa ex parte domini subjici posset, cum jugiter querelae et lites circa quantitatem fructuum moverentur; exinde pax et securitas familiarum periculo exponerentur [2]).

29. *Ant. Ballerini hanc opinionem sat acriter impugnat,* cum ait: «nihil nos cogit, ut legem quampiam, propter quod in codice gallico

---

[1]) Cod. Nap., art. 549; Гражд. Зак., ст. 626.

[2]) Gousset, *Théol. Mor.*, I, n. 931; Carrière, III, n. 1054; Marc, I, n. 937; Gury, I, n. 636; Marres, I, lib. II, n. 30.

reperiatur, idcirco justam et vi aliqua in foro conscientiae praeditam arbitremur. Ratio vero, quae additur, boni publici, quod nimirum sic locum querelis et difficultatibus in determinanda fructuum restituendorum quantitate adimatur, nimis infirmam vel prima fronte se prodit» [1]). *Hanc Ballerini sententiam etiam Lehmkuhl tenet:* «quae legis dispositio, ait ipse, cum naturali justitiae vix congruat, videri potest jus in foro conscientiae non concedere, sed solummodo actionem in civili foro rei domino denegare». Mox tamen subdit: «at cum non raro possessorum mentibus ea persuasio insideat, qua putent, se tuta conscientia legi civili prorsus conformare posse, abs re esset, hanc persuasionem perturbare et dubiam reddere, maxime cum non desint, qui leges illas defendant atque eas pro norma etiam interni fori sumi posse doceant. Verum aliud omnimo dicendum est, si agi debet cum vero rei domino, qui rem suam esse evicerit. Illi enim jus occultae compensationis competere videtur ad eos fructus nondum praescriptos».—Ex hisce duabus sibi contrariis opiniobus nobis *probabilior esse videtur prima*, quae sanctionem legis civilis etiam in foro conscientiae tuetur: si lex civilis vi praescriptionis potest dominium ab uno in alterum transferre, cur ad idem in nostro casu non valeat? Ratio utriusque translationis est eadem, vc. pax et securitas publica tuenda. Ceterum, quidquid sit, causa est dubia, ergo favendum est possessori. Compensatio autem occulta, a cl. Lehmkuhl insinuata, ante factum nobis videtur prorsus improbanda esse, cum in tam intricata causa, ut est computatio fructuum praesertim a longiore tempore, vix evitari potest arbitrarium judicium.

30. IV. **Quod adtinet sumptus,** a possessore in re aliena conservanda factos, juri naturali est plane consentaneum jus civile tum Romanum, tum Rossicum et Codex Nap. [2]): possessor, quando rem alienam legitimo domino reddit, potest juste exigere, ut sibi omnes expensae *necessariae et utiles* compensentur, quas pro rei conservatione aut augmento, puta pro melioratione agri, pro novis aedificiis, aliisque hujusmodi ipse utiliter et prudenter fecit; alioquin dominus plus, quam est suum, reciperet. Nihil tamen a domino exigere licet possessori *pro expensis mere voluptariis*, quas hic v. gr. in rei ornamentum insumpsit; non est enim aequum, ut dominus etiam ad sumptus sibi inutiles re-

---

[1]) Ballerini, *Adnot. ad Gury*, I, n. 636; Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, I, n. 948.

[2]) Гражд. Зак., ст. 628—633; Cod. Nap., art. 1381.

parandos adstringatur. Possessor, si ipsi placet, illa ornamenta potest secum sumere, si haec sine rei detrimento et laesione auferri possunt [1]). Quando non satis constat, an sumptus, quos possessor sibi revindicat, fuerint rei alienae necessarii, aut saltem utiles, expectanda est sententia judicis, cui plane est abtemperandum; ante judicis sententiam dominus rei ad dubios sumptus subeundos obligari sane nequit.

b) *De possessore rei alienae cum mala fide.*

31. Possessor dicitur malae fidei, qui domino rationabiliter invito, rem, quam scit non esse suam, accipit vel retinet. Hic, cum injuriae formalis sit reus, rigorosius, quam possessor bonae fidei, ad restitutionem obligatur. Non tantum enim ipsam rem alienam ejusque perceptos fructus naturales et civiles, deductis sane necessariis et utilibus expensis, legitimo domino in se vel in aequivalenti reddere debet, sed simul etiam ad omne damnum, domino exinde vere emergens, et ad lucrum cessans recompensandum adstringitur, neque a tota hac obligatione eximitur, etiamsi res in ejus manibus sine culpa perierit et, quod perinde sequitur, etiamsi ipse ditior non sit factus. Enimvero, rem alienam mala fide subducendo, eo ipso omnia ejus pericula voluntarie in se suscepit. Quod ad singulas hujusmodi possessoris obligationes pertinet, haec sunt tenenda.

32. I. **Res aliena, quae adhuc possidetur,** retineri a possessore malae fidei prorsus nequit, sed legitimo domino est restituenda, etiamsi erepta sit ex incendio, naufragio, aliove periculo, in quo certe perire potuit: ovis etiam in ore lupi domino clamare dicitur. In id tantum theologi inquirere solent, utrum possessor possit rem alienam non domino, qui ob suam ignorantiam non vindicat eam, sed *furi reddere, a quo mala fide emerat*, si nulla alia via honesta recuperandi pecuniam erogatam habetur. Teste ipso S. Alphonso, communius doctores emptori malae fidei id licere negant: res e manu furis accepta jam meliorem

---

[1]) Idem expresse Jus Rossicum decernit: Владѣлецъ добросовѣстный не въ правѣ требовать вознагражденія за тѣ въ возвращаемомъ отъ его имѣніи строенія и заведенія, которыя должны быть признаваемы единственно предметомъ роскоши и не только не суть необходимы, но и не доставляютъ имѣнію и владѣльцу никакой выгоды. Ему предоставляется перенести ихъ въ другое мѣсто, если сіе возможно, безъ вреда или ущерба имѣнію. Гражд. Зак. *ст. 633.*

condicionem adepta esse censetur; ideoque qui furi eam rursus restituit, in deteriorem statum eam ponit et tali pacto ejus domino injuriam irrogat; possessor bonae fidei in ea rerum condicione saltem eo potest justificari, quod non tenetur sine culpa indemnitatem domini cum proprio damno curare; non ita se res habet cum emptore malae fidei, qui cum scienter et voluntarie rem furtivam susceperit, etiam cum proprio damno ad eandem domino restituendam obligatur. Ita Molina, Lessius, Laymann, Salmanticenses, Lacroix aliique plures.

S. *Alphonsus tamen contrarium tenet*, cum dicit: licet iste peccaverit rem mala fide emendo, tamen post emptionem habet jus aeque ac emptor bonae fidei ad contractum rescindendum, rem furi reddendo. Lugo hanc opinionem etiam probabiliorem esse arbitratur et omnes adversariorum difficultates sat acute solvit [1].

Quamquam illa opinio videtur esse magis pia et fortasse suadenda, nihilominus etiam haec propter auctoritatem S. Alphonsi et Lugonis est solide probabilis et tuto sequi potest. Ratio, qua emptor justificetur, haec indicari potest: rem emptam furi restituendo, emptor rescindit contractum invalidum nec perinde rem ponit in deteriorem statum, cum et fur et emptor malae fidei ejusdem sint farinae; emptor potius reponit rem in statum pristinum, in quo ante emptionem fuit; ipsa emptio rei alienae licet in se injuriosa, nullum tamen de facto novum damnum domino intulit, ecquidem jam per acceptionem furis dominus re sua erat fraudatus.

33. II. **Si res aliena apud possessorem jam non reperitur**, perinde sive est vendita, aut sine ullo emolumento consumta, sive absque ejus culpa periit, legitimo domino saltem rei aequivalens est restituendum. A qua obligatione possessor malae fidei hisce tantum in casibus liberatur:

a) Quando res aliena certo apud dominum *e vitio intriseco* v. g. morbo jam pridem contracto, vetustate, aeque periisset, ac apud possessorem periit. Possessor tunc, licet malevolus, ab obligatione restitutionis eximitur, nam actu subductionis condicionem domini pejorem non fecit. Recompensare solummodo debet damnum pro tempore, quo dominus re sua ante interitum uti poterat.

b) Quando res aliena in aliqua calamitate, ut incendio, naufragio, *certo peritura surripitur et statim in ipso periculo consumitur*, ut esculenta, vinum. Fur in hoc casu ad restitutionem probabilius non obli-

---

[1]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 570; Lugo, Disp. XVIII, nn. 28—37.

gatur, nam destruit rem eo momento, quo, uti res certo peritura, moraliter loquendo nullius est valoris. Peccat quidem fur contra caritatem, cum rem alienam, quando facile potest, nihilominus non salvet; non peccat tamen contra justitiam rigorosam nec restituere tenetur, cum non sit rei alienae custos [1]). Idem tenendum esse videtur in casu, quo fur tempore incendii surripit rem alienam certo parituram et haec ab altero callidiore fure, eodem incendio perseverante, furatur. Prior fur a restitutione probabiliter liberatur, non tamen alter, qui rem possidet, vel saltem aliquo tempore post incendium possidebat. Contra, famuli et domestici, qui tempore incendii res sui patroni consumunt vel destruunt, restitutionis vinculo ligantur, nam ad illas salvandas ex quasi-contractu sunt obligati.

34. c) *Quando res aliena apud possessorem malae fidei eodem fere tempore et in eodem communi periculo sine culpa perit*, in quo pariter apud dominum certo periret; possessor ab obligatione restitutionis eximitur, nam condicio rei non est pejor facta eo, quod non apud dominum sed apud furem eo momento reperiebatur. Fur vel possessor malae fidei domino resarcire debet tantummodo lucrum cessans vel damnum emergens pro tempore, quo rem apud se retinebat aut eadem utebatur. *Sumamus exemplum:* domus Petri incendio destruitur; duo pretiosa candelabra in tumultu oblivioni data et certo peritura Paulus clam abstulit et duobus annis prospere iis utebatur. Sed ecce duobus annis post rursus incendio pagus visitatur, et jam non solum totam Petri sed aeque et Pauli substantiam simul cum illis candelabris ignis destruit. Paulus Petro pro solo usu candelabrarum per duos annos recompensare debet; non tenetur autem ad totum pretium rei destructae restituendum, nam haec, quamquam primo incendio liberata domino clamabat, in altero tamen aeque apud Petrum, ac apud Paulum, certo periisset. Nihilominus si fur vel commodatarius, superveniente periculo, rem alienam apud se retentam etiam cum proprio damno salvare potuit et tamen id neglexit, ab onere restitutionis non eximitur, etiamsi res apud dominum aeque certo periret: rem enim alienam surripiendo, ad fidelem ejus custodiam implicite se obligavit [2]).

---

[1]) Ita: **Lessius**, lib. II, cap. 12, dub. 15, n. 95; **Lugo**, Disp. XVIII, n. 145; **Lehmkuhl**, t. I, n. 954.

[2]) Cf. **Lugo**, Disp. XVIII, n. 147.

35. *Possessor malae fidei ab obligatione restitutionis certo non liberatur, quando res aliena apud eum non eodem moraliter tempore perit,* ac apud dominum periret: etenim si apud dominum res prius periisset, quam de facto apud malevolum possessorem periit, ergo erat tempus, quo apud possessorem adhuc salva domino clamabat et, si tunc esset ei restituta, certe periculum non subiret; ergo possessor, restitutionem procrastinando, fuit causa, cur res interiret. Pari modo si res apud dominum posterius periret, quam id de facto apud possessorem contigit, ergo tempore, quo apud possessorem est destructa, apud dominum adhuc salva esset; ergo non domino, sed possessori periit et hic obligatione restitutionis abhinc obstrictus manet.

Non ita unamines sunt theologi, quando *non tantum idem tempus morale, sed etiam idem periculum requiri* arbitrantur, ut possessorem malevolum a restitutione liberent. Sumamus perspicuitatis gratia exemplum. Sempronius duobus annis ante Cornelio equum est furatus. Duobus annis post tota Cornelii fortuna igne est destructa; certo periret apud eum et ille equus; periit reipsa etiam apud Sempronium eodem tempore, sed non ex incendio, nam Sempronium Deus incolumem ab hac calamitate servavit; equus in communi tumultu ab incognito fure clam est subductus. An Sempronius pro equo ad restitutionem erga Cornelium obligetur, non certo constat. Affirmativa sententia videtur esse probabilior, ubi enim periculum est diversum, infortunium imputari potest possessori qua personale: equus Cornelio non esset a fure subductus; est autem subductus Sempronio, qua ejus proprietas; ergo hic remanet vinculo restitutionis obstrictus. Ita Elbel, S. Alphonsus; idem videtur affirmare et Lugo [1]. Lehmkuhl tamen possessorem ab obligatione restituendi liberat, si periculum seu calamitas non eadem quidem erat, at aliqua calamitas rem, si apud dominum fuisset, destruxisset eodem tempore, quo apud furem seu possessorem est destructa.

36. *Codex Napoleonis* possessorem malae fidei nunquam ab obligatione restituendi libebat; ita enim *art. 1302* est cancitum: quocunque modo res perierit vel perdita fuerit, fur non eximitur ab obligatione restituendi ejus pretium. Quae legis civilis sanctio, ut opinantur Gousset, Marc, Lehmkuhl, in quantum cum principiis juris naturalis non con-

---

[1]) Elbel, *Theol. Mor.*, pars VI, n. 77; S. Alphonsus, lib. IV, n. 620; Lugo, Disp. XVIII, n. 142—143; Lehmkuhl, t I, n. 955.

cordant, solummodo post sententiam judicis ligat conscientiam. *Jus Civile Rossicum* in causa possessoris malevoli Codice Nap. est liberalius: non solum enim possessorem a restitutitione liberat, quando res aliena ex intrinseco defectu sine culpa perit. sed etiam tunc, quando a possessore, adhibitis ordinariis mediis, salvari non potuit. Pro grege alieno, dicitur in Corpore Juris, qui tempore pestis exspirat, tunc nonnisi possessor malae fidei restituere debet, si probetur, non esse ab eo opportuna media contra luem adhibita (*Гражд. Зак. cm. 619*). Jus videtur supponere idem periculum (*luem*) tum apud possessorem, tum apud dominum; alioquin juri naturali contradiceret neque in conscientia valeret: si enim res apud dominum suum non periret, non esset ratio, cur jure exigendi restitutionem etiam post sententiam judicis dominus privaretur.

37. III. **Quod pertinet ad fructus** a possessore malevolo perceptos et **ad sumptus** ab eo in re aliena conservanda vel etiam augenda factos, aequitati naturali est plane consentaneum jus nostrum civile [1]: omnes rei fructus, in quantum viribus naturae tribuuntur, legitimo domino adjudicantur; possessor habet tantum jus ad fructus mere industriales et ad recompensationem tum sui laboris, tum sumptuum necessariorum et utilium; tandem concessum est ei auferre addita ornamenta, si id sine rei detrimento fieri potest. Insuper, quae possessorem malae fidei peculiariter obstringit, est obligatio, vi cujus ipse ex titulo damnificationis injustae debet compensare omne damnum legitimo domino emergens et omne lucrum ei cessans, saltem in confuso praevisum. Quod tamen per se intelligitur, dominus in casu praesumitur plenum jus in re habuisse; nam si hic jus tantum ad rem habuit, restitutio ipsi debetur pro solo valore spei, quam habebat, rem efficiendi suam.

Ratione damni, legitimo domino obvenientis, malevolus possessor omnes sumptus resarcire debet, quos ille tum in re sua quaerenda (*cm. 672*), tum in ipsa fortasse per litem recuperanda fecit.

38. *Lucrum, ad quod recompensandum possessor obligatur,* subintelligitur non illud, quod dominus absolute percipere potuisset, sed illud verum, quod ex communi hominum judicio hic modo licito et ordinario obtinere potuit. Prudenter animadvertit Stapf: «ne in computandis infaustis consectariis exorbitemus, notare juvat, mala, quae alicui inferuntur, non ad inanes possibilitates extendenda, sed ita dimetienda

[1]) Cod. Nap. art. 547—550; Гражд. Зак. ст. 610—625, 641—643, 672.

esse, prout ex communi hominum aestimatione taxari solent. Sic e. g. riduculum foret illi, qui alterius gallinam occidit, calculum proponere, quot pulli ex hac gallina successu temporis nasci potuissent» [1]). Altera tamen ex parte possessor malevolus non semper faceret satis, si illud tantum lucrum domino restitueret, quod ipse perceperat. Ita, etiamsi pecuniam furto sublatam ipse fur foenori non dederit, sed absconditam inutiliter servaverit, nihilominus non tantum ad ipsam pecuniam ablatam reddendam, sed simul obligatur ad ejus foenus legitimum solvendum, si illam dominus foenori probabiliter collocasset; quod in dubio semper praesumitur, nam homines nostra aetate non solent, ut majores nostri, pecuniam in terram abscondere, sed eam negotiandi gratia impendunt. Codice Civili Regni Poloniae possessor malae fidei pro aliena pecunia ad solvendum quotannis 6% obligatur [2]); Jure autem Rossico (*cm. 641*) non solum 6% quovis anno solvere debet, sed insuper semel 3% ratione poenae; quae poena post sententiam judicis conscientiam ligat.

39. **Pro usu vitae** tunc vel maxime difficultas in restitutione peragenda obvenire solet, quando res aliena tempore, quo injuste possidebatur, mutationem valoris subiit; non semper enim tunc constat, utrum ad majus, an ad minus pretium rei domino solvendum possessor obligetur. Quantitas restitutionis tunc pendet ex multis circumstantiis, quae tamen non facile cognosci possunt. Qua in causa imprimis examinanda est natura ipsius mutationis; haec enim esse potest intrinseca et extrinseca. Intrinsece mutari res dicitur, si ipsa in se fit melior aut vilior; ita animal augescendo fit melius, senescendo vilius. Mutatio habetur extrinseca, quando res in se manet eadem et nonnisi, propter majorem vel minorem copiam hujusmodi rerum, pluris vel minoris aestimatur, ut frumentum, foenum, ligna.

Quod ad intrinsecam rei mutationem pertinet, haec duo in restitutione sunt observanda: a) si res apud furem deterior est facta, non tantum ipsa est restituenda, si adhuc habetur, sed simul compensandum est illud, quo rei valor est depressus; si bos saginatus tempore injustae detentionis factus est macer, possessor non facit satis, eundem restituendo: debet etiam ejus pinguedinem deficientem compensare.

---

[1]) Amb. Stapf, *Theol. Moral.*, p. I, § 151.

[2]) Cod. Nap. art. 1378 et Высочайше утвержденное 17 Декабря 1885 года Мнѣніе Государственнаго Совѣта.

b) Si res apud injustum possessorem est aucta, v. gr. vitulus factus est bos, haec ipsa cum suo incremento est domino reddenda, subductis sane expensis; quia res domino crescit.

40. Major difficultas in mensuranda restitutionis quantitate tunc adest, *quando habenda est ratio mutati valoris extrinseci.* Qua in causa tum plures condiciones sunt examinandae, tum in iisdem condicionibus non semper eadem est sententia theologorum. Remota subtilitate disputandi, usui vitae parum opportuna, satis erit haec adnotare: generatim dicendo non solum restituenda est aut ipsa res, aut illud pretium, quod res habuit, quando est furto ablata, sed insuper superaddendum est subsequens incrementum pretii, quod vel possessor obtinuit, consumendo aut vendendo illam rem tempore majoris pretii, vel quod ipse dominus certo habuisset, illam ad hoc tempus servando et lucrum perinde capiendo. Attamen, si fur tempore minoris pretii rem alienam consumpsit, antequam valor ejus crevit, atque eodem etiam tempore a domino suo, nisi furto esset sublata, certo esset consumpta, tunc fur probabilius non ad illud pretium restituendum obligatur, quod res habuit, quando est sublata, sed ad illud tantum, quo emebatur, quando est consumpta; nam nec fur ditior est factus, nec dominus ratione posterioris incrementi aliquod detrimentum est passus. Sunt etiam plures aliae circumstantiae, quas fur vel possessor malevolus, rem domino restituendo, examinare debet, ne ob mutatum valorem rei minus reddat, quam abstulit. Quae tamen circumstantiae cum in usu vitae saepe ignorentur nec facile cognosci possint, ideo hac in causa libenter sequimur opinionem Lehmkuhl, qui ita dicit: «in tali ignorantia fur videtur satisfacere, si valorem rei pro tempore, quo res ablata vel destructa est, simul cum consueto foenore restituat» [1]).

41. Ut jam disputationi de possessore malae fidei finem imponamus, expedit saltem paucis dicere, *quid sit agendum in casu, quo res aliena a pluribus successive possessoribus obtineatur.* Imprimis, *quod ad ipsam rem alienam pertinet*, haec est domino restituenda ab ultimo possessore, penes quem aut ipsa adhuc, aut saltem post consumptionem ejus aequivalens reperitur. Si hic id praestare aut noluerit, aut non potuerit, ejus vices supplere debet primus raptor, restituendo pretium rei aequivalens, cum ipse fuerit prima causa alienae injuriae. Si neuter obligationi satisfacit, ceteri per aequas partes pretium rei domino solvere

---

[1]) Lehmkuhl, *Theol. Moral.*, t. 1, n. 596.

debent. Tandem aliis deficientibus, quisque ad totum domino solvendum adstringitur; sane ille, qui suae obligationi satisfecit, habet jus recipiendi a suo venditore pecuniam erogatam. — Quod adtinet *ad rei fructus* perceptos et damna legitimo domino obvenientia, singuli successivi possessores obligantur ad illa resarcienda pro tempore, quo alienam rem detinebant. Si reliqui suas partes explere noluerint, quisque tenetur domino reparare totum damnum a tempore, quo ipse factus est injustus possessor, usque ad tempus, quo tandem res suo domino est reddita.

c) *De possessore rei alienae cum dubia fide.*

42. Possessor dicitur dubiae fidei, qui ob rationes non inanes et positivas haesitat, utrum res, quam accipit vel jam possidet, sit sua, an aliena. Omnium prima obligatio hujusmodi possessoris est quaerere veritatem, ut dubium deponatur; alioquin non ageret ex conscientia et periculo se exponeret peccandi contra justitiam, rem alienam detinendo. Ad quaerendam veritatem possessor, moraliter loquendo, obligatur statim, ac dubitare incipit, et diligentia, quam hac in causa adhibere debet, valori rei sit par et congruens. Interim, dum veritas investigatur, possessor neque eam destruere, neque alicui tradere potest, nisi prius hunc de existente dubio praemonuerit. Generatim se gerere debet tanquam honestus rei alienae administrator, qui paratus sit suae vilicationis reddere rationem. Debet igitur sumptibus non necessariis parcere; perceptos fructus naturales et civiles fideliter servare, ut eos legitimo domino reddere possit, si res esse aliena deprehendatur. Sumptus non solum utiles et necessarios, sed etiam eos, quos in veritate indaganda prudenter fecit, sibi recompensare potest. Si res, dum veritatis fit indagatio, sine culpa possessoris perit, hic ad ejus pretium domino solvendum non tenetur, nam ille, qui omnia facit, quae potest et debet, est homo bonae fidei.

43. *Qui possessor, dubio superveniente, veritatem tempore opportuno quaerere neglexit* et deinceps eam cognoscere non potest, peccat utique mortaliter, si res est gravis momenti; ab obligatione tamen restitutionis theologi laxioris notae, ut Diana, Tamburini, etiam Bonacina eum liberant; id tamen recte vix defendi potest. Lugo et Lehmkuhl in hoc casu distinguunt dubium circa jus alicujus hominis determinati et indeterminati; in illo dubio obligant saltem ad aliquid restituendum,

in hoc restitutionem suadent et consulunt, rigorose tamen obligare non audent [1]).

Nihilominus hujusmodi negligens possessor semper ad aliquid restituendum est obligandus. S. Alphonsus ita hac in causa dicit: «verius autem censeo dicendum, quod talis possessor teneatur aliquid restituere (vel domino, vel pauperibus, si dominus sit incertus). Ratio est, quia cum ipse culpabiliter dominum privaverit spe, quam dominus ad rem habere potuit, et illa spes erat quidem pretio aestimabilis, jam damnum certum est illatum domino, qui spem illam etiam certe possidebat». Lacroix, Salmanticenses, Lessius dicunt, tunc possessorem pro rata parte dubii rem restituere teneri. S. Alphonsus tamen, quem deinceps rencentiores theologi communiter sequuntur, benigniorem defendit sententiam: «puto tamen non esse faciendam restitutionem pro quantitate dubii, ita ut, si rationes ex utraque parte essent aequales, res sive ejus pretium pro medietate sit restituendum, sed minus, et forte valde minus; quia illa spes domini non poterat aestimari pro medietate valoris rei, sed multo minoris, stante aequali probabilitate rationis ex una parte et certo jure possessionis ex alia, quae possessori favebat et adhuc favet: possessio enim rei multo quidem majoris aestimatur, quam possessio spei» [2]).

44. *Possessor, qui statim* ac de ratione suae possessionis dubitare incepit, *congruentem rei diligentiam in veritate investiganda adhibuit*, tandem si firmiter sibi persuadet, rem esse alienam, id omne debet restituere, in quo, durante dubia fide, est ditior factus. Si id sine ratione statim praestare noluerit, jam fit possessor malae fidei, cui accomodantur principia paulo ante explicata. Non semper tamen, etiam post conveniens rei examen, certitudo haberi potest. In difficultate, quae tunc obtingit solvenda, id potissimum est observandum, utrum possessio jam cum dubio sit incepta, an vero dubium nonnisi deinde possessionem subsecutum sit; nam praesumptio in utroque casu non eadem ratione possessori favet.

De possessione cum dubio incepta id in singulis casibus est tenendum: a) *Qui cum dubio jure alterum aut occulte aut palam deturbavit*, auferendo ab eo sibi rem, quae est adhuc sub lite, totam ei

---

[1]) Lehmkuhl, t. I, n. 957; Lugo, Disp. XVII, n. 85.

[2]) Lacroix, lib. III, p. II, n. 564; Lessius, lib. II, c. 14, d. 4; S. Alphonsus lib. I, n. 37.

restituere debet, etiamsi ille prior possessor pariter sit dubius; nam in dubio melior est condicio possidentis. Idem valet etiam in casu, quo prior possessor rem litigiosam alteri sponte tradidit aut ea intentione, ut se a vexationibus et litibus liberaret, aut per errorem convictus, rem esse certo alienam.

45. b) *Qui rem cum titulo quidem legitimo* v. gr. venditione, donatione accipit, rationabiliter tamen ab initio dubitat, an eam a domino legitimo sumat, si post diligens examen nihilominus anceps manet, ad totam rem suspectam restituendam obligari nequit, sed ad partem tantum, habita ratione majoris vel minoris dubii; si rationes ex utraque parte adversa sunt aequales, dimidiam partem reddere debet vel domino probabiii, vel pauperibus distribuere, si dominus est prorsus ignotus. Cujus sententiae haec est ratio: qui cum dubio possessionem incipit, non potest sane uti favore juris, vi cujus melior dicitur esse condicio possidentis; ideo tuta conscientia rem totam sibi retinere nequit; altera tamen ex parte non videtur esse aequum eum obligare ad totum domino probabili restituendum, ut quidam theologi volunt; nam et titulo per se legitimo rem accepit et jus alterius est tantum probabile. Exinde jam sequitur, quid sit in confessione agendum cum iis, qui a filiisfamilias, famulis aliisque suspectis personis emunt res, quae probabiliter non sunt eorum [1]).

Qui hereditatem accipit cum dubio de bona fide antecessoris, si post sufficientem indagationem adhuc anceps manet, tuta conscientia potest eam retinere, applicando suo antecessori tritum adagium: nemo malus praesumitur, nisi probetur. Attamen, si suus antecessor in aliis causis malae fidei fuisse reperiatar et dubitetur, an etiam possessionem, de qua agitur, cum eadem animi dispositione mala inceperit, tunc sane praesumptio stat contra eum, nam qui semel malus, semper praesumitur malus.

d) Tandem *si nemo ex iis, qui cum dubio jure rem sibi vindic an eandem de facto possidet*, nec verus dominus cognosci potest, tunc ipsa res vel ejus aequivalens inter litigantes est dividenda, habita ratione majoris vel minoris probabilitatis, qua quis gaudet. —

46. **Possessionem, bona fide inceptam, si dubium deinceps subsequitur,** condicio possessoris est melior. Quo in casu, si post congruens examen nihilominus dubium tolli non potest et *rationes ex*

---

[1]) Lugo, Disp. XXII, n. 81.

utraque parte sunt fere aequales, tota res a possessore retineri potest, nam pro eo stat praesumptio. Quae praesumptio firmis rationibus fulcitur: homines rerum suarum sunt tenaces nec permittere solent, ut bona sua ab externis injuste et effrenate occupentur; exinde, qui rem per aliquod tempus pacifice possidet, legitimus ejus proprietarius esse rationabiliter praesumitur. Altera ex parte vir honestus sine legitimo titulo rem alienam sibi arrogare non solet. Ergo sola possessio tranquilla per aliquod tempus sufficit, ut rationabiliter dicatur melior esse condicio possidentis; cui possessioni si etiam rationes hinc inde aequales accedunt, eo firmius jus possessoris comprobant. Potest igitur possessor, post congruens examen, re dubia uti, eam retinere aut etiam alienare. Si deinceps inopinate certo cognoverit, rem fuisse alienam neque eandem legitimo tempore praescripserit, sese genere debet, quemadmodum id possessori bonae fidei est proprium; contra, si tempore legitimo eandem jam praescripsit, ad nihil amplius obligatur.

47. Gravior est difficultas, cui res controvesa sit adjudicanda, quando, post congruens examen, dubium, quod possessionem supervenit, tolli non potest, et jam rationes pro utraque parte non sunt fere aequales, ut in casu praecedente, sed vel *certo major probabilitas contra possessorem pugnat*, vel possessor contra se opinionem solide probabilem habet, pro se autem merum actum possessionis adferre potest. Bannez, Valentia, Salonius aliique [1]) possessorem actualem tunc obligant saltem ad partem domino probabiliori reddendam: quamquam in pari causa melior est condicio possidentis, in hoc tamen casu non est par causa, nam major est probabilitas, rem esse alienam. Insuper in obscuris observandum est, quid sit veri similius; nam ibi crebro est veritas, ubi major habetur probabilitas.

Attamen, teste s. Alphonso, communior et probabilior sententia docet, possessorem ad nihil teneri, nisi moraliter certo constet, rem esse alienam; nam cum in casu factum possessionis sit certum, etiam certam praesumptionem juris parit, quae omnes praeponderat rationes non satis convincentes, nec cedit nisi veritati moraliter certae. Quousque igitur moraliter certo non constat, rem esse alienam, possessor merito dici potest ignorare, se alienum possidere [2]). Cui opinioni etiam jurisperiti et tribunalia judicum favent.

---

[1]) Apud. Lugo. Disp. XVII, n. 93.

[2]) Ita: S. Alphonsus, lib. I, n. 35; Lugo, Disp. XVII, n. 94; Laymann, lib. I, tr. I, cap. 5, n. 21; Lacroix, lib. III, p. II, n. 563, multique alii.

48. Ex hisce, quae de possesore dubiae fidei consideravimus, facile deduci potest, *quid de illo sit sentiendum, qui de suo debito non est certus:* ille, qui rationabiliter dubitat, an debitum contraxerit, ad nihil obligatur, quousque competitor jus suum moraliter certo non probaverit. Contra, si debitum certo contraxit, etiamsi probabilius judicet, se creditori satisfecisse, nihilominus a solvendo debito non eximitur, nam tunc creditor est in possessione juris, et certae obligationi per dubiam solutionem non satisfit. Quidam theologi tunc nonnisi liberaliores sunt erga debitorem, quando ipse creditor de suo jure dubitat et contra se habet rationes certo validiores; tunc suadent, ut aliquid de dubio debito remittatur; nemo tamen condemnat creditorem, qui etiam dubius totum a debitore exigit. Juxta Lehmkuhl debitor, qui probabilius credit se debito satisfecisse, potest saltem exspectare, quousque a creditore urgeatur; potest vero exspectare ea intentione, ut causa dubia temporis successu fortasse melius cognoscatur. Insuper, ait idem auctor, in vero dubio non ignoro, esse aliquos etsi paucos, qui ab omni solutione excusent; quod quamquam solida ratione non videtur sustineri posse, adeoque positive consuli debitori non potest, tamen eatenus scitu utile est, quatenus in casu difficili bona fides debitoris facilius supponi atque integra relinqui possit [1]).

De injusta damnificatione.

49. *Injustus damnificator dicitur, qui jus alienum laedit seu proximo nocet, quin ipse aliquod lucrum exinde sibi capiat;* ita, homicida, calumniator, incendiarius aliique similes sunt injusti damnificatores. Ex eo, quod ipse injustus damnificator non fit ditior, minime sequitur, eum ab obligatione reparandi illatam proximo injuriam liberari: justitia enim rigorosa non in id potissimum intendit, ne quis injuste ditescat, sed potius ne innocens detrimentum ex aliena culpa subeat.

Injustus damnificator totum reparare debet damnum, quod ex sua actione proximo obvenit. Imprímis igitur restituere debet aequivalens rei destructae: qui domum alienam incendio culpabiliter destruxit, totum domus pretium refundere tenetur aut ipsi domino, si domus asse-

---

1) Lehmkuhl, t. I, n. 960-961.

curatione non est cauta, aut societati eorum, qui de damnis pensandis spondent, si dominus ab ipsis jam indemnis est factus. Insuper injustus damnificator obligatur tum ad compensanda omnia damna, saltem aliqua ratione praevisa, quae laeso domino ex injusta actione obvenerunt, tum ad resarciendos omnes fructus, quos dominus non quidem absolute percipere potuit, sed quos vere percepturus esset. Qui opifici necessarium instrumentum destruxit et tali pacto per aliquod tempus a labore consueto eum impedivit, non tantum instrumenti pretium solvere, sed etiam tenetur ei resarcire lucrum, quo opifex hac occasione est fraudatus.

50. *Quantitas igitur restitutionis mensuratur* tum pretio rei injuste destructae, tum damnis exinde provenientibus et saltem in confuso praevisis. Ideo autem dicitur «*saltem in confuso praevisis*», nam ad certam restitutionis obligationem subeundam non est opus clare et distincte totam damni quantitatem ab initio perpendere et cognoscere: hoc enim malefactores nec curare unquam solent. Ita, qui domum alienam incendit, ad omnia damna, exinde ordinarie provenientia, reparanda obligatur, quamquam in actu damnifico minime curabat cognoscendam hujus damni quantitatem. Sed disputatur inter theologos, ad quid obligetur injustus damnificatur, *qui positive et invincibiliter errat de quantitate damni illati.* Aliquis v. gr. annulum aureum proximi in mare projicit, quem expresse, positive credebat esse aeneum. Card. Lugo, (qui disputat de projectione in mare gemmae 1000 valentis, quae 100 valere putabatur), obligat ad totum damnum reparandum, quod reipsa sequitur. «Nam licet nescias, ait ipse, valorem majorem, quem habet, de facto tamen vis destruere totum ejus valorem, quicunque sit, et vis hoc per injuriam gravem, quae reddit te dignum illa quasi poena, quae connaturaliter sequitur id, quod facis et quam implicite acceptasti per illum actum» [1]). Quae Lugonis opinio post sententiam judicis condemnatoriam certo est sequenda. Imo, etiam ante judicis sententiam videtur aequitati maxime convenire; nam non est ratio, cur potius malevoli damnificatoris, quam innocentis domini laesi melior sit condicio. Nihilominus communior theologorum opinio contrarium tuetur et ante judicis sententiam ad illam tantum partem damni reparandam obligat, quae ex errore invincibili adesse positive putabatur: damnum illatum in tantum est reparandum, in quantum

---

[1]) Lugo, Disp. VIII, n. 63.

erat voluntarium; quod autem invincibiliter ignoratur, voluntarium non dicitur [1]).

51. *Non quaevis tamen actio damnifica obligationem restitutionis injungit*, sed illa tantum, quae stricte, efficaciter, formaliter est proximo injusta. Ut igitur ex actione damnifica obligatio restituendi sequatur, tres requiruntur condiciones: *ut actio sit contra justitiam strictam vel commutativam, ut sit causa damni efficax, tandem ut cum culpa formali ponatur.* Sunt, qui adhuc quartam condicionem exigant, vc. ut actio injusta sit positiva; ita obligamur, dicunt, ex caritate ad malum, proximo ab aliis imminens, avertendum, quando id sine gravi incommodo proprio possumus; nihilominus qui id etiam culpabiliter neglexerit, dummodo ne actione positiva participet, contra strictam justitiam non peccat. Haec tamen quarta condicio suas habet exceptiones: non semel vi contractus vel quasi-contractus ex sola actione negativa, ex solo silentio, ut in superioribus contingere solet, obligatio restitutionis oriri potest. Quapropter tres tantum condiciones sunt examinandae, quae semper requiruntur et simul adesse debent, ut obligatio restitutionis sequatur.

52. I. **Actio damnifica sit contra justitiam commutativam,** vc. proximus fraudetur aliqua re, ad quam jus strictum habet; nam sola justitia commutativa, si violetur, rigorose est reparanda. Exinde sequitur, si actione damnifica laedatur caritas, imo etiam justitia legalis aut distibutiva, restitutionem imponi non posse. Ita, filiifamilias ratione pietatis suos parentes inopes alere debent; cui officio si desunt, graviter peccant et, nisi emendationem promittant, absolutione sunt indigni; nihilominus obligatione restitutionis non obstringuntur. Idem sentiendum est in casu, quo quis incendium domus alienae, quamquam opportune potest, culpabiliter tamen non impedit: nisi ex aliquo contractu ad id sit obligatus, peccat mortaliter, sed non contra justitiam. Pari modo rectores Reipublicae, quamquam ex justitia distributiva obligantur, ut publica officia dignioribus mandent, attamen onus restitutionis tunc tantum subeunt, quando aut certo indignos et Reipublicae nocentes eligunt officiales, aut quando, non obstante praevio concursu instituto, amovent ab officio digniores, expressum contractum violando.

---

[1]) Ita: **S. Alphonsus**, lib. IV, n. 613; **Lacroix**, lib. III, p. II, n. 194; **Elbel**, p. VI, conf. III, n. 90; **Carrière**, t. III, n. 1151; **Marres**, t. I, n. 67; **Waffelaert** t. II, n. 268.

53. II. **Actio damnifica sit causa damni efficax.** Efficacia causae hic duplex subintelligitur: tum in ordine ad effectum, qui causam vere subsequitur, tum in ordine ad vim, quam causa ex se habet. Ut enim actio damnifica efficax dicatur et obligationem restitutionis imponat, non tantum requiritur, ut verum damnum reapse sequatur, sed simul ut actio sit hujus damni causa ex se, non autem per accidens vel occasione tantum.

a) Nullum moveri potest dubium, quin *obligatio restitutionis ex solo damno vere illato nascatur*, non autem ex damno mere volito, aut etiam tentato sed tempestive impedito. Difficultas tunc solummodo habetur, quando non satis constat de ipso damno illato. Qua in causa duo sunt probe distinguenda. Si post conveniens examen adhuc cum gravi ratione dubitatur, an damnum vere sit illatum, tunc ille, qui actionem damnificam posuit, ad restituendum non obligatur; factum enim non praesumitur, sed probari debet: non constat de damno, ergo nec certa obligatio imponi potest. Major difficultas tunc exoritur, quando de damno illato certo constat, sed tantum *ignoratur, cuinam e pluribus damnificatoribus illud sit imputandum*. S. Alphonsus in casu particulari de duobus adulteris, inter quos non constat, cujusnam sit proles suscepta, utrumque a restitutione liberat; nemo enim, ait ipse, ad damnum resarciendum tenetur, nisi moraliter certo constet, ipsum fuisse causam damni; et hanc sententiam, spectata ratione et absolute loquendo, probabiliorem appellat pluresque hujus opinionis allegat patronos. Tunc solummodo S. Alphonsus posteriorem adulterum ab obligatione reparandi subsequens damnum eximit, quando hic, sciens adulterium jam esse ab altero patratum, nihilominus et ipse cum eadem adultera peccat, bene advertens, suo secundo adulterio poni causam incertitudinis, cujusnam futura sit proles, si concipiatur. Idem tenet S. Doctor in casu, quo plures adulteri communi consilio adulterium cum eadem muliere committant [1]).

54. Non obstante veneranda s. Alphonsi auctoritate [2]), *sententiam certo probabiliorem eam esse arbitramur, quae omnes damnificatores pro*

---

[1]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 658.

[2]) Sane auctoritas S. Alphonsi in doctrina morum est vel maxima, omnesque opiniones, quas in sua Theologia Morali profitetur, sequi tuto possunt ac profiteri, quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. *Resp. S. Poenit. d. 5 Julii 1831, confir. a Gregorio XVI.*

rata dubii parte semper ad restituendum obligat, quando de damno illato omnino constat et tantum ignoratur, cuinam ex pluribus damnificatoribus illud sit imputandum. Imprimis quod adtinet ad auctores, quos S. Alphonsus pro sua opinione allegat, animadvertere licet, plures eorum contrarium affirmare, ut Ant. Ballerini dilucide et distincte ostendit [1]. S. Alphonsus eosdem citasse videtur, nimis Salmanticensibus confidendo. Insuper ipsa argumentandi ratio non satis firma esse videtur. Sane nemo ad restitutionem obligari certo potest, nisi de damno illato moraliter certo constet et nisi ipse hujus damni sit causa. Atqui utrumque in nostro casu vere adest: de damno certe illato nullum est dubium, nam hoc supponitur; sed aeque nullum est dubium, quin inter plures malefactores quisque sit causa efficax damni: unus eorum, licet ignotus, est causa directa ipsius effectus damnosi, reliqui autem sunt causa damni indirecta, cum sint auctores incertitudinis, propter quam plena restitutio a vero et effectivo malefactore exigi nequit. «Licet is, ait Lacroix, qui dubitat, an damnum injustum causarit, ad nihil teneatur, tamen hic singuli communi opera sunt causa incertitudinis, quae injuste impedit, ne ab uno determinato exigi possit debita restitutio; et in hoc damnum singuli consenserunt, volendo copulam per se causativam ejusmodi damnorum» [2].

55. S. Alphonsus tunc tantum in casu adulterii posteriores adulteros ad restitutionem pro rata dubii obligat, quando ipsi animadvertunt, sua actione eos fieri causam incertitudinis; quia tamen, ait ipse, rarissima erit haec advertentia, rarissima etiam erit haec obligatio adulteri. Quae conclusio etiam non satis convincere videtur: quisque malefactor, nisi sit imputabilitatis incapax eo momento, quo ponit causam efficacem et sufficientem ad totum damnum, jam eo ipso saltem implicite se obligat ad omne id reparandum, quod exinde ordinarie sequi solet; neque est necesse, ut actu ad id attendat. Qui igitur, ponendo causam, implicite ad totum subsequens damnum reparandum se obligat, a fortiore obligari potest ad minus, quod sequitur ex incertitudine veri auctoris, ita ut jam non totum damnum, quod per se ex sua actione sequi potuit, aut etiam fortasse est secutum, reparare debet, sed tantum aliquam ejus partem pro rata dubii parte.

Tandem, sine subtili disputatione, causa videtur esse satis clara;

---

[1]) Ant. Ballerini, *Adnot. ad Gury,* t. I, n. 733.

[2]) Lacroix, lib. III, p. II, n. 337; Waffelaert, t. II, n. 323.

jam enim obvio sensui morali fidelium repugnat, quominus duo malefactores, qui sagittas in innocentem etiam sine mutuo consilio simul mittant, jam ab omni prorsus obligatione erga occisum hominem liberentur eam ob causam, quod non constat, cujusnam sagitta fuerit feralis. Idem etiam de adulteris est dicendum. «Certe ipsos ab omni onere solvere, ait Waffelaert, et laesum (sine compensatione) relinquere,—solutio est a communi sensu morali aberrans et aequitati videtur repugnare». Concludere igitur licet, opinionem quidem S. Alphonsi, si quem convincat, ob suam auctoritatem sequi posse; nihilominus contraria sententia, quae in casu certi damni, pro rata dubii, malefactores participantes ad restituendum obligat, est argumentis solidior et apud theologos communior [1]).

56. Casus de duobus adulteris non est confundendus cum dubio, quod oritur *inter maritum et adulterum*, quisnam sit causa prolis susceptae: in illo casu de ipso facto certo constat, non autem in hoc dubio; proles enim in hoc casu fortasse est de marito suscepta, et tunc nullum damnum temporale sequitur; cum autem non constet, utrum maritus, an adulter sit causa conceptae prolis, non certo constat etiam de ipso damno; ergo adulter non potest obligari ad reparandum damnum, quod est incertum. Idem obtinet in exemplo, quod Waffelaert adfert: «probabile est, domum vicini fuisse incensam igne a te admoto, et simul probabile eam fuisse incensam a fulgure, eodem tempore de coelo cadente; ergo ad nihil obligaris» [2]); potuit enim domus a fulgure incendi, et tunc nulla habetur vera injuria formalis, nam haec a sola persona libera fieri potest; cum igitur certo non constet de vera causa incendii, non constat etiam de ipso injurioso damno.

57. b) Ut causa damnifica efficax dicatur, non tantum exigitur, ut damnum reipsa eveniat, sed simul *ut actio damnifica sit hujus eventus vera causa sive moralis, sive physica, aut ex natura sua, aut saltem ex circumstantiis ordinarie concomitantibus*; non sufficit, ut damnum eveniat occasione tantum illius actionis damnificae, aut ex actione quidem, non tamen vi propria, sed per accidens, quod neque intendi nec satis praevideri potuit. Ratio hujus condicionis est perspicua: nemo ad re-

---

[1]) Hanc sententiam tuentur: **Molina**, Disp. 736, n. 6; **Lugo**, Disp. XIII, n. 13—25; **Lacroix**, lib. III, p. II, n. 337; **Gury-Ballerini**, t. I, n. 733; **Waffelaert**, t. II, n. 322—323; **Marres**, lib. II, n. 76, et plures alii.

[2]) **Waffelaert**, t. II, n. 320.

stitutionem obligari potest, nisi damnum ipsi adscribi, imputari possit; non potest autem ipsi adtribui, nisi sua actio ex se sit illius damni causa. Non obligatur ergo reus alicujus criminis ad reparandum illud damnum, quod per accidens patitur tertius innocens, cui ex errore crimen adscribitur, nisi sane tales essent circumstantiae, ex quibus rationabilis suspicio necessario in innocentem cadere deberet; nam actio injusta, quam reus posuit, non est causa ex se efficax, ut crimen alteri imputetur; imputatio falsa non ex actione criminali sequitur, sed ex errore et temerario judicio aliorum; actio criminalis est tantum occasio sinistrae imputationis. *Sumamus exemplum.* Petrus occidit Joannem, sed homicidium Adalberto adscribitur, qui hac occasione bona fama privatur et carcere punitur. Petrus obligatur tantum, ut familiam Joannis indemnem faciat; cui obligationi si satisfecit, ad nihil amplius ex justitia tenetur: non potest ex justitia cogi, ut crimen suum manifestet et tali ratione innocentem Adalbertum e carcere in libertatem et in bonam famam restituat. Aliter dicendum esset, si Petrus in ejusmodi circumstantiis Joannem occidisset, ut homicidium Adalberto necessarie adscribendum esset, v. gr. si Petrus ad homicidium patrandum armis Adalberti, ipso inscio, esset usus, aut ejus vestibus indutus esset, aut cadaver ad ejus domum adtraxisset. Petrus etiam tunc probabilius ab omni obligatione justitiae eximitur, quando, homicidium patrando, expresse interne intedit, ut hoc Adalberto adscribatur, dummodo ne quid ipse agat, aut in illis circumstantiis Joannem occidat, ut suspicio fundata necessarie in Adalbertum cadat. Graviter quidem contra caritatem ob pravam intentionem peccat, imo etiam peccat contra justitiam affective, non autem effective. Non semper tamen in singulis casibus satis apparet, utrum aliqua actio sit causa subsequentis damni, an vero sola occasio.

58. III. **Actio damnifica sit culpabilis,** ut restitutionis obligationem subeat: reparare enim damnum alienum sine ullo percepto emolumento proprio est quaedam poena; nemo autem ad poenam condemnari potest, nisi saltem aliquo modo culpam commisisse judicetur. Jure naturae, ut actio damnifica dicatur culpabilis, non quaevis sufficit culpa, sed ea, quae *theologica* appellatur, vc. quā Deus offenditur, quā peccatum formale committitur; quemadmodum ad peccatum formale requiritur voluntarium saltem indirectum (in causa) et sufficiens cognitio, aut saltem aliqua in confuso praevisio, ita pariter vera culpa theologica sine hisce elementis actuum humanorum subsistere nequit.

Primario gravitas culpae theologicae gravitate objecti vel damni illati

mensuratur, secundario autem ex majore perfectione voluntarii et cognitionis aestimatur: qui parvum damnum proximo infert, non obstante plena advertentia, culpam nonnisi levem committit; qui tamen magno damno proximum afficit, non semper culpae gravis fit reus, nam id sine sufficiente cognitione vel nonnisi cum sat remoto voluntario contingere potest. A culpa theologica distinguenda est culpa juridica, quae jure civili in foro externo sufficiens habetur et quae evenire potest etiam sine peccato formali.

59. **Culpa juridica** in actu positivo est quaevis legis civilis transgressio, in actu negativo est omissio diligentiae, quam aut lex civilis, aut natura contractus ad praecavenda damna requirit; quia vero omissio diligentiae etiam inadvertenter contingere potest, ideo culpa juridica non semper culpam theologicam supponit, non autem vice versa. Culpa juridica apud romanos jurisperitos triplex distinguebatur: lata, levis, levissima. Culpa lata—omissio diligentiae ordinariae; culpa levis—omissio diligentiae, quam bonus paterfamilias in rebus suis adhibere solet; tandem culpa levissima est ea, quae etiam homini vigilantissimo contingere potest. Pro diversis causis et contractibus haec vel illa culpa sufficiens judicabatur ad obligationem restitutionis sebeundam. Quae distinctio triplicis culpae nostra aetate in solo Borussico Codice Civili est recepta. In Cod. Nap. sola culpa gravis agnoscitur, quae generatim est omissio diligentiae, qua prudens paterfamilias uti solet; solummodo in paucis contractibus singularibus major vel minor cura lege requiritur (*art. 1137*). Jure Rossico Civili ad culpam juridicam sufficit quaevis inconsideratio (*всякая неосторожность ст. 647*), aut quod idem est, sufficit, ut lex transgrediatur et damnum alicui inferatur (*ст. 684*). Per modum exceptionis aperta negligentia (*явная небрежность*) ad obligationem restitutionis subeundam tunc tantum exigitur, quando quis pro alia persona rationem reddere tenetur, ut parentes pro filiis, tutor pro pupillis, curator pro amentibus et furiosis (*ст. 653—654*). Generatim vero ab obligatione reparandi damnum illatum tunc solummodo agens Jure Rossico eximitur, quando illud aut casu prorsus fortuito evenit (*ст. 647*), aut supremo magistratu exigitur (*требованіями правительства*), aut ad propriam tutelam perficitur, aut tandem in illis circumstantiis contingit, in quibus averti omnino non potuit (*ст. 684*).

Ex considerata natura culpae theologicae et juridicae satis apparet utriusque discrimen. De culpa theologica excusant quaevis causae, quae liberum voluntarium tollunt, ut ignorantia, inadverten-

tia, vis, error etc. De culpa autem juridica excusant solae causae, quae in foro externo probari possunt, ut defectus rationis pro amentibus et minoribus, coactio, casus fortuitus, propria tutela; quae causae excusantes ab ipso malefactore, non autem ab illo, qui damnum patitur, probari debent [1]).

60. **Ad obligationem restitutionis in conscientia contrahendam** per se jure naturae requiritur et sufficit culpa theologica seu injuria formalis, i. e. voluntas nocendi saltem indirecta, cum damni praevisione saltem in confuso; «quia ut conscientia obligata remaneat, ait S. Alphonsus, opus est, ut in conscientia sit patratum delictum» [2]). Voluntarium, qua elementum culpae theologicae, non semper exigitur positivum: sufficit damnum alienum cum advertentia vel voluntaria negligentia tunc non impedire, quando causa efficiens hujus damni aliquo modo dici potest nostra, quod ut melius perspiciatur, hasce regulas statuere possumus: a) Quisque, qua injustus damnificator, per se sine interventione legis positivae, jure naturae obligatur ad reparandum illud *damnum, quod vel per res, curae suae commissas, vel per sua animalia aliis infertur*, quando culpabiliter congruentem vigilantiam neglexit; adest enim tunc voluntarium indirectum. Ita ad restitutionem erga damno affectos illi obligantur, qui venena aut alias res periculosas sine sufficiente cura relinquunt, qui canes mordaces custodire negligunt, qui gregem suum sine pastore in pascua mittunt etc., si exinde alicui damnum reipsa sequitur.

61. b) *Qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, deinde tamen illud damnum quamquam impedire potuit, nihilominus advertenter id neglexit*, ad restitutionem obligatur; quisque enim, quantum potest, ex justitia impedire tenetur, quominus ex sua actione proximus laedatur. Diligentia in hisce circumstantiis adhiberi debet conveniens gravitati causae et proprio damno imminenti: nemo enim obligari potest ad avertendum damnum alienum involuntarium cum proprio aequali detrimento. In singulis casibus haec sunt tenenda: 1) etiamsi quis inculpabiliter domum alienam incenderit, ex justitia debet erumpentem flammam extinguere, quando potest; 2) pharmacopola aut medicus, qui pro salubri medicamento noxium ex errore dedit, errorem

---

[1]) *Доказать случайность дѣянія обязанъ отвѣтчикъ.* Гражд. Касс. Департ. Прав. Сен. къ статьѣ 647: 1870 г. № 1132; 1876 г. № 114.

[2]) S. Alphonsus, *Homo Apost.*, X, n. 39.

ex justitia emendare tenetur, si tempus adhuc id permittit; 3) qui inadvertenter noxium consilium alicui dedit, tempestive illud revocare debet, in quantum ad id valet et prodesse potest; 4) qui proximum de bona fama licet inadvertenter vel ex errore detraxit, cognita causa, errorem suum ex justitia corrigere debet. Omnes isti, nisi opportuno tempore, quantum possunt, damnum proximi praecaveant, contra justitiam peccant graviter et obligationem restitutionis incurrunt.

c) *Qui culpabiliter causam damni alieni posuit et deinceps, mutato pravo consilio, illud pro viribus avertere conabatur, non tamen potuit,* ab obligatione restitutionis non eximitur: nam qui culpabiliter causam damni efficacem posuit, etiam efficaciter illam tollere debet; sola affectiva retractatio non sufficit. Hinc, qui culpabiliter alteri venenum propinavit et deinceps, facti poenitens, ejus letalem effectum frustra est conatus tollere, ad omnia damna ex homicidio provenientia resarcienda obligatur. Pari modo ab obligatione restitutionis non eximitur, qui pravum mandatum aliis nocendi dedit et illud tempestive revocare, quamquam tentavit, non tamen potuit.

62. d) *Qui vacat quidem operi illicito vel etiam injusto, ex quo tamen damnum alterius nonnisi per accidens sequitur,* ad restitutionem non obligatur, quia licet tunc adest culpa theologica, non tamen in ordine ad illum effectum damnosum et impraevisum, qui reipsa evenit. Ita, a restitutione liberatur, qui venatione prohibita occupatus pro fera, quam petebat, e sclopeto occidit hominem, quem minime advertebat. Idem tenendum est in casu, quo fur in aliena officina nocte lumen accendit, ut aliquid furetur, atque casu fortuito et prorsus impraeviso sua candela in paleas evertitur incendiumque efficit. Pariter a restitutione eximitur, qui, animo vindictae impulsus, sagittam in capram sui inimici mittit, sed loco ejus inopinate attingit vaccam sui amici, ex altera parte sepis latenter jacentem. Difficultas tunc tantum exoritur, quando vacca est ejusdem inimici. Juxta principia purae rationis etiam tunc posse excusari videtur: noluit enim vaccam occidere. In usu tamen vitae obligatio restitutionis tunc saepius adesse juste arbitratur, vc. quando quis in genere propositum inimico nocendi habet et est paratus perinde sive ejus capram, sive vaccam occidere. Si tamen expresse noluit majus damnum facere, quam quod pretio caprae aequivaleret, probabilius pretium tantum caprae restituere debet.

63. Gravitas culpae theologicae primario ex gravitate damni illati mensuratur. *Hac gravitate culpae theologicae ipsa restituendi obligatio generatim aestimatur:* quo gravior est culpa vel, quod saepissime contingit, quo gravius est damnum, eo severior exoritur obligatio restitutionis. Non parva tamen habetur difficultas, quo rigore urgenda sit reparatio gravis damni, quod per accidens *cum culpa nonnisi levi* est proximo illatum. Vasquez affirmat integrum grave damnum esse resarciendum; utrum vero id sub peccato gravi, an sub levi sit urgendum, ipse non declarat. Sunt graves theologi, ut Molina, Laymann, Carrière, qui damnificatorem ad reparandam parvam tantum damni partem, levi culpae congruentem, obligent; quae opinio aequitati admodum convenire videtur; aequius est enim, ut ille, qui aliquo modo nocens et moralis causa est, saltem aliquid reparando puniatur, quam ut prorsus impunitus maneat. Communior tamen et probabilior theologorum sententia damnificatorem venialiter culpabilem ad nihil ex justitia obligat. Ita Lessius, Lugo, Elbel, S. Alphonsus, Lehmkuhl, Gury, pluresque alii [1]). Obligare enim damnificatorem in hoc casu, ut aliquam tantum exiguam partem restituat, ipsis videtur nimis arbitrarium et ambiguum: damnificator aut ad nihil, aut ad totum damnum reparandum tenetur; sed imponere grave onus reparandi totum damnum sub peccato mortali ob levem culpam esset nimis severum et injustum; imponere vero grave onus sub peccato veniali esset aut merum consilium, aut praeceptum illusorium. Recte Lessius animadvertit, esse moraliter impossibile omnes leves defectus ratione indeliberationis et inadvertentiae vitare. Altera tamen ex parte non est confundenda levis culpa cum parva negligentia. Si enim res est gravis momenti, etiam minor defectus vigilantiae sufficere potest ad gravem culpam. Sapienter etiam Elbel pro usu vitae adnotat: «nihilominus confessario incumbat, ut dum audit poenitentem grave damnum intulisse culpabiliter, non nimis faciliter judicet, damnificationem contigisse dumtaxat ex culpa veniali ideoque ad nullam restitutionem obligari suum clientem... ne, dum uni nimium condescendit, alter injuste gravetur». Sporer, auctor aliunde sat benignus, in sua Theologia Morali idem fere monitum subjungit: «sequitur, nullam

---

[1]) Vasquez, *De Restitutione*, cap. II, § 2, dub. 2 — Molina, Disp. 698, n. 7; Laymann, lib. III, p. I, tr 3, cap. 6, n. 4; Carrière, p. III, n. 1156.—Lessius, lib. II, cap. 7, n. 27; Lugo, Disp. VIII, n. 57; Elbel, p. IV, n. 91; S. Alphonsus, lib. IV, n. 552; Lehmkuhl, I, n. 969; Gury, I, n. 665.

contrahere obligationem restituendi eum, qui subita ira percitus, actione tantum venialiter mala hominem occidit, vel quodvis damnum homini intulit. Item si famuli vel ancillae simili veniali negligentia relinquant fores domus domini apertas, unde fures damnum inférunt. Item si custodes vinearum, segetum, nemorum, vectigalium veniali solum negligentia sinant damnum inferri. Monent tamen doctores, nisi certe constet, raro praesumendam esse ejusmodi culpam venialem ex imperfectione actus in gravi damnificatione, ideoque confessarios ordinarie debere inducere poenitentem ad aliquam compensationem vel amicam compositionem cum parte laesa, quoad commode fieri poterit, quod omnino consultissimum» [1]).

64. Obligatio restitutionis per se, sine alio interventu, ex sola culpa theologica exoritur, nam haec sola dici potest vera culpa. *Ex culpa mere juridica obligatio restitutionis non sequitur, nisi aut post sententiam judicis, aut in casu, quo quis expresso pacto*, sola culpa juridica intercedente, *ad damnum reparandum se obligavit.* Quidam auctores subjungunt adhuc casum, quo actio damnifica laedenti proficua efficitur; ita, v. gr. grex tuus sine tua culpa in alieno agro pluries est saturatus; ante quamcunque sententiam judicis omne id restituere debes, in quo rebus propriis pepercisti, aut injuste ditior es factus. Haec tamen obligatio, ut apparet, non vi actionis damnificae, sed potius ex tituto rei alienae acceptae sequitur. Imprimis igitur ex culpa juridica obligatio restitutionis sequitur *post sententiam judicis, quae non in falsa praesumptione facti fundatur.* Sententia autem judicis tunc dicitur in falsa praesumptione facti fundari, quando aut nullum damnum reipsa est illatum, sed false excogitatum, aut factum est a tertia persona, non autem ab ea, contra quam judex sententiam tulit. Innocens false accusatus et injusta sententia ad restitutionem condemnatus, sane ad pacem publicam servandam judici parere debet; attamen occulta compensatio ei interdici nequit. Contra, sententiae judicis, quae non in falsa praesumptione facti fundatur, est in conscientia obtemperandum; lex enim civilis hoc in casu est justa et utilis: vult enim homines reddere magis cautos, ne damnum aliis per neglectam vigilantiam conferant, et ante quemlibet eventum omnibus civibus aeque favet. Fortasse etiam alia ratione lex civilis hac in causa justificari potest: primo obtutu non videtur esse aequum, ut

---

[1]) Sporer, *Theol. Moral*, de restit. tr. IV, cap 2, n. 51.

ille ad restitutionem adstringatur, qui damnum alicui sine vera culpa intulit; sed altera ex parte adhuc magis aequitati repugnare videtur, quominus ipse proprietarius sine ulla sua actione detrimentum immerito subeat. Ceteris paribus, semper tamen non proprietarius sed damnificator dici debet causa positiva infausti eventus. Haec fortasse etiam fuit causa, legem civilem movens, cur in eventu infausto potius possessori, quam damnificatori faveat.

65. Porro, ex culpa mere juridica etiam ante sententiam judicis obligatio reparandi damnum illatum tunc sequitur, *quando quis pacto expresso ad id se obligavit.* Ita, qui rem alienam commodato accepit, si pacto expresso omnia ejus pericula in se suscepit, jam ante sententiam judicis omnia reparare debet damna, etiam quae casu evenerint Sed sine tali expressa condicione apposita et commodatarius, et depositarius, et locatarius ante judicis sententiam non tenentur reparare damna, quae proprietario sine culpa theologica obvenerint; vi pacti taciti ad majorem tantum vigilantiam et diligentiam in re aliena conservanda sunt obligati. Pari modo, qui munere publico funguntur, quamquam ex quasi-contractu majorem curam et convenientem scientiam sibi comparandam spondent, attamen, si in officio suo exequendo alicui sine culpa theologica damnum inferunt, ad restitutionem nonnisi post sententiam judicis tenentur; quia neque ipsi expresso pacto ad omnia damna compensanda se obligarunt, neque aliunde talis rigorosa obligatio probari potest; quae si admitteretur, publico bono esset noxia: viri enim probi et timoratae conscientiae nollent hoc gravissimum onus in se suscipere atque a publicis negotiis et officiis se abstinerent [1]. Medicus ergo, ait Marres, qui absque omni culpa nocivo medicamento aegroti valetudini nocuit ad restitutionem non obligatur; neque judex, qui bona fide falsam alteri nocivam sententiam protulit; nec causidicus, qui falso consilio dato inculpabiliter clienti nocuit [2].

Hi tamen omnes in conscientia obligantur tum ad majorem vigilantiam, tum ad comparandam congruentem sibi scientiam; quae vigilantia et scientia eo major requiritur, quo quis sublimiore et graviore munere fungitur et quo majore stipendio pro suo officio remuneratur. Quas partes sui officii nisi quis religiose expleat, jam ipsius culpae theologicae fit reus.

---

[1]) Cf. Lugo, Disp. VIII, n. 87—96.

[2]) Marres, I, n. 63.

c) De Injusta Cooperatione.

66. Homo, cum sit animal sociale, etiam in delictis sibi socios non semel quaerit, a quibus in damnis inferendis inique adjuvetur, quos injustos cooperatores appellamus. Qui injusti cooperatores, in aliena injuria participantes, cum non semper easdem habeant partes, non eadem etiam ratione restitutionis vinculo obstringuntur. Secundum S. Thomam novem species injustae cooperationis distingui solent: sex actione positiva, tres vero omissione actionis ex justitia debitae committuntur; quae omnes hisce versibus sunt conceptae:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans [1].

Cooperatores dicuntur positivi, qui actione physica vel morali executorem alienae injuriae adjuvant, aut aliquo modo ad id excitant. Injusta cooperatio, quamquam non est sola, est tamen vera causa alieni damni, ideoque, qua stricte injuriosa, obligationem restitutionis imponere solet, quod jam satis apparet ex propositione n. 39 ab Innocentio XI damnata: *qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* S. Paulus Ap., postquam multa vitia et injurias Romanis exprobravit, tandem subjungit: *digni sunt morte et non solum qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus* (Rom. I, 32).

67. Attamen, ut ex injusta cooperatione obligatio restitutionis sequatur, illa esse debet stricte injusta, efficax, theologice culpabilis. Si quae ex hisce tribus condicionibus deest, injustus cooperator potest peccare, quin perinde restitutionis vinculo constringatur. Quod imprimis tunc evenit, quando executor per se vel per alios est jam certe determinatus ad injuriam proximo inferendam; ille qui eum tunc iniquo consilio, consensu, adhortatione ad idem movet, peccat quidem contra caritatem, fit reus scandali, participat in alieno peccato, ad restitutionem tamen non obligatur. Contra, ab obligatione restitutionis cooperator non eximitur, quando executorem alienae injuriae vere movet, aut fluctuantem in pravo proposito confirmat, etiamsi non desint alii iniqui consiliarii, qui idem certe praestare potuerint. Porro, cooperator ad restitutionem non obligatur, quando

---

[1]) 2. 2. q. 62 art. 7.

sua actio vim habuit non ad damni substantiam, sed tantum ad modum inferendi damnum, v. gr. si quis alicui ad injuriam inferendam plene determinato suadet, ut in hoc vel illo loco opportuniore, hisce vel aliis instrumentis, citius vel animosius suum pravum propositum exequatur. «Cavendum tamen est, animadvertit Carrière, ne ex mutatis circumstantiis inducatur influxus in ipsam substantiam, ut aliquando accidere potest. Sic v. gr. si quis in causa sit, cur damnum inferatur hodie potius, quam crastino die, poterit teneri de toto damno, aut saltem de magna illius parte, quia saepe adest spes, posita dilatione, vitandum fore damnum» [1]. Ita, si quis furi, ad alienam pecuniam subducendam jam plene parato indicet locum, ubi pecunia sit absondita, potest incurrere obligationem restituendi totum, si fur illum clandestinum locum aliter non reperisset.

68. Inter theologos disputatur, an cooperator ad restitutionem sit obligandus, *quando vis suae cooperationis sit dubia*, vc. quando post diligens examen non constat, utrum suum mandatum, consilium, consensus et s. p. fuerit vera causa damni, an vero ipse malefactor per se jam paratus erat ad damnum inferendum. Sane ante factum nunquam licet talem actionem ponere, ex qua alterius damnum sequi potest; usus probabilismi in hisce causis est illicitus. Quid autem sentiendum sit post factum, S. Alphonsus aperte non declarat, solummodo argumenta theologorum pro utraque parte allegat, sententiam affirmativam, quae cooperatorem ad restitutionem obligat, valde probabilem appellat, negativam autem etiam satis probabilem dicit, cui ipse s. Thomas favere videtur [2]. Quidquid sit, in usu vitae certe sequi potest sententia negativa: nemo enim ad damnum reparandum certo obligari potest, nisi moraliter certo constet, eum fuisse veram illius causam. Hic casus differt ab illo dubio, quando non constat, quisnam e pluribus malefactoribus fuerit vera causa efficax damni (*n. 53*); ibi omnes damnificatores pro rata dubii parte ad restitutionem obligantur, nam, quamquam non omnes erant vera causa ipsius damni, omnes tamen erant causa incertitudinis, propter quam innocens ibi a nemine totam satisfactionem petere potest. Hic vero, quando non constat de vi efficaci cooperationis, superest ipse pravus executor, qui in exequendo malus, etiam sine aliena cooperatione semper malus praesumitur et ad reparandum damnum innocenti tenetur.

---

[1]) Carrière, *De Justitia*, t. III, n. 1163.

[2]) S. Alphonsus, *lib. IV*, *n. 562*; 2. 2. q. 62, art. 7.

Jussio seu Mandatum.

69. *Mandatum habetur, quando quis alium jussu, precibus, quandoque solo nutu, aut etiam tacito consensu ad damnum tertiae personae in suam gratiam et suo nomine inferendum movet.* Ut verum mandatum habeatur, non requiritur, ut mandans sit superior mandatarii: potest enim quis alterum mercede, salario promisso, aut alia ratione suae voluntati tanquam ministrum subjicere. Ex parte autem veri superioris ad rationem mandati sufficit indirecte manifestata voluntas. Ita, Henricus II rex Angliae, cum saepius coram aulicis conqueretur, se in regno suo pacem cum certo sacerdote habere non posse, a theologis occisionem S. Thomae Cantuariensis tacite mandasse dicitur. A mandante distinguendus est ille, qui damnum alienum in suam gratiam factum posthac approbat; hic, utpote cum damni alieni jam illati vera causa non fuerit, neque ad illud reparandum obligari potest, nisi forte aut qua injustus rei alienae possessor, si iniquum contractum nomine suo initum ratum habet, aut nisi sua subsequente approbatione ad nova damna alicui inferenda executorem vere moveat.

70. *Mandans ad duo obligari solet:* tum damnum injustum vi mandati proximo illatum et saltem in confuso praevisum reparare debet, tum non semel resarcire tenetur illa, quae ipse mandatarius in executione mandati est passus. Ad illud damnum reparandum mandans loco primo vc. prae ipso mandatario seu executore est obligatus, nam, ut ait d. Thomas [1]), *ille qui jubet est principaliter movens et principaliter ad restituendum tenetur.* A qua obligatione mandans non liberatur, nisi suum mandatum tempestive. antequam damnum inferatur, efficaciter revocet. *Ut revocatio efficax habeatur,* non sufficit ex parte mandantis eam sincere velle aut etiam tentare, sed requiritur, ut ipsa mandatario vere innotescat et ab eo uti sincera judicetur. Hinc, si revocatio etiam sine culpa mandantis v. gr. ob dolum tertiae personae vel ob surditatem mandatarii tempore opportuno non est percepta, aut a mandatario uti non sincera falso judicatur, mandans non desinit esse vera causa damni illati, neque ab obligatione restitutionis eximitur. Idem probabilius est dicendum in casu, quo

---

[1]) 2. 2. q. 62, art. 7.

mandatarius revocationem quidem percepit, sed deinceps, ejusdem oblitus, damnum proximo infert; etiam in hoc casu vera damni causa dici debet mandatum. Contra, si mandatarius revocationem uti sinceram percipit sed, ne promissa mercede frustretur, finxit, se revocationem non percepisse, mandans ab onere restitutionis liberatur, nam vera causa damni illati non mandatum, sed perversa voluntas mandatarii tunc juste judicatur [1]. Non semper tamen simplex mandati revocatio, mandatario etiam vere manifestata, ab omni obligatione mandantem liberat: jubens, qui cum mandato simul etiam rationes apposuit, quibus perversa voluntas mandatarii excitata et in malo proposito est obfirmata, si non titulo mandati, certe titulo pravi consilii, obligationem restitutionis contrahit; a qua ut liberetur, non tantum revocare ipsum mandatum, sed etiam sua insinuata argumenta uti insana ostendere debet; imo si videt, non obstante contrario monito, mandatarium nihilominus in suo iniquo proposito perseverare, mandans saltem ex caritate debet attentum facere illum, cui damnum imminet, nisi ab hac obligatione proprio gravi damno, ut infamia, eximatur.

71. Mandato aut non efficaciter, aut prorsus non revocato, *jubens reparare debet omne damnum vi mandati reipsa illatum*, vc. tum illud, quod fieri expresse jussit, tum illud, quod quidem fieri non jussit, quod tamen ex mandati executione secuturum saltem in confuso praeviderat, praecognita mandatarii indole. Ita a Bonifacio VIII irregularis declaratur jubens aliquem verberari, si mandatarius, fines mandati excedens, innocentem mutilet vel occidat. Non tenetur tamen mandans reparare damna, quae mandatarius sua culpa aut errore vincibili intulit et quae jubens nullo pacto praevidere potuit. An jubens teneatur reparare etiam dumnum, quod mandatarius ex errore invincibili intulerit, inter theologos disputatur. Quidam, ut Lacroix, non sine solida ratione mandantem in hoc casu obligant ad rasarcienda saltem communia damna, quae ex hujusmodi mandato sequi solent: nisi enim mandatum adfuisset, ipse error et damnum, ex eo secutum, locum non haberet; ergo mandans erat causa damni [2]. Communius tamen theologi contrarium tenent: causa efficax damni in hoc casu non est mandatum jubentis, sed error mandatarii, qui jubenti nulla-

---

[1]) Cf. Lugo, Disp. XIX, nn. 24—31.

[2]) Lacroix, *Theol. Moral.*, lib. III, p. II, n. 26.

tenus imputari potest [1]. Tunc tantum jubens obligationem restitutionis contrahit, quando error mandatarii, propter difficultatem rei mandatae, ex ipso mandato quasi sponte sequitur. Praecipitur v. gr. nocte densissima Petrus occidi, qui primus obvius fore putabatur; de facto tamen per accidens fuit Paulus.

72. Praeter damnum injustum, vi mandati proximo illatum et saltem in confuso praevisum, *jubens compensare adhuc debet damna communiter contingentia, quae ipse mandatarius in ejus mandato exequendo fortasse subiit*, si hic ad mandati executionem mediis injustis, ut metu, vi, dolo est compulsus. Tenetur tamen jubens resarcire non quaecunque damna, etiam casu fortuito, aut ex imprudentia, vel temeritate mandatarii obvenientia, sed illa tantum, quae in ejusmodi circumstantiis communiter et ordinarie evenire solent et saltem aliquo modo praevideri poterant. Hinc, si mandatarius in mandato exequendo deprehensus, virgis punitur, aut canibus objectus laceratur et vulneratur, sane a jubente indemnis fieri debet, non autem si fortuito in foveam impraevisam noctu incidit et costam sibi fregit. Quando vero mandatarius aut mercede conductus, aut scienter et sua sponte periculum exequendi mandatum in se suscipit, jubens tunc damna, ipsi mandatario obvenientia, resarcire non tenetur, quia hic totum onus et omnia consectaria, suae personae imminentia, implicite in se suscepit.

Consilium.

73. *Consulens dicitur, qui suasu, adhortatione, blanditiis, suggerendo rationes, ostendendo modum nocendi,* ut Jonadab Amnoni (II Reg. III) *aliquem ad damnum proximo inferendum adducit.* A jubente consulens eo distinguitur, quod hujus executor nomine proprio ad actum injuriosum determinatur, mandatarius autem nomine et in gratiam jubentis agit. Insuper jubens semper prior ad restitutionem obligatur et solummodo in ejus defectu obligatio restitutionis mandatarium obstringit. Contra, consulens saepe nonnisi secundario tantum, vc. in defectu executoris, obligationem restituendi contrahit.

---

[1] Carrière, III, n. 1179; Billuart, Diss. VIII, art. 13, § 2; Lehmkuhl, I, n. 1000; Guri-Ballerini, I, n. 674; Marres, I, n. 86; Waffelaert, II, n. 279.

Consilium discernitur doctrinale et impulsivum; utrumque esse potest vel nudum vc. simpliciter datum, vel rationibus convincentibus vestitum et obfirmatum. Injustum *consilium doctrinale* illud dicitur, quo bonitas aut malitia, justitia aut injustitia actionis false declaratur, v. gr. aliquis contractus dicitur licitus, cum tamen sit illicitus, restitutio docetur non esse in certo casu facienda, cum tamen fieri debeat. Hujusmodi iniqui consultores fuerant adolescentes cum Roboam enutriti (Cf. III Reg. XII). Injustum *consilium impulsivum* est illud, quo malitia vel injustitia actionis non negatur quidem, animo tamen fluctuans aliquis ad inique agendum cohortatur; hujusmodi consilium fuerat Achitophelis datum Absalomi (II Reg. XVI, 21).

75. *Qui ratione status aut officii* in re aliqua peritiam profitentur falsumque dant *consilium doctrinale* sive mala fide, sive ex ignorantia, vel negligentia graviter culpabili, ad omne damnum exinde *tum ipsi consilium petenti, tum alteri innocenti obveniens* reparandum obligantur, nam culpabiliter et efficaciter ad utrumque cooperantur. Imo, etiamsi quis injustum consilium inculpabiliter dederit, dummodo tempus et aliae circumstantiae permittant, tenetur illud corrigere, quod nisi sine sufficiente ratione fecerit, ab obligatione restitutionis non liberatur. Hujusmodi doctrinales consiliarii sunt medici, advocati, notarii, confessarii, aliique hujusmodi, quorum ignorantia graviter culpabilis esse tunc dicitur, quando carent necessaria scientia, suo muneri conveniente. Quo quis majorem peritiam pofitetur et majus honorarium pro ea expostulat, eo major in consilio praestando diligentia et scientia ab eo requiritur. Hoc sub respectu non eadem ratione obligationem restitutionis contrahunt simplex advocatus et celeberrimus causidicus.—Quando autem consilium doctrinale datur ab eo, *cui officium consiliarii non competit*, vel qui singularem peritiam non profitetur, tunc falsus consiliarius non tenetur damnum resarcire, si quod ipsi consilium petenti obvenit, nisi dolo vc. scienter et fraudulenter ignorantem circumveniat et ipsi expresse nocere velit: nam petens consilium ab imperito, ipse se voluntarie decipit et damnum, si quod patitur, propriae imprudentiae adscribere debet. Debet tamen falsus consiliarius etiam tunc restituere damnum illi, contra quem consilium dedit: nam qui dat injustum consilium erga innocentem, ad ipsius damnum positive concurrit. Supponitur autem semper in consulente culpa theologica, qua accedente, ille, qui suo consilio doctrinali executorem in errorem invincibilem induxit, non solum primario, sed simpliciter solus damnum alteri innocenti illatum reparare debet, nam consilii

executor propter bonam suam fidem et defectum culpae theologicae ab obligatione restitutionis omnino liberatur.

75. *Qui alterum consilio impulsivo* sive nudo, sive rationibus vestito, ad nocendum excitavit, reparare debet damnum, tertiae personae exinde obveniens, nam efficaciter et injuste ei nocuit. Ad hoc tamen obligatur nonnisi secundario, vc. in defectu ipsius executoris, si hic noluerit aut non potuerit damnum innocenti resarcire: qui alieno consilio agit, nomine proprio agit et prior ad restituendum obligatur; ipse executor pariter subit omnia pericula, quae in executione actionis damnificae sibi obvenire possunt, nam supponitur malitiam actionis bene perspicere et in suam gratiam agere. Ut autem consulens saltem secundario ad congruentem restitutionem obligetur, eadem condiciones requiruntur, ac in quavis injusta damnificatione: ut consilium sit contra justitiam commutativam, sit causa efficax damni illati, tandem cum culpa theologica exhibeatur. Inquirunt igitur theologi, an consilium dici possit stricte injuriosum, si *quis malefactori minus damnum suadet,* quam quod malefactor facere intendit. Qua in causa plura sunt distinguenda. Sane nulla fit injuria tali consilio, si agitur de damno eidem personae inferendo: tali consilio saltem pars damni avertitur et proinde personae innocenti favetur. Utique melius adhuc esset per modum correctionis fraternae executori actionem injustam prorsus dissuadere, aut ipsum innocentem de damno imminente cautum facere; ad hoc tamen ex justitia non obligantur, nisi qui singulari officio custodis, superioris, vel alio funguntur. Aeque non erit contra justitiam, si quis malefactorem adhortetur, ne alicui pauperi, aut suo amico noceat, etiamsi praevideat fore, ut malefactor tunc alteri noceat: consiliarius tali ratione alterius damnum nonnisi permittit, non vero illud suadet. Tandem, si malefactor est jam determinatus alterutri ex duobus nocere, aut alicui nominatim pauperi, aut certo diviti, non erit contra justitiam simpliciter declarare, minus esse malum nocere huic diviti, quam illi pauperi; nemo enim, recte ait Lugo, potest rationabiliter esse invitus aut conqueri, quod veritatem utilem et honestam explices indigenti [1]).

76. Contra, injuriae esset reus et obligationem restitutionis contraheret, qui malefactorem jam paratum ad nocendum aut certo diviti

---

[1]) Lugo, Disp. XIX, n. 46.

aut certo pauperi *positive adhortaretur*, ut potius huic diviti, quam illi pauperi noceret, nam tunc diviti positive obesset. A fortiore erit injustum suadere malefactori, ne noceat huic, cui ille nocere est paratus, sed potius alteri, de quo malefactor nec cogitabat; excipitur nonnisi casus, quo discrimen inter utrumque damnum tantum esset, ut dives ratione opulentiae leviter solummodo laederetur. Tandem ab obligatione restitutionis ille eximitur, qui volenti duas simul personas v. gr. Petrum et Paulum damno afficere consulit, ut Petro parcat, nisi praevidet fore, ut Paulus idcirco majore damno afficiatur [1]. Sunt tamen theologi numero pauci, qui has distinctiones non admittant et absolute affirment, semper licere minus damnum consulere. quando malefactor jam sit paratus majus inferre, sive eidem sive alteri, de quo malefactor cogitabat, aut non cogitabat: qui damnum exinde patitur, justam querelae causam habet non in consulentem minus damnum, sed in solum malefactorem; charitas enim postulat, ut volenti malum patrare suadeatur minus; pariter charitas exigit, ut potius impediam damnum ejus, qui magis laederetur, quam ejus qui minus; patiens igitur minus damnum rationabiliter invitus esse non potest respectu illius, qui juxta normam praecepti charitatis agit [2]. Haec opinio est satis probabilis; nihilominus illa est probabilior et magis videtur aequitati convenire, nam semper valet ratio, vi cujus injuria esset alicui positive favere cum damno alterius.

77. *Qui suum iniquum consilium*, antequam exequatur, *tempestive revocat*, non semper ab onere restitutionis jam fit immunis. Qua in causa haec sunt distinguenda. Qui consilium nudum seu rationibus non vestitum, sive doctrinale sive impulsivum, etiam culpabiliter dedit, sed tempore opportumo revocavit, ab obligatione restitutionis fit liber. Si vero suum iniquum consilium rationibus ex rei utilitate petitis erat obfirmatum, non sufficit nuda consilii revocatio, nam rationes antea allegatae et non revocatae merito praesumuntur fuisse vera causa damni subsequentis. Non sunt tamen theologi concordes, quando inquirunt, an ad restitutionem obligetur consulens, qui non tantum revocavit suum consilium, sed simul suas allatas rationes, meliore quo potuit modo, praesertim argumentis ex fide petitis, elidere est conatus, attamen frustra, nam executorem persuadere non

---

[1]) **S. Alphonsus**, lib. IV, n. 565.

[2]) **Gury-Ballerini**, I, n. 677, Vasquez.

potuit. Sunt graves theologi, qui consulentem in hoc casu a restitutione facienda liberent: malefactor, qui appositis argumentis a pravo proposito abduci non vult, ex sua malitia, non autem ex alterius consilio agere supponitur. Contraria tamen opinio, quae consiliarium in hoc casu ad restitutionem obligat, inter theologos est communior et probabilior [1]): qui causam damni culpabiliter posuit, nisi illam vere efficaciter revocet, pergit esse causa damni; malefactor, antequam consilium acceperit, supponitur non fuisse paratus ad damnum inferendum; ergo consilium, licet revocatum, fuit tamen vera causa damni. Quamquam haec opinio est certe probabilior, cum tamen etiam illa non careat probabilitate, ideo recte Marres pro cura animarum animadvertit: hujusmodi igitur consulens sacramentorum negatione ad restitutionem cogi nequit; imo plerumque propter invictam illius persuasionem ne monendus quidem videtur [2]). Si quis tamen furi suo consilio indicavit modum ingrediendi domum, quem secus ille non reperisset, aut quid simile, sane, non obstante deinceps contrario consilio, ad restitutionem certo obligatur, nisi attentum fecerit eum, cui damnum imminet, ad quod ex justitia obligatur.

Consensus.

78. Consentiens hic subintelligitur, qui injusto suffragio, voto, externa approbatione, sententia judiciali aut decretoria ad damnum proximi efficaciter cooperatur. Hujusmodi consentientes sunt judices, consiliarii, senatores, qui communi voto aliquid decernunt, item in regnis constitutioni convenientibus deputati, quando in legibus condendis, officiis distribuendis, sententiis ferendis partes habent, tandem domini et patresfamilias, quando consensu approbant, ut famuli et filii aliis noceant.

Voto vel suffragio ad damnum alienum consentiens obligationem restitutionis loco nonnisi secundario, vc. in defectu ipsius executoris, contrahit. Quando consentientes sunt plures, omnes pro rata parte ad

---

[1]) Hanc sententiam tuentur: **Molina**, Disp. 731; **Lessius**, lib. II, cap. 13, n. 16—18; **Lugo**, Disp. XIX, n. 37; **Laymann**, lib. I, tr. 5, p. III, n. 7; **S. Alphonsus**, lib. IV, n. 559; **Lehmkuhl**, t. I, n. 1005

[2]) **Marres**, *De Justitia*, lib. II, n. 95

id obligantur; aliis autem deficientibus vel restituere nolentibus, reliqui totum damnum innocenti obveniens in solidum resarcire tenentur. Attamen, ut consentiens saltem secundario obligationem restitutionis subeat, requiritur, ut suus consensus sit stricte injustus, theologice culpabilis, tandem causa damni efficax. Ex defectu primae condicionis ab onere restitutionis liberatur, qui seclusis mediis injustis, ut fraude, mendacio, metu, vi, aliquem per suum suffragium impedit a consequendo bono, ad quod hic jus strictum non habet. Ex defectu condicionis secundae, qui bona fide ad damnum proximo inferendum suffragatur, a restitutione facienda liberatur. Attamen, detecto suo errore non solum ex caritate, sed etiam ex justitia, suum suffragium revocare debet, si tempus adhuc permittit, nec grave damnum sibi imminet. Tandem, ex defectu tertiae condicionis restituere non tenetur, qui alienae injuriae interne tantum consentit, aut damnum jam factum approbat, quin in posterum ad nocendum moveat; obligatio enim restitutionis consensu effectivo, non autem solo affectivo contrahitur. Pari modo ab onere restitutionis eximitur ille, cujus consensus etiam externus et ante damnum faciendum manifestatus nullam efficacem vim in illud habuit.

79. Quaeritur, an efficaciter consentire dicendus sit ille, qui det suffragium injustae sententiae, pro qua *aliunde jam sufficiens suffragiorum numerus habetur*. Qua in causa haec sunt tenenda: efficaciter consentire dicuntur et obligationem resarciendi subsequens damnum contrahunt: a) qui erat ex primis suffragantibus, quamquam praevidebat non defuturos alios, qui sine ipso requisitum suffragiorum numerum complerent. b) Qui erat ex ultimis et certo superfluis consentientibus, sed injustum suffragium dedit de condicto, vc. ex praevia communi conspiratione, conventione, aut approbatione etiam simulata, nam actio omnium in hoc casu est moraliter una. c) Ob eandem rationem qui suffragium eodem tempore cum aliis dedit. d) Quando suffragia dantur secreta, nec de efficacia cujuscunque consentientis aliqua certitudo haberi potest. Quamquam difficulter, aliquando tamen etiam in suffragiis secretis obtineri potest certitudo de inefficacia su injusti voti, vc. suum suffragium datum esse, jam completo necessario numero aliorum. Exemplum proponit Ant. Ballerini: fac 30 esse suffragatores, ait ipse, et satis esse 16 suffragia, te vero vigesimum fuisse in dando suffragio; proditis autem in apertum suffragiis, apparere omnia suffragia, exceptis duobus, consensisse in damnum; constabit tibi, te venisse saltem decimum octavum, ideoque jam antea

sufficientia extitisse [1]) Exceptis hisce quatuor indicatis casibus, ubi tum de efficacia consensus, tum de obligatione restitutionis constat, in aliis, quando quis suffragiis, numero sufficiente jam datis, suum adhuc subjungit, communior theologorum sententia ad restitutionem non obligat, nam hujusmodi consensus causa damni efficax dici non potest [2]). Attamen, quando suffragia per modum consultationis dantur, et sanctio praesidis vel imperatoris requiritur, omnium vota efficacia dicuntur, nam major suffragiorum numerus efficacius superiorem ad approbationem impertiendam movet.

Palpo.

80. Palponis nomine designatur, qui, perspecta alicujus fragilitate, ea perverse utitur, ut ad damnum proximo inferendum efficacius adducat, v. gr. fortem animum in vindicandis injuriis laudat, ambitionem adulationibus aut vituperio excitat, ignaviam aut timiditatem irridet vel exprobrat, contumeliam acceptam exaggerat et s. p. Palponi eadem applicantur principia, quae pro iniquo consiliario valent, eo tamen discrimine, quod consiliarius facilius suum injustum consilium, etiam rationibus vestitum, efficaciter revocare potest, quam palpo, qui argumentis, fragilitati alicujus magis accomodatis, cum utatur, difficilius deinde executorem a malo proposito efficaciter abducere potest; ergo difficilius etiam ab obligatione restitutionis eximitur.

Recursus.

81. Recursum praebere dicitur, qui mala fide aut rem a latrone alicui subductam recipit, aut ipsum malefactorem protegit ejusque corpus delicti, puta instrumenta, abscondit et tali ratione aut legitimae restitutionis postulationem impedit, aut malefactorem ad futura damna facienda suo patrocinio animosiorem reddit. Hujusmodi sunt: mercatores et caupones, qui res furtivas a famulis, filiisfamilias aliisque recipiunt; domini, quorum protectioni confidentes servi impune fu-

---

[1]) Ant. Ballerini, *Opus Theol. Moral.*, vol. III, p. II, n. 145.

[2]) Ita: Molina, Disp. 736; Lessius, lib. II, cap. 13, n. 23; S. Alphonsus, lib. IV, n. 566.

rantur; advocati, qui manifestos fures aut homicidas injuste defendunt et a reparando damno liberant; tandem perversi amici, qui debitoris bona uti sua declarant, ne hic a creditoribus ad debita solvenda cogi possit etc. Recursum praebens ad restitutionem obligatur aut qua injustus rei alienae possessor et tunc restituere debet primo loco, aut qua injustus cooperator et tunc loco secundario post principalem injuriae auctorem ad illud tenetur.

Ob praestitum recursum non censentur injuriam committere neque ad restitutionem obligantur qui *ratione consanguinitatis, amicitiae, aut officii*, ut stabularii, auctorem damni ad necem, carcerem, vel generatim ad punitionem quaesitum, scelere jam patrato, apud se recipiunt, aut etiam occultant, quin perinde restitutionem impediant, aut ad futuras injurias faciendas moveant. Idem dicendum est *de causidicis*, qui reum coram tribunali defendendum suscipiunt, *quando crimen in foro externo probari non potest*, aut quando ea intentione eum defendunt, ne ad mulctam severiorem, quam promeruit, condemnetur. Tandem licet recursum praebere malefactori sine obligatione restitutionis, *ex gravi metu aut vi illata*, animo damnum sibi certo imminens evitandi, v. gr. ne domus sua ex vindicta comburatur, non tamen animo furem adjuvandi: positive cooperari in aliena injuria actu intrinsece malo nunquam licet; sed recipere furem in domum suam non est actus in se malus; si vero exinde injuria proximi sequitur, haec ex gravi causa nonnisi permittitur.

Participans.

82. Duplex fieri potest participatio: alia *in praeda*, cujus partem cooperator sibi accipit, alia *in actione damnosa*, qua cooperator malefactorem in damnis faciendis adjuvat, instrumenta subministrando, excubias agendo et s. p. Participans in praeda iisdem principiis est regendus, ac possessor rei alienae. Participans in actione damnosa diversas subire potest obligationes, pro qualitate ipsius actionis, quae formaliter vel materialiter, mediate vel immediate ad damnum alienum conferre potest. Cooperatio hic dicitur materialis, quando quis sine pravo affectu, contra suam voluntatem, mediis injustis, ut metu, vi, dolo ad actionem damnificam constringitur; dicitur autem formalis, si libere et voluntarie suum auxilium mediate vel immediate malefactori praestat.

Participans formaliter in actione efficaciter damnosa semper ad restitutionem obligatur, et quidem, si suo nomine egit, cum ceteris injuriae sociis ad damnum reparandum aequaliter tenetur, si autem pacto conductus, ut mandatarius, nomine alieno damnum fecit, secundo loco, vc. in defectu principalis auctoris, restituere debet.

83. *Participatio materialis* in alieno damno non semper obligationem restitutionis imponit; aliquando est licita. Qua in causa probe distinguenda est participatio mediata et immediata. *Participatio dicitur mediata*, quando ponitur actio ex se non damnosa, sed quae talis efficitur, accedente malitia alterius; hujusmodi sunt: gladium alteri vendere aut mutuatum reddere, quo hic ad homicidium abutitur; furi scalam apponere, aut instrumenta effringendi portas porrigere; res ab alio furatas portare vel vehere. *Participatio dicitur immediata*, quando fit in actione, quā jus alterius expresse laeditur, aut quā damnum, nulla alia actione interposita, proximo statim infertur, v. gr. si quis cum socio rem alienam furto subducit, portas et fenestras effringit, coactus simul cum aliis innocentem verberat et s. p.

Injusta participatio materialis immediata nunquam est licita in actionibus, quae sunt intrinsece malae, ut in homicidio, mutilatione hominis innocentis, in calumnia; etiam ad propriam vitam tuendam in his actionibus immediate partes habere est nefas. Inter theologos tunc nonnisi disputatur, quando est sermo de participatione immediata in damnis alienae fortunae. Plures graves theologi etiam hanc participationem ut intrinsece malam et prorsus illicitam esse existimant [1]. Contrarium tuentur S. Alphonsus, Molina, pluresque recentiores, qui negant illam participationem esse intrinsece malam, quando tanta adest ratio, ut legitimus dominus illam permittere rationabiliter praesumatur. Quae permissio, immediate materialiter participandi ex gravi metu, hisce in casibus rationabiliter praesumi dicitur: a) quando participans, quod damnum sua cooperatione fieri adjuvat, potest et vult reparare; b) quando damnum sine cooperatione participantis aeque ab auctore principali certo inferretur; c) quando damnum proximo nonnisi leve irrogatur.

Haec posterior opinio esse videtur probabilior et sequi certo potest. An vero liceat ex gravissimo metu, v. gr. in discrimine vitae,

---

[1]) **Lessius**, lib. II, cap. 13, n. 30; **Lugo**, Disp. XIX, n. 74; **Sporer**, *Theol. Mor.*, t. IV, n. 41; **Salmanticenses**.

participare immediate in gravi damno fortunae etiam sine spe et proposito restituendi, non satis constat. S. Alphonsus id affirmat, sed probabilius et communius id non licere censetur, nam proximus neque ex justitia, neque etiam ex caritate rationabiliter consentire tenetur, ut alter cum magno ejus gravamine suam vitam servet.

84. *Injusta participatio materialis et nonnisi mediata* certo est licita et de restitutione excusat, quando legitima adest causa, damno proximi proportionata, neque actu intrinsece malo exequitur. Tota igitur difficultas continetur in determinanda illa sufficiente causa, quae damno proximi congruat. *Generatim* tanto major requiritur ratio ponendi actionem mediate damnosam, quanto major effectus malus perinde sequitur, et quanto propius sua actio ad damnum confert. Ita, ad vendenda arma, venenum etc. cuilibet emptori sufficit ratio mediocris, sc. consuetum lucrum, quod speratur; contra, ad reddendum gladium homicidae, aut ad vendendum venenum volenti interimere, jam causa gravissima requiritur, uti mortis propriae periculum. *In specie* haec sunt tenenda: si agitur *de damno vitae alienae*, licita est mediata participatio ex metu propriae mortis; nemo enim tenetur vitam alienam propriae praeferre. Non peccat igitur, neque ad reparanda damna obligari potest, qui domino ad accidendum hominem petenti gladium reddit, quando eum sine certo discrimine vitae denegare non potest. A fortiore licita est participatio materialis mediata vel indirecta ex metu mortis, imo etiam ex metu gravis infamiae *in damnis alienae fortunae*, quia tunc dominus, ait S. Alphonsus, tenetur consentire, ut adhuc cum jactura suorum bonorum tu vitae aut honori tuo consulas, alias esset irrationabiliter invitus. Neque talis materialis participatio mediata esset cooperatio ad peccatum malefactoris, nam actio damnosa ex se supponitur indifferens, qua executor solummodo malitia sua abutitur, nam alias, ait S. Alphonsus, si fur te cogeret ad arcam tuam confringendam, ut tradas ei pecuniam ibi contentam, non posses sine peccato hoc facere, quia formaliter cooppereris ad illius peccatum. Sed quis hoc sanae mentis asserere audebit? [2]).

85. *Participatio materialis mediata* in damnis alienae fortunae *ex metu mortis* vel gravissimae infamiae non tantum est licita, sed etiam

---

[1]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 577; Molina, Disp. 115, n. 7.

[2]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 571.

ab obligatione restitutionis eximit. Cur autem ille, qui in extrema necessitate re aliena utitur, eam deinceps restituere debet, si non est absolute pauper, in nostro autem casu a restitutione liberatur, ita S. Alphonsus respondet: «is ideo tenetur, quia cum possit ex proprio sibi subvenire, accipiendo aliena, quando non potest accipere proprium, quod alibi habet, tunc evadit ditior et propterea tenetur. Sed in casu nostro cooperans in nihilo fit ditior et ideo nihil tenetur restituere (*ibidem*). Ex hisce sequitur, excusari de peccato et de obligatione restitutionis, qui metu mortis, vulnerationis aut gravis infamiae scalam furi sustentet, claves ad arcam reserandam aut alia instrumenta ad fenestras vel portas effringendas tradat, qui praedam domo jam sublatam asportare adjuvet. «Hinc saepe excusantur rustici, ait Lessius, qui praedas militum injustas avehere vel pecora sublata deducere cogantur. Non tamen hoc metu potest quis domum alienam, perfringere, vel per fenestram penetrare et res foras projicere, vel pecora e stabulo abigere, nam hoc est, esse causam principalem et directam (*immediatam*) furti et injuriae, nisi forte id fiat cum animo compensandi» [1]). Quamquam etiam *ex metu infamiae* licet materialiter et mediate in damnis alienae fortunae participare, ut tamen participans etiam ab onere restitutionis liberetur, infamia non simpliciter gravis, sed gravissima timeri debet. Tandem *ex metu damni in propria fortuna* nunquam licet participare in damnis fortunae alienae, nisi participatio aut sit valde remota, aut nisi participans possit et velit damnum proximo obveniens aequaliter reparare.

Cooperatores negativi.

86. Cooperatores dicuntur negativi, qui damnum alienum non impediunt, quando ad id ex aliquo titulo stricte obligantur. Ratione diversi temporis, quo ipsi in alieno damno partes habent, cooperatores negativi vulgo dicuntur: mutus, non obstans, non manifestans. *Mutus* dicitur, qui de damno futuro, imminente proximum verbo aut signo aliquo non praemonet, vel qui malefactorem a pravo proposito avertere non conatur, quamquam efficaciter potest. *Non obstans* intelligitur, qui in ipso actu damnoso malefactorem non impedit, aut

---

[2]) Lessius, lib. II, cap. 13, n. 30.

ipsum patientem non adjuvat, ut a manibus iniquis eripiatur. Tandem *non manifestans* appellatur, qui malefactorem, damno jam facto, non denuntiat iis, a quibus ad legitimam restitutionem faciendam hic cogatur.

Nullo peculiari titulo intercedente, nemo ex justitia sed tantum ex caritate alienum damnum avertere tenetur; quapropter, etiamsi quis culpabiliter et efficaciter verum proximi detrimentum non impediverit, obligationem restitutionis per se nondum contrahit. «Qui vero ex justitia ad alienum damnum praecavendum nullo peculiari titulo obligatur, etiamsi pecunia accepta aut munere promisso conductus taceat, ad restitutiendum non tenetur. Secus dicendum esset, si munus acceptum esset pars praedae; quo casu teneretur ratione rei acceptae; vel si pecuniam acciperet, ut speculatorem ageret, quia tunc esset positivus cooperator» [1]).

Ut quis propter actionis omissionem vel negativam cooperationem ad reparandum alienum damnum obligetur, praeter tres condiciones ad injustam cooperationem positivam requisitas, accedere adhuc debet peculiaris ratio praecavendi alienum damnum. Quae ratio esse potest aut expressus contractus, vi cujus aliquis illam obligationem in se suscepit, aut officium, ex quo tacitus contractus merito deducitur, aut tandem sententia judicis, quae justae legi civili innitatur neque in falsa praesumptione facti fundetur. Imo, etiam aliqua ex hisce rationibus accedente, negativus cooperator ad restitutionem obligari nequit, quando alienum damnum sine gravi proprio incommodo impedire non potuit, nisi etiam hoc onus expresso pacto, ut milites tempore belli, in se susceperit.

Cooperatores negativi, qui obligationem restitutionis certo contraxerunt, ad eam adimplendam loco secundario, vc. post cooperatores positivos vel executores tenentur: executores enim, cum propius et efficacius noceant, etiam onere restitutionis primarie gravantur.

87. *Vi contractus expressi* ob negativam cooperationem restitutionis obligationem subeunt: a) tutores et bonorum administratores, qui damna, pupillis minoribus aut suis patronis obvenientia, non impediunt; b) custodes vinearum, silvarum, domorum, qui damna non praecavent vel jam facta non denuntiant iis, quorum interest;

---

[1]) Lehmkuhl, *Theol. Moral.*, t. I, n. 1013.

c) publici executores vectigalium, qui tributorum defraudatores in pace relinquunt et tali pacto damnum fisci non avertunt. Hi omnes debent reparare detrimentum, quod tertia persona ex eorum silentio patitur. Juxta tamen communiorem sententiam theologorum non sunt obligati ad solvendas mulctas, ad quas delinquentes vel defraudantes condemnarentur, si essent denuntiati. Nihilominus, si mulcta jam sententia judicis est imposita, ex officio ad eam exequendam obligantur; quod culpabiliter negligendo, onus restitutionis ipsi subeunt.

Vi officii publici et ex contractu implicito ad damna aliena praecavenda et, si jam facta sunt, ad illa reparanda obligantur: a) magistratus, qui culpabili negligentia scelera damnosa, homicidia, furta grassari permittit; b) belliduces, qui milites a malis injuste inferendis non coërcent; c) consiliarii, canonici, munerum distributores, qui tacendo injustam electionem non impediunt; d) suffragatores et judices, qui, cum ex officio vota ferre debent, ab hisce abstinendo injustam sententiam nam impediunt, quando efficaciter impedire possunt; attamen qui jure suffragii ex privilegio tantum aut mero favore gaudet, ex justitia eo uti ad aliena damna praecavenda non tenetur.

88. Jure Civili Rossico quisque, dummodo potest, obligatur ad impedienda damna proximi; secus ad illa reparanda condemnatur in casu, quo ipse positivus malefactor ad restitutionem impotens reperitur (*cm. 651*). Quae legis sanctio considerari merito potest uti poenalis, cui post sententiam judicis est obtemperandum. Insuper tum Codice Civili Rossico, tum Galico [1]) ad restitutionem peculiari modo comdemnantur: a) pater, vel in ejus defectu mater, pro damno, quod eorum liberi minores contubernales aliis inferunt. Lege Rossica ad idem obligantur etiam pupillorum vel amentium tutores. Contubernalis adhuc reputatur filius, qui non in perpetuum, sed pro aliquibus nonnisi diebus, etiam hinc inde vagando, domum paternam relinquit. b) Domini, opificum patroni omnesque, qui aliis sua negotia gerenda demandant, rationem reddere debent de damno, quod eorum famuli, operarii, aut mandatarii, operam sibi demandatam praestando, aliis inferunt. Hi tamen omnes respondent nonnisi de damno, quod sui subditi in ipso opere exequendo aliis inferunt, non autem quod occasione tantum hujus operae ab iis infertur. c) Tandem superiores pro

---

[1]) Гражд. Зак., ст. 653, 654, 686, 687; Cod. Nap., art. 1384.

pueris, quos in schola instituunt et quibus invigilant, et opifices-magistri pro suis famulis et alumnis respondere debent de damno aliis obveniente, quo tempore hi illorum custodiae subsunt. Ipsa tamen lex civilis parentes, dominos, institutores ab obligatione restitutionis eximit, quando probare possunt, se noxiam subditorum actionem impedire non potuisse. Soli opifices, ut sutores, sartores, architecti aliique hujusmodi, qui ad aliquod opus perficiendum pacto se obligarunt aut sunt conducti, ab obligatione restitutionis non liberantur, etsi impedire non poterant, quominus opus conductum a suis famulis vel coadjutoribus pessumdaretur: hi, cum ad opus perficiendum contractu se obligant, etiam ante sententiam judicis ad id tenentur.

89. *Qui superiores vi solius legis civilis ad aliena damna praecavenda obligantur*, certe post judicis sententiam, in falsa praesumptione facti non fundatam, etiam in conscientia subeunt onus reparandi damnum, a suis subditis illatum. Sed *an etiam ante judicis sententiam ex ipso jure naturali quisque praepositus*, ob defectum vigilantiae theologice culpabilis, rationem reddere teneatur de damno, quod sui subditi aliis inferunt, inter theologos disputatur. Sane, si silentium superioris ex circumstantiis tacitae approbationi aequivalet, nullum est dubium, superiores ad restitutionem teneri. Nonnulli tamen theologi, ut Carrière, Schwane [1]), arbitrantur, quoscunque praepositos eo ipso, quod aliis praesunt, jam jure naturali semper ex justitia obligari ad impediendos subditos, puta liberos, famulos, alumnos, ne aliis damnum inferant; quam curam si cum culpa theologica neglexerint, ante sententiam judicis ad restitutionem ex justitia teneri. Nihilominus communior [2]) et certe probabilior theologorum sententia ita esse distinguendos praepositos censet: vel praepositus ex contractu expresso aut saltem ex natura officii sui et contractu tacito obligationem praecavendi damnum ex parte subditorum in se suscepit, et tunc ex justitia ad illud reparandum obligatur, quoties cum culpa theologica illud non impedivit; vel praepositus nullum contractum expressum vel tacitum in se suscepit, sed ex sola pietate suis invigilare debet, et tunc tenetur quidem impedire, quominus subditi damnum aliis in-

---

[1]) Carrière, t. III, n. 1209; Schwane, *Uber die Vertrage*, § 2.

[2]) Marres, t. I, n. 112; Waffelaert, t. II, n. 303; Pruner, p. 441; Lehmkuhl, v. I, n. 1013.

ferant, quemadmodum generatim omnia peccata subditorum praecavere et corrigere debet, nullo tamen peculiari vinculo justitiae obligatur erga alios, ut damna eorum praecaveat: habere debet ex justitia hujusmodi praepositus curam suorum, non autem alienorum. Parentes et tutores pro pueris, pupillis, furiosis solummodo pro tempore, quo hi usu rationis carent, de damno erga extraneos ante judicis sententiam ad restitutionem tenentur; nam tunc temporis subditis suis pari modo, ac rebus suis, ex justitia invigilare debent, ne ex incuria sibi derelicti aliis noceant.

Obligationes quarundam in specie personarum ratione cooperationis negativae.

90. Confessarius vi muneris sui, qua rector animarum, suis poenitentibus rectam debet praebere morum doctrinam eosque in via veritatis instruere; cui obligationi si cum culpa gravi in materia magna non satisfacit, utique mortaliter peccat. Altera tamen ex parte confessarius non est ex officio ad id constitutus, ut bona temporalia sive sui poenitentis, sive aliorum curet. Quapropter mere negative erga ista se habendo restitutionis obligationem non subit. Secus dicendum est, quando suus agendi modus cooperationi positivae, ex. gr. consilio vel consensui aequivalet; tunc enim de eo idem est tenendum, ac de quovis injusto consultore vel consentiente. Ideoque confessarius, qui poenitentem de restitutione facienda etiam advertenter monere *mere omittit*, quamquam mortaliter in materia gravi peccabit, munere rectoris animarum non fideliter fungendo, ad restitutionem tamen non tenetur. Contra, si confessarii silentium propter adjuncta. puta propter explicitam de restitutionis obligatione quaestionem. positivae approbationi aequivalet, ita ut poenitens ex responso declinato concludat, confessarium negare restitutionis obligationem, licet sit necessaria, tunc sane confessarius jam cooperatione postiva contra justitiam peccat. A fortiore id est tenendum, si confessarius expresse dicit poenitenti, restitutionem non esse faciendam, quando tamen est obligatoria, aut si ipsum poenitentem ad restitutionem obliget, ad quam hic non est obligatus. In hisce igitur casibus, dummodo culpa theologica adsit, confessarius aut errorem suum in sequenti confessione ejusdem poenitentis revocare debet, aut si tali

ratione damnum reparare non potest, ipse obligationem restitutionis subit; quam admodum caute exequi debet, ne sigillum confessionis frangat. Culpa theologica ex parte confessarii tunc adesse censetur, quando aut cum mala fide agit, aut scientia, suo muneri congruènte, caret. Confessarius, qui *sine gravi culpa* theologica non recte obligationem restitutionis in tribunali poenitentia docet, tenetur quidem ex justitia, si abque relative gravi incommodo et tempestive id fieri potest, suum errorem revocare; sed si ad id jam non valet, ad reparandum damnum ipse non obligatur.

91. **Famuli,** qui damnum sui patroni in bonis, suae peculiari curae contractu expresso aut tacito commissis, quando possunt, sive ab externis, sive a confamulis non impediunt, certo ad restitutionem obligantur. Ita sentiendum est de famulo, qui constitutus est custos agri, domus, silvae, piscinae, aut cui etiam ad tempus breve clavis horrei, cellae vinariae etc. est tradita. Certum est pariter, famulos, etiam secluso aliquo contractu, obligari *ex caritate* ad praecavenda damna sui patroni, si id sine gravi proprio detrimento possint. Sed an etiam *ex justitia* ad id famuli teneantur, non satis constat. Antiquiores theologi ita cum distinctione communiter docebant: famulos, secluso aliquo contractu saltem implicito, ex justitia non teneri ad impediendum damnum patroni ex parte famulorum-sociorum aut personarum domesticarum, cum ob praevisa mutua odia hoc onus in se suscepisse non praesumantur; attamen, etiam secluso peculiari contractu, famulos ex justitia teneri ad praecavenda damna patroni ex parte extraneorum, quia simul cum famulatu etiam onus defendendi dominum universasque ejus opes contra extraneos implicite in se suscepisse videantur. Plures tamen theologi recentiores [1]) hanc distinctionem, hodiedum personarum et rerum circumstantiis admodum mutatis, non approbant et famulos, secluso peculiari contractu, ab obligatione impediendi ex justitia damna patroni tum ex parte confamulorum, tum etiam ex parte extraneorum aeque eximunt. Marres hanc septentiam argumentis ita probare conatur: «hodiedum personarum et rerum circumstantiae admodum mutatae sunt: divisio laboris, qua cuique sua opera in speciali aliqua re tantum ponenda contractu diligenter cir-

---

[1]) Gury-Ballerini, I, 691; Marres, I, n. 116; Waffelaert, II, n. 305; Tractatus Mechlinensis, n. 46, q. 7; haec sententia satis probabiliter doceri potest, ait Lehmkuhl, I, n. 1013.

cumscripta demandatur, ita mores nostros invasit, ut etiam famuli non ultra specialem operam conventione pactam sese obligare intendant. Jam vero generalis obligatio universas domini res defendendi non continetur speciali contractu locationis operae ponendae in peculiari aliqua re, e. g. in agro colendo, ergo famulus ex defectu requisiti justitiae tituli restitutione non teneretur; quisque enim in materia justitiae contractui inito stare potest». Haec sententia certo est probabilis pro iis regionibus, ubi mutatis rerum condicionibus, ita divisio laboris est introducta, puta in fabricis, ut famuli non ultra specialem operam, conventione pactam, sese obligare intendant. Attamen ubi relatio inter patronum et famulos ita patriarchalis, quemadmodum apud nos communiter, remanet, ut famuli ad annum vel etiam ad longius tempus quasi domestici in familiam sub uno tecto recipiantur et noctu in diversis villae partibus ad praecavenda extraneorum furta dormituri collocentur, non videtur esse recedendum a communiore antiquiorum theologorum sententia.

92. **Judex aut magistratus**, qui reis mulctam in gratiam reipublicae, quando vi legis potest, non imponit, contra justitiam strictam non peccat neque ad restitutionem obligatur: nam mulcta aut poena non ex justitia commutativa, sed nonnisi ex vindicativa debetur. Attamen mulctam, justā juricis sententiā jam impositam, magistratus aeque ac vectigalium executores ex justitia exigere debent, nam saltem tacito contractu se obligarunt ad ea exequenda, quae reipublicae justo titulo jam debentur.

Testis a judice vocatus et legitime interrogatus nequit tacendo veritatem celare, alioquin pro rei gravitate venialiter aut mortaliter peccabit. Sed utrum etiam contra justitiam peccet et ad restitutionem obligetur, si, tacendo veritatem, damnum proximi non impedierit? Certe, ex justitia ad veritatem non celandam ille testis tenetur, qui ex aliquo contractu, ut bonorum procurator, custos etc., ad damnum proximi avertendum sunt obligati. Contra, ad veritatem non celandam ex justitia certe non tenetur aliquis testis in hisce casibus: a) si non est a judice vocatus, nam sine speciali titulo nemo ad suum testimonium ultro offerendum est obligatus; b) si est quidem ad testandum vocatus, sed non legitime interrogatur; c) si est vocatus, sed ob legitimam rationem a judicio abfuit; d) tandem si propter magnum sibi certe imminens damnum a testimonio se abstinuit, nemo enim cum magno proprio damno ad aliena detrimenta avertenda obligatur. Exceptis hisce casibus, testis a judice vocatus

et legitime interrogatus an ad restitutionem teneatur, si tacendo veritatem celet et damnum alienum tali ratione non impediat, non certo constat. Communior et probabilior theologorum sententia [1]) id negat: testis, qui nullo peculiari justitiae titulo erga reum aut partes litigantes adstringitur, veritatem dicere debet aut ex caritate, aut ex religione, si juramentum praestitit, aut ex justitia legali seu oboedientia magistratui debita, non autem ex justitia stricta. Nihilominus aliud est tacendo veritatem celare, aliud—falsum dicere testimonium: nemo quidem sine peculiari titulo ex justitia obligatur *ad impedienda aliena damna*, quisque tamen ex justitia prohibetur, quominus *actu positivo*, ut falso testimonio, aliis noceat.

Cap. III. De circumstantiis restitutionis.

93. Obligatio restitutionis ex suis radicibus cognoscitur. Perspecta tamen ipsa restitutionis obligatione, non statim jam omne dubium tollitur, quod in executione restitutionis exoriri potest. Cujus rei gratia quinque restitutionis circumstantias considerare expedit:

Quantum restitues? cui? quo ordine? quomodo? quando?

a) *Quantitas restitutionis*

Quantitas restitutionis in genere mensuratur tum quantitate rei alienae injuste acceptae, tum quantitate damni, injusta damnificatione illati. Neque ulla hac ex parte singularis difficultas occurrit, si auctor alienae injuriae est persona una. Aliter se res habet, quando alienae injuriae auctores sunt plures. Sane quantitas restitutionis domino laeso facienda neque augetur hac circumstantia, nec minuitur. Ipsi tamen injuriae auctores, pro diversa cooperationis vi et pro diversa singulorum facultate, non eadem ratione suae obligationi satisfacere debent et possunt. Difficultas optime solvitur, quando omnes simul malefactores mutuo consilio totum damnum proximo re-

---

[1]) Lessius, lib. II, cap. 30, n. 59; Lugo, Disp. XXXIX, n. 5; S. Alphonsus, lib. IV, n. 270; Lehmkuhl, I, n. 820.

parant, eo majorem damni partem quisque restituendo, quo sua cooperatio magis erat efficax. Id tamen non semper pacifice usu venire solet: non omnes cooperatores suae obligationi religiose satisfacere volunt et possunt. Inquiri igitur merito debet, quando, aliis deficientibus, ceteri totum damnum reparare teneantur, et quando quisque nonnisi ad suam partem resarciendam sit obligatus.

94. Obligatio reparandi totum damnum, quae, ceteris cooperatoribus deficientibus, alicui soli imponitur, obligatio solidaria (*солидарная отвѣтственность*) dicitur. Haec solidaria restituendi obligatio non tantum jure civili, sed aeque jure naturae in quibusdam casibus agnoscitur et duplex distinguitur: *condicionata et absoluta*. Condicionata tunc habetur, quando aliquis ad totum quidem damnum proximo reparandum obligatur, attamen gaudet jure cogendi reliquos cooperatores, ut partem, cujuscunque cooperationi congruentem, ei resolvant. Quando autem, restitutione totius damni ab uno cooperatore peracta, reliqui jam ab omni obligatione eximuntur, tunc solidaritas habetur absoluta.

Obligatione solidaria absoluta ille obstringitur, qui est princeps auctor alieni damni et qui aliis cooperatoribus velut instrumentis utitur; hujusmodi est mandans. Hic ad totum damnum reparandum solus obligatur; cui obligationi si satisfecerit, reliqui ad nihil amplius tenentur. Solummodo principali auctore restituere aut nolente, aut ad id non valente, ceteri cooperatores secundarii obligatione restitutionis obstringuntur, et quidem vel quisque ad partem damni reparandam tenetur, vel singuli ad totum solidaritate condicionata fiunt obligati, habita ratione ipsius cooperationis.

95. *Obligatio solidaria condicionata* duobus in casibus certo contrahitur: a) quando singulorum malefactorum cooperatio fuit *necessaria ad totum damnum* inferendum, ita ut, alicujus actione deficiente, damnum fieri non posset; e. gr. tres fures trabem alienam asportarunt, quam duo asportare non possent; duo latrones aggressi sunt viatorem spoliandum, contra quem unus non praevaleret; quinque judices contra quatuor pluralitate votorum innocentem ad mulctam injuste

---

[1]) De obligatione solidaria reparandi damnum Jure Civili Rossico est sancitum *cm. 648—652*. Juxta declarationem Senatus Regnantis *1892 an. № 45* idem valet et pro Regno Poloniae: cum enim Cod. Nap. Poenalis, ubi de solidaria restitutione est decretum, in Regno Poloniae non sit receptus, ideo deficientes hac in causa articuli e Jure Rossico supplentur.

condemnarunt, uno autem non censentiente, innocens ad eam non condemnaretur. b) Quando plures cooperatores *communi consilio*, conspiratione, alii alios efficaciter juvando, aut movendo, integrum damnum intulerunt. Haec solidaria obligatio vi communis consilii contrahitur perinde, sive dammnum illatum est in se divisibile, ut segetes contritae, sive indivisibile, ut incendium domus alienae, quod uno actu perficitur; sive tandem singulorum actio damnosa fuit necessaria ad totum facinus patrandum, sive non fuit, ut si quinque trabem abstulerunt, quam etiam tres auferre poterant. Singuli malefactores, aliis deficientibus, ad totum damnum resarciendum obligantur, nam singuli communi conspiratione in integrum damnum moraliter vim habuerunt. Contra, si quatuor malefactoribus, ad damnum alicui inferendum plene jam paratis et sufficientibus, deinceps quintus casu consociatur, certe hic ad partem nonnisi damni reparandam tenetur, *si damnum ex natura dividi potest*. Utrum vero partialis, an solidaria in hoc casu contrahatur obligatio, *si damnum est ex se indivisibile*, ut homicidium, incendium, inter theologos non constat. Communior et probabilior opinio singulos malefactores, etiam qui sine communi consilio crimen patrarunt, ad restitutionem solidariam obligat: quamquam singulorum actio, ut in incendio facto, non fuit necessaria ad totum damnum, certe tamen fuit sufficiens ad illud; ergo singulis totum damnum moraliter adscribi potest [1]). Sunt tamen, qui singulos malefactores ad partem tantum damni, cooperationi congruentem, restituendam obligent; quam sententiam S. Alphonsus adhuc esse probabilem dicit. Lugo hanc opinionem ita confirmare nititur: «cum tota ratio obligationis sit causalitas et influxus in damnum, non debet major esse obligatio, quam sit ipse influxus; ergo qui solum partialiter concurrit, solum partialiter obligatur» [2]).

96. *Ut omnia de obligatione sodaria condicionata subsumamus*, concludere licet: omnes injustos cooperatores jure naturae ad restituendum in solidum certo sunt obligati, quando aut mutuo consilio communi damnum intulerunt, aut quando singulorum actio erat prorsus necessaria ad totum damnum. Quando vero singulorum actio injusta ad totum damnum erat nonnisi sufficiens, non autem necessaria nec

[1]) **Molina**, Disp. 734; **Lessius**, lib. II, cap. III, n. 34; **Salmanticenses**, **Soto**, **Laymann**, **Billuart**, aliique.

[2]) **Lugo**, Disp. XIX, n. 83; S. **Alphonsus**, lib. IV, n. 579; **Sporer**, VII, n. 66; **Waffelaert**, II, n. 313.

communi consilio posita, tunc solidaria restitutio certo non imponitur, si damnum est ex se divisibile; imo probabiliter nec tunc est imponenda, quando damnum ex se dividi non potest: plures malefactores sine communi consilio, sed alter alterius pravo exemplo allecti thesaurum surripiunt, vel hortum vastant; certe ad partem nonnisi damni reparandam singuli obligantur, nec tenentur aliorum defectum supplere. Si autem eodem modo homicidium vel incendium patrant, etiam satis probabiliter ad partem tantum damni, numero cooperatorum congruentem, resarciendam obligari possunt.

Jure Civili omnes participes, quocunque modo ad totum damnum cooperentur, solidariae restitutioni subjiciuntur; qui tamen totum damnum reparavit, deinde gaudet juridica actione contra alios criminis socios. Haec juris civilis sanctio post sententiam judicis etiam in conscientia valet.

97. *Quando post diligens examen dubium tolli non potest*, utrum alicujus cooperatoris participatio ad totum damnum fuerit necessaria, an vero nonnisi sufficiens, obligatio restituendi solidaria imponi nequit. Pari modo quando singulorum cooperatorum actio ad totum damnum vel certo fuit necessaria, vel ex mutua conspiratione posita, sed ignoratur, an ceteri socii suam partem reparaverint, nec moralis certitudo haberi potest, tunc quisque cooperator non tenetur totum damnum in solidum reparare, sed nonnisi partem, propriae cooperationi congruentem; nam in dubio ceteri cooperatores potius praesumuntur suae obligationi satisfecisse, et pro dubia obligatione certum onus imponi nequit. S. Alphonsus tamen in hoc casu contrarium sequitur, quamquam pro usu vitae haec subjungit «advertendum tamen est, quod rudes, etsi teneantur in solidum, raro expedit obligare ad totum; cum difficulter isti sibi persuadeant, se teneri ad restituendam partem a sociis ablatam. Quinimo satis praesumi valet, quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant, ut illi restituant tantum partem ab eis oblatam, cum aliter valde sit timendum, ut nihil restituant, si obligentur ad totum» [1]. «Hinc confessarius, ait idem S. Alphonsus, quemlibet istorum (praecipue si est conscientiae parum meticulosae) hortetur, *ut restituat, quod debet*, quin quantitatem explicet, remittens dictamini conscientiae illius» [2]. Hanc sententiam S. Alphonsi fere omnes recentiores theologi sequuntur.

---

[1]) **S. Alphonsus**, *Theol. Moral.*, lib. IV, n. 579.

[2]) **S. Alphonsus**, *Homo Apost.*, tr. X, n. 54.

Cui sit restituendum?

98. Ordinarie restitutio facienda est ei, qui re sua est injuste fraudatus, aut qui ex actione injusta damnum est passus. Cum tamen dominus laesus esse possit aut certus, aut dubius, aut prorsus ignotus, ideo etiam triplicis generis casus haberi possunt.

Quando dominus laesus est certus et notus, restitutio ordinarie est ei facienda; «quare mirum quidem est tot reperiri confessarios tam imperitos, qui cum sciatur, quis sit creditor, poenitentibus imponunt, ut de re restituenda eleemosynas erogent, aut Missas celebrare faciant» [1]. Restitutio imponitur non qua poena, non qua opus meritorium pro peccatis, sed qua actus justitiae rigorosae, quae exigit, ut ipse dominus laesus fiat indemnis. Etiam mortuo domino laeso, restitutio non in pias causas est facienda, sed legitimis heredibus, qui cum illo unam personam moralem constituunt eique succedunt. Solummodo ipsis heredibus deficientibus, debitum pro anima domini laesi pauperibus erogari potest. Haberi tamen possunt circumstantiae, in quibus non ipsi domino, quamvis certo et noto, sed alteri res ablata est restituenda et quidem: a) quando quis rem alienam non domino, sed alicui possessori subduxit, qui eam detinebat legitimo titulo, v. gr. *titulo locatarii, commodatarii, custodis et s. p.* Restitutio hoc in casu non domino, sed locatario vel depositario est facienda, alioquin malevolus dominus, semel indemnis factus, actione juridica etiam alteram restitutionem a pristino possessore vel custode petere posset. Nihilominus, si, rumoribus de furto patrato divulgatis, merito timeri potest, ne possessor restitutionem sibi factam dissimulet et legitimum dominum indemnem facere renuat, tunc restitutio non illi, sed potius huic est facienda. b) Restitutio non facienda est dominis, *qui jure administrandi sua bona non gaudent*, sed potius iis, qui illorum vices gerunt. Ita, bona ablata vel damna illata filiisfamilias, minoribus, pupillis, prodigo qua tali juridice declarato, restituenda sunt patri, tutori, administratori; alioquin restitutio, nisi bona fide sit peracta, aut nisi ad legitimum fontem pervenerit, reputatur nulla. c) *Si dominus debitis suis solvendis fit impar et bonis cedit*, restitutio non ipsi sed ejus creditoribus, aut bonorum admini-

---

[1] S. Alphonsus, *Praxis Confes*, cap. II, n. 44.

tratori est facienda, si quis publica auctoritate ad creditores indemnes faciendos est constitutus. Non creditoribus sed ipsi domino tunc nonnisi fieri licet, quando hic in gravi necessitate constitutus, sibi et suae familiae providere non potest. — *Quando restitutio debetur reipublicae, municipio, corpori morali, alicui associationi*, tunc aut eorum rectoribus est facienda, si prudenter praesumatur posse ad genuinum fontum pervenire aut, si prudentia suadeat alia via uti, fieri debet eo modo, quo illorum sumptus minuantur, v. gr. sublevando pauperes regni vel civitatis, aut pecuniam negotiis et necessitatibus publicis impendendo.

99. **Quando** res certo esse aliena cognoscitur, sed **dubitatur, quisnam ex paucis vel ex plurimis verus sit illius dominus**, tunc, praemissa diligenti inquisitione et dubio nihilominus perseverante, haec sunt servanda: a) Si dubitatur, *quisnam inter paucos tres aut quatuor* sit verus dominus, tunc res vel ejus pretium ipsis est tradenda, ut sorte vel amica compositione inter se ex aequo eam dividant. Quando res aliena ex delicto possidetur et merito periculum infamiae ex aperta rei traditione imminet, tunc res juxta judicium prudentis viri dividi et singulis dubiis dominis clam reddi potest. Transactione semel peracta, etiamsi dein cognoscatur verus dominus, restituens ad nihil amplius obligatur, nam bona fide egisse praesumitur. Imo, juxta Molinam [1]), etiam quisque ex antehac dubiis dominis, quam sortem accepit, retinere potest, nam eam, ut pretium dubii juris, sibi acquisivit. Res minoris pretii, quae si inter dubios dominos divideretur, minimum quid singulis obveniret, ex praesumpto dominorum consensu pauperibus erogari potest. b) Quando dubitatur, *quisnam inter plures* sit verus rei alienae dominus, tunc ille adhibendus est restituendi modus, quo verisimiliter res, si non ad omnes, saltem ad aliquos veros dominos perventura praesumi potest. Quosdam restituendi modos Molina commendat: «quando in direptione alicujus civitatis bello injusto multa diversorum essent capta et ignoraretur, ad quos cives illa attinerent, tunc restitutionem esse mittendam ad administratorem ejus civitatis, ut illa distribueret inter cives (*juxta Carrière ad parochum loci*). Quando aliquis vendendo in aliqua civitate aut oppido multos defraudavit in pondere aut mensura, aut admiscendo aquam vino, aut alio simili modo, ignoratque ementes in particulari et quantum unumquemque ita per minima defraudaverit, tunc si conjectura sit, plus

[1]) Molina, Disp. 745, n. 2.

minus perseverare eosdem ementes aut ementium heredes, optimus restituendi modus erit, ut tantundem, qui ita defraudavit, in pondere aut mensura accrescat, vel decrescat in pretio quoad eosdem emptores.... Item sanum consilium erit, si aliquid reservet de summa tota, quam restituere tenetur, quod distribuat pauperibus aut aliis piis operibus insumat pro animabus eorum, quos defraudavit et ignorat, qui sint, nec accedent ad emendum» [1]).

100. **Quando dominus laesus est plane ignotus** nec post sufficientem inquisitionem cognosci potuit, tunc habenda est ratio, quā res aliena est fraudata vel abtenta: a) *Quando res bona fide*, v. gr. ex errore invincibili est accepta, eodem modo de ea est decernendum, ac de rebus nuper amissis, quarum dominus ignoratur: juxta opinionem probabiliorem pauperibus erogari debet, juxta sententiam minus probabilem sed solide probabilem retineri potest ea condicione, ut domino legitimo restituatur, si ante tempus ad praescriptionem requisitum ipse appareat. b) *Si res aliena ex delicto* possidetur, certe sibi retineri nequit, alioquin fur et possessor malae fidei ex sua malitia lucrum caperet; res aliena tunc temporis pro salute domini ignoti pauperibus in eleemosynam vel in alias pias causas est eroganda. «Quando autem, ait Molina [1]), restituendum esset uni tantum de populo et omnino sciri non posset, quisnam is esset, res non est dividenda inter cives divites, sed restitui debet pauperibus, aut debet insumi in alio pio opere pro anima ejus, ad quem ea res attinebat». Idem docet s. Thomas: «si ille, cui debet fieri restitutio, sit omnimo ignotus, debet homo restituere, secundum quod potest, sc. dando in eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive sit vivus» [2]). Talis restituendi modus etiam lege canonica est praeceptus; ita, ex mandato Alexandri III lucrum usurarium et simoniacum est pauperibus distribuendum [3]); consuetudine autem ecclesiastica, quae optima est legum interpres, haec canonica lex de simonia et usura etiam ad ceteros casus est extensa.

Quo ordine sit restituendum.

101. Duplex ordo restituendi exquiri potest, habita ratione tum eorum, qui restituere debent, tum eorum, quibus restitutio debetur.

---

[1]) Molina, Disp. 745, n. 3 et 4; Carrière, III, n. 1243.
[2]) 2. 2. q. 62 art. 5.
[3]) Cap. *Cum tu*, De Usuris; Cap. *Quamquam*, eodem Tit. in Sexto.

Supponitur igitur in illo casu plures injuria aliena obligati seu debitores, in hoc — plures laesi seu creditores.

Quando plures debitores seu injuriae alienae cooperatores habentur, tunc ordo restituendi hic est servandus: a) *si omnes eodem modo injustae actionis erant participes*, res est evidens, aequaliter eosdem ad injuriam reparandam obligari, neque ulla est difficultas, quando singuli suae obligationi satisfacere possunt et volunt. Si tamen hic vel ille suam partem restituere abnuit, ejus defectum reliqui aequaliter supplere debent; imo, quisque solus ad totum damnum reparandum est obligatus, aliis deficientibus, nam in aequali omnium cooperatione cujuscunque mutuus consensus ad totum damnum supponitur. Illi tamen, qui pro aliis satisfecit, debetur restitutio a sociis deficientibus. b) *Si plures cooperatores diverso modo injuriae alienae erant socii*, tunc primus ad restitutionem obligatur possessor, qui rem alienam in se, vel in pretio adhuc tenet, aut eam injuste consumpsit; secundo loco sequitur mandans, seu qui minis, fraude, dolo, vi, mendacio aliquem ad damnosam actionem adegit; hic enim alienae injuriae causa principalis esse censetur; tertio loco obligationem restituendi contrahit executor; loco quarto succedunt ceteri cooperatores positivi; tandem, ceteris suae obligationi non satisfacientibus, ultimo loco veniunt cooperatores negativi. Sumamus exemplum. «Herus quidem, ait Marres, jubet famulum rem alienam furari aut alteri inferre damnum; famulus dubitans adhuc, num hero obtemperandum sit, nec ne, consilio hortantis amici ad oboediendum movetur atque, custode domus non impediente, revera rem abstulit et illam alii detinendam, ne detegatur, tradit. Primo loco restituere debet, qui rem detinet: qui si rem domino reddit, ceteri ab omni obligatione liberantur, si nolit, tenetur herus; qui si officio deest, obligatione tenetur famulus; utroque deficiente, in illam succedit amicus (*consulens*); si ceteri omnes officium suum negligunt, tenetur custos (*non obstans*)»[1]. Si debitae restitutioni causa principalis satisfacit, aut a domino laeso ei condonatio est indulta, cooperatores secundarii ad nihil amplius obligantur. Si autem restituit unus ex cooperatoribus secundariis, vel a domino laeso obligatio ei est remissa, perinde nec principalis injuriae alienae motor a toto damno reparando, nec ceteri cooperatores secundarii a suis partibus explendis liberantur.

102. **Quando pluribus creditoribus vel dominis laesis restitutio est facienda**, nulla habetur difficultas si quis ad omnia debita, solvenda

[1] Marres, I, n. 125.

valet; nullus enim tunc ordo restituendi est praescriptus, dummodo omnibus satisfiat, quamprimum potest et debet. Aliter se res habet, quando debitor omnibus creditoribus solvendis vel damnis reparandis est impar: tunc enim servandum est jus peculiare loci, si tale habetur et juri naturae non repugnat [1]). Jure autem civili ubique gentium, imo etiam jure naturae non omnes creditores vel damnificati aequaliter sibi debita vindicare possunt, sed alii aliis dispari privilegio praeferuntur, et qui potior jure habetur, obtinet prior totum suum debitum, etiamsi reliquis residua debitoris substantia non sufficiat. Ordo in restitutione erga plures creditores hic in genere est servandus [2]):

Primo loco reddenda est domino *res sua, apud debitorem in suo individuo exstans*, locata, vel mutuata: res enim sua in individuo existens domino clamat; huc pertinet etiam res nuper vendita, cujus pretium nondum est solutum; in Regno Pol. octo diebus post venditionem pretium rei nondum solutum inter bona privilegiata recensetur.

Secundo loco restituenda veniunt *bona, quae privilegiata dicuntur;* hujusmodi sunt: debita vectigalia (*казенныя недоимки*), bona Ecclesiae, bona minorum, expensae judiciales, funerales, debita pro victu (in Imperio pro 4 postremis mensibus, in Reg. Pol. pro 6 mensibus ante bonorum cessionem), stipendia medicorum, famulorum etc. In Regno stipendia famulorum pro anno praeterito et sequenti, in Imperio pro ultimis 6 mensibus ante bonorum cessionem inter debita privilegiata recensentur. Hac occasione quaeri solet, an famuli discedere teneantur, si animadvertunt, dominum ex eorum famulatu impotentem reddi ad satisfaciendum debitis? Inter theologos disputatur; s. Alphonsus utramque sententiam esse probabilem arbitratur.

103. Tertio loco sequuntur *debita, hypothecae aut pignoris nomine obligata,* quae sunt restituenda juxta regulam: qui prior tempore, potior est jure.

Postremo loco solvenda sunt *debita ordinaria vel communia*, quae nullo privilegio singulari gaudent et inter se alia aliis probabilius generatim non praeferuntur, perinde sive contracta sunt prius aut posterius, sive ex delicto aut pacto honesto, sive pauperibus aut divitibus competunt. Id tamen est adnotandum, debita ex titulo oneroso con-

---

[1]) Ita omnes theologi, teste S. Alphonso, lib. IV, n. 689.

[2]) Pro Imperio Cf. Уст. Торг. Суд., ст. 598—603, 617, 618; Уст. Гражд. Суд. ст. 1213—1222. Pro Reg. Pol. Lex $^{1}/_{13}$ junii 1825 an., quae 24 articulos continet. Cf. *Гражд. Зак. Царства Польскаго.—Ставскій, т. I.*

tracta esse solvenda ante debita, quae ex titulo gratuito (promissione, voto) ligent; nam quisque, gratuito aliquid promittens, semper hanc condicionem tacitè apposuisse supponitur: si absque praejudicio tertii ad id praestandum valeret; inde etiam sermone tritum proverbium: *nemo liberalis, nisi liberatus.* «Quapropter debita defuncti, ait s. Alphonsus, solvenda sunt ante omnia legata etiam pia» [1].

Quamquam debita communia vel ordinaria per se alia aliis non praeferuntur, attamen lege positiva rossica etiam in hisce certus ordo in restitutione servandus jubetur et pro conscientia valet: prius solvenda veniunt debita certa, jam sententiā judicis decreta; porro debita, quae sub lite manent; tandem debita, quae probantur argumentis, formā a lege praescripta destitutis (*долги безспорные, спорные, долги по документамъ неформеннымъ*) [2].

104. Non est necesse, singulas hac in causa sanctiones juris civilis nostri indicemus, nam statim ac aliquis debitor bonis suis cedit et creditoribus suis solvendis impar declaratur, jam judex rebus suis manum apponit et ipse juxta legem creditoribus suum cuique tribuit. *Antequam vero debitor sententia judicis bonis suis cessisse declaretur*, quisque creditor, non obstante gravi suspicione de statu debitoris desperato, potest suam partem ab eo requirere et eam sibi tuta conscientia retinere, etiamsi deinceps appareat, debitorem etiam creditoribus privilegiatis plene satisfacere non posse. Imo, sunt graves auctores [3], qui affirment, creditorom, etiamsi moralis certitudo de insufficientia debitoris habeatur, dummodo tamen cessio bonorum ne sit juridica auctoritate jam pronuntiata, posse totum suum debitum petere. Ipse tamen debitor, cognito misero statu suae fortunae, juxta probabiliorem sententiam nequit aliquem ex creditoribus in praejudicium aliorum monere, ut integram suam partem, praeveniendo sententiam judicis, recipere properet. An creditor, cui tali pacto cum praejudicio aliorum creditorum tota restitutio est facta, illam sibi tuta conscientia retinere possit, non plene constat. Lugo distinguit creditorem, cui bona fide facta est solutio, et creditorem mala fide suum debitum recipientem: illum non teneri ad restitutionem erga alios creditores, contra, hunc obligari ad satisfaciendum pro eorum rata parte [4]. Juxta s. Alphon-

---

[1]) **S. Alphonsus**, lib. IV, n. 689.
[2]) **Побѣдоносцевъ**, *Курсъ Гражд. Права*, т. III, § 28.
[3]) **Molina**, Disp. 356, n. 42; **Lessius**, lib. II, cap. 15, n. 41; **Marres**, t. II, n. 311.
[4]) **Lugo**, Disp. XX, n. 178, 179.

sum, «verius est dicendum, creditorem in utroque casu peccare contra justitiam, retinendo sibi majus, quam quod justae leges positivae ipsi adjudicent, nec jus habere, ut sibi integre solvatur, cum debitor non possit omnibus satisfacere. Nec prodest creditori, quod acceperit in bona fide, nam licet accipiendo non fecerit injuriam (*formalem*), facit tamen retinendo cum damno aliorum creditorum» [1].

Quomodo sit restituendum?

105. Generatim nihil amplius requiritur, quam ut restitutio eo modo fiat, quo justitia violata plene seu ad aequalitatem reparetur et laesus dominus indemnis efficiatur. Quapropter ordinarie non est necesse. ut damnum, domino advertente, reparetur, nam *occulte aeque bene laesa aequalitas restitui potest;* imo plerumque restitutio occulta praestat, ne poenitentibus onus insupportabile imponatur et eorum famae ac honori prospiciatur. *Restitutio aperta aut publica* nonnisi hisce in casibus imponi aut commendari potest: a) quando restitutio occulta ad finem suum obtinendum non valet; ita publica laesio honoris aut famae, nisi condonetur, reparari alia ratione non potest, nisi aperta revocatione calumniae vel detractionis. b) Quando dominus injuriae sibi factae conscius sed auctoris est nescius; ut igitur ab ulteriore auctoris inquisitione desistat, saltem aliquo modo de restitutione sibi facta prudenter est certior faciendus. A fortiore id suadetur ad praecavendam occultam compensationem, ad importunas lites, inimicitías, suspiciones declinandas, praesertim si dominus laesus auctorem suae injuriae non ignorat. c) Tandem saltem ex caritate ad reparandum scandalum imponenda est aperta restitutio, si ipsa injuria publice est facta. Hisce casibus exceptis, restitutio non tantum occulta, sed etiam per simulatam donationem facta, probabilius valet, si aliqua ratio, ut metus infamiae, eam suadet. Attamen si dominus, gratitudine hujus fictae donationis motus, aliquid redonaverit, hoc a restituente retineri nequit. sed clam rependendum est domino: nam posterior donatio non gratuita praesumitur, sed potius recompensatio illius fictae donationis, ac proinde nulla, utpote fundata in falsa praesumptione facti.

Non requiritur, *ut restitutio ab ipso injuriae auctore fiat,* si pru-

---

[1]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 693.

dentia aut aliqua circumstantia suadet, ut potius ope alicujus amici aut confessarii huic obligationi satisfiat. Confessarius, adhortatur Müller, ne nimium difficilis sit in assumenda restitutionis executione, imprimis si timere debeat, ne debitor desit obligationi suae [1]. Altera tamen ex parte nec nimis promptus sit absque sufficiente ratione in assumendo munere conciliatoris: magna enim prudentia est opus, ne sigillum confessionis frangatur, nec suspicio contra ipsam confessarii probitatem a debitore moveatur. Ordinarie confessario consulitur, ut aliquod scriptum testimonium fidei solutae ab eo, cui restituit, ipse recipiat. Hodie maxime commodus et ordinarie modus optimus faciendi etiam occultam restitutionem habetur per publicos cursores (*pocztą*), praesertim si restitui debet pecunia aliena.

106. *Cujusnam sumptibus restitutio fieri debeat*, si dominus laesus aut creditor longe distat, hoc ab ipsa natura debiti contracti pendet. a) Quando res aliena est reddenda, aut damnum reparandum *vi contractus initi*, tunc servandae sunt condiciones pacto appositae aut, si nihil hac de causa est conventum, sequendae sunt leges positivae; tandem etiam hisce deficientibus, res aliena ejus sumptibus est domino transmittenda, in cujus favorem contractus est initus. Ita, res commodata sumptibus commodatarii est domino reddenda, res autem deposito locata expensis ipsius proprietarii restitui solet. Si res aliena, vi contractus debita, sine culpa restituentis in itinere perit, debitor ad nihil tenetur, nisi aliter inter contrahentes est pactum, nam res domino perit; contra, si pecunia in via pessum datur, debitor ab obligatione restitutionis non liberatur, nam dominium pecuniae ipse servat, donec in manus creditoris pervenerit. b) *Res aliena bona fide*, v. gr. ex errore accepta, sumptibus ipsius domini est restituenda, nam possessor in hoc casu, cum nec culpae sit reus, nec contractu aliquo ligatus esse supponatur, per se nonnisi obligatur ad permittendum, ut ipse dominus rem suam recipiat. Prudentia tamen praecipit, ut domini voluntas de modo rem transmittendi exquiratur, ne hic aut nimias, aut inutiles expensas facere cogatur. Si res in itinere sine culpa debitoris pessum datur, domino perit, nec debitor titulo injustae damnificationis quidquam restituere debet, nisi post sententiam judicis, si per suam imprudentiam inculpabilem erat causa rei perditae.

107. c) *Res. mala fide occupata* vel retenta, sumptibus injusti possessoris in eum locum est transmittenda, ubi dominus eam haberet, si ablata

[1] Ern. Müller, *Theologia Moralis*, t. II, § 149.

non esset; deduci tamen possunt expensae, quas ipse dominus in re conservanda et secum deferenda certo fecisset. Si ad rem domino transmittendam expensae judicio prudentis viri sunt majores comparate ad ipsam rem, v. gr. superant pretium ipsius rei, tunc ex praesumpto domini consensu pro ea aequivalens pretium per publicos cursores mitti potest [1]. Si res aut ejus pretium, quod domino transmittitur, casu vel aliena infidelitate in itinere perit, possessor malae fidei ab obligatione restitutienis non liberatur, nam qua reus alienae injuriae dominum laesum cum proprio detrimento indemnem facere debet. Tunc nonnisi debitor etiam malae fidei periculum rei transmittendae non subit, quando ipse dominus certior factus indicavit modum transmittendi vel designavit personam, per quam res sua mitti velit, aut debitori expresse concessit libertatem eligendi viam aptam, et hic prudenter et fideliter se gessit; item quando debitor elegit modum transmittendi, ipso jure vel sententia judicis sibi praescriptum. «Confessarius igitur, recte adnotat Marc [2], qui onus restitutionis pro poenitente in se assumpsit, prudenter creditorem interrogabit, qua ratione rem ad se mitti cupiat», ne ipse periculum rei mittendae subeat.

108. Tandem subjungere licet *modum restituendi in quibusdam casibus peculiaribus: Uxor*, quae marito restituere debet et propriis bonis caret, aut tenetur majore parcimonia, diligentiore labore, cura rei familiaris damnum illatum resarcire, aut saltem post mortem mariti cedere partem ex bonis mariti, sibi hereditate obvenientibus. — *Filiifamilias*, qui propria non habent, eodem modo ac uxor restituere possunt, si ob gravem injuriam familiae illatam ad damnum reparandum obligantur.—*Famuli*, qui alia via suis patronis injuriam resarcire non possunt, aut pretio viliore sua opera locare, aut extraordinario obsequio et labore indebito justitiae violatae satisfacere debent.— Difficilius est. indicare modum restituendi *societati, quae de damnis incendii, naufragii, aut cujuslibet calamitatis pensandis spondet*, si cautio ab illa injuste jam est accepta. Quidam non sine ratione arbitrantur, veram restitutionem fieri vix posse, praesertim si societas assecurationis ex multis constat sociis, qui quovis anno commutantur et quovis anno lucra vel damna inter se dividunt; restitutio non eodem anno facta, ac injuria erat illata, jam ab iis membris non percipitur, qui societati,

---

[1]) Gousset, *Théol. Mor.*, I, n. 1030.
[2]) Marc, *Institut. Mor.*, t 1, n. 1013.

fortasse renuntiarunt. Nihilominus, recte hac in causa Marc animadvertit: «id nobis videtur valere pro solo casu dissolutionis societatis; nam sociis, qui ex societate exeunt, alii succedunt cum jure ad credita et obligatione ad debita societatis»; dummodo igitur aerario societatis aliqua ratione restituatur injuste accepta cautio, jam justitiae violatae sufficienter videtur satisfieri. Sed admodum difficile est indicare viam, qua restitutio ad aerarium societatis transmitti possit. Casu, quo ob infidelitatem officialium id nullo pacto obtineri potest, causis piis est restituendum.— De modo restituendi pro damnis reipublicae ita Marc disserit: «si media restituendi assignata sint a lege, his utendum est. Si desint media legalia et nulla pateat via, qua ad publicum thesaurum mitti possit, restituendum est in usus pios. Talis enim restitutio reipublicae certe prodest; et insuper in multis locis tanquam compensatio pro injuriis Ecclesiae illatis considerari potest» [1].

Quando sit restituendum?

109. *Restitutio, quae ex contractu debetur,* eo tempore est facienda, de quo expresse vel tacite inter partes est conventum, nec sine ratione differri potest, etiamsi creditor non petat, nam dies designatus ipse pro creditore interpellare dicitur. Certe tamen excusatur de peccato gravi, qui restitutionem differt per breve tempus, quo dominus nec damnum grave patitur, nec graviter censetur invitus; spatium 20 dierum juxta S. Alphonsum [2] non putatur esse grave. Si vero tempus pacto non est constitutum, restitutio differri potest, usque dum a creditore exigetur; nam hic, scienter non petendo, dilationi consentire videtur; aliter dicendum est, si creditor petere aut non potest, aut ex metu non audet, aut ex oblivione omittit.

Debitor, qui rem alienam bona fide, v. gr. ex errore, accepit, restituere illam debet, quamprimum sine gravi proprio incommodo potest; qui sine justa et congruente causa restitutionem gravis materiae per tempus notabile differt, non tantum mortaliter peccat, sed simul contrahit obligationem reparandi omnia damna ordinaria, quae domino

---

[1]) Marc, I, n. 1015.

[2]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 679.

laeso obvenerint; imo, etiam ille poenitens absolvi non potest, qui nonnisi per partes restituere vult, quamquam simul totum commode potest.

Debitor ex delicto tenetur sub gravi restituere, quamprimum potest; alioquin statim contrahit obligationem reparandi domino laeso damna, quae exinde sequuntur. Imo, etiamsi ex justa causa, v. gr. ad vitandam infamiam, restitutionem differat, etiamsi ipsa dilatio eam ob causam non sit peccaminosa, nihilominus damna creditori obvenientia reficere debet, nam per antecedens delictum factus est reus in radice et contraxit obligationem faciendi dominum indemnem. Solummodo controvertitur inter theologos, an debitor ex delicto obligetur etiam ad resarcienda detrimenta extraordinaria, domino laeso obvenientia, quae nec prudenter praevideri poterant, nec necessario ex dilatione sequuntur. Probabilius debitor etiam ab hisce damnis recompesandis non fit liber, nisi ipsius domini culpa illa damna evenerint [1]).

Cap. IV. Causae de restitutione excusantes.

110. Nemo theologorum negat, haberi certas causas, quae obligationem restitutionis aut prorsus tollunt, aut saltem ad tempus eandem suspendunt. Prudenter tamen monet S. Antoninus [2]), ut de hisce causis discrete et circumspecte dicatur, nam homines, cum pro sua natura rerum terrenarum sint nimis cupidi, facilius sibi persuadere possunt, se ab obligatione restituendi esse exemptos; hinc viam abusus facile est abire, praesertim si agitur de impossibilitate morali, quae pro sua ambiguitate et ancipiti ratione perperam accipi potest. Causae de restitutione excusantes sunt ejusmodi, quae vel ad tempus obligationem suspendunt, vel eam omnino tollunt. Major tamen requiritur causa, ut restitutio in pias causas fiat, quam ut tantummodo differatur, et adhuc major, ut prorsus tollatur.

a) *Causae, quae obligationem restituendi suspendunt.*

Praeter *ignorantiam invincibilem*, quae, quamdiu manet, sane de restitutione excusat, quatuor insuper peculiares causae indicari solent, quae

[1]) Lugo, Disp. XVIII, n. 33.
[2]) Cf. Carrière, t. II, n. 1267.

restitutionem ad tempus differre permittunt: *impossibilitas physica, moralis, damnum ipsius creditoris aut tertiae personae, tandem cessio bonorum.*

In impossibilitate physica versari dicitur, qui prorsus non habet, unde restituat. Hunc, quamdiu miseram vitam tolerat, nemo sanus ad restitutionem obligabit; imo, qui in extrema necessitate consumit rem alienam etiam sine spe melioris fortunae, a restitutione etiam in posterum liberatur.

111. **Impotentia moralis** habetur, quando debitor restituere non potest nisi cum magna difficultate sive ob propriam aut suorum (filiorum, conjugis, patris, matris) egestatem, sive ob damnum valde grave, ex restitutione sibi obveniens. In hoc casu obligatio restitutionis ad tempus magis benignum suspenditur, nam ad impossibilia nemo obligatur, et in moralibus dicitur impossibile, quod est valde difficile, vc. quod decenter et honeste fieri non potest: justitia est virtus, ideoque prudenter praecipit, neque onus insupportabile humeris humanis imponit; ipse creditor prudenter et rationabiliter praesumitur jus suum ad restitutionem suspendere, ut ordo caritatis servetur. In Evangelio tunquam nimis rigidus exactor condemnatus est servus creditor, qui suo conservo debitori nullas inducias indulgere voluit (*Matth. XVIII, 28—34*). Ne tamen impotentia moralis vel gravis difficultas perperam plus aequo extendatur, proprius est definienda, non omnis enim difficultas etiam gravis ab onere restitutionis liberat; alioquin quisque, gravi aliena injuria obligatus et ad conspicuam pecuniae quantitatem solvendam condemnatus, jam ratione difficultatis, a restitutione esset liber. Recte igitur Marres dicit: «haec difficultas non ex solo praecepto restituendi sed aliunde, sc. ex specialibus personarum et rerum adjunctis nascatur» [1]). Quae adjuncta quatuor indicari possunt.

a) Obligatio restitutionis certo suspenditur, quando debitor ei satisfacere non potest nisi *cum quasi-extrema sua aut suae familiae necessitate temporali*; debitorem in hisce angustiis ad restituendum urgere esset nimis inhumanum: si in extrema necessitate licitum est sibi de aliena substantia providere, aliquando etiam sine onere restitutionis, licet igitur ob causam minorem eandem restitutionem ad tempus differre, ne in illam necessitatem incidatur.

---

1) Marres, t. I, n. 145.

112. b) Obligatio restitutionis suspenditur, quando ei satisfieri non potest, nisi *cum magno dispendio bonorum superioris ordinis*. Ita, reparatio laesae famae urgeri nequit, quousque id fieri non potest, nisi cum certo periculo propriae vitae; pari modo a restitutione alienae fortunae ad tempus liberatur pater, quando certum imminet periculum, ne filii, egestate oppressi, se latrociniis implicent, aut ne uxor vel filiae sese prostituant, aut tandem ne ipse, desperatione obrutus, violentas manus sibi inferat. Cum tamen periculum in hisce casibus non ex ipsa restitutione, sed nonnisi ejus occasione sequi supponatur, ideo aequum non est, ut creditor jam omnino re sua propter malitiam alterius fraudetur: obligatio restitutionis nonnisi suspenditur, non autem prorsus tollitur. Eodem modo notarius non tenetur falsum a se confectum testimonium revocare, ut cum gravissimo detrimento famae aut carceris damnum fortunae, proximo perinde illatum, reparent; nihilominus si damnum hoc ex propriis opibus resarcire possunt, ad id sane tenentur. Imo, juxta Molinam, qui per falsum testimonium nobilem aliquam familiam ad statum dedecoris et mendicitatis conjecit, tenetur illud retractare etiam cum periculo vitae, si id profuturum sit ad reparandum damnum [1]).

c) Restitutio differri potest, quando *damnum fortunae, quod debitori certo imminet, est notabiliter majus damno, quod creditor ex dilatione patitur*. Ita, opifex instrumenta, quibus artem exercet, vir doctus libros, quibus munere fungendo indiget, vendere non tenentur, ut ex illarum rerum pretio creditoribus satisfiat. Quantum superare debeat damnum debitoris damnum creditoris, difficile est definire. Sunt theologi, qui exigant, ut damnum debitoris duplo superet pretium rei restituendae ex contractu et quadruplo rei debitae ex delicto. Qua norma generalis pro omni casu id observari vix potest. Quidquid tamen sit, certe restitutio differri non potest, si ex hac dilatione aequale, aut fere aequale damnum creditori et ipsi debitori sequitur. A fortiore restitutio non suspenditur ob lucrum debitori cessans, nisi aut creditor nullum exinde damnum patiatur, aut nisi debitor hoc lucro indigeat, ut aliis creditoribus satisfaciat cum relative parvo damno illius.

113. d) Tandem restitutio ob moralem impotentiam differri potest, si debitor per continuam ejus executionem *e statu juste acquisito notabiliter*

---

[1]) Molina, t. IV, Disp. 102, n. 14.

dicideret, v. gr. si vir nobilis debitum statim solvere non potest, nisi, cum conspicuo dedecore familiae, se famulis et equis penitus privetur, aut ad artem sibi inconsuetam exercendam cogatur, aut vitam operariorum agere debeat. Aliud tamen est non posse vivere secundum decentiam sui status juste acquisiti, et aliud est illum statum prudenter minuere et temperare, parcius vivendo, sumptus suos in victu, vestitu, famulatu pro exigentia imminuendo etc.; non vilem enim et despectum, sed potius honore et aestimatione dignum se reddit, qui statum suum moderatur praecise, ut rebus suis consulat et debitis satisfaciat. Insuper, si status, quo debitor vivit, est injuste comparatus, restitutio legitime differi non debet, nam restituendo debitor non ex suo statu decidit, sed potius ad sibi proprium redit. Nequit licite et juste differri restitutio etiam tunc temporis, quando ipse creditor ob illam dilationem in aequale discrimen, ac ipse debitor, dilaberetur; nam ceteris paribus praevalet jus legitimi domini, respective creditoris. Tandem qui propria gravi culpa, sc. ludis, potationibus ad eas angustias est redactus, ut creditoribus restituere non possit, quin ex statu suo notabiliter dicidat, juxta longe communiorem theologorum sententiam non liberatur ab obligatione statim restituendi, quamquam S. Alphonsus contrariam opinionem tuetur [1].

114. **Damnum, creditori vel tertiae personae**, ex restitutione certo imminens, est tertia justa causa, quae obligationem restituendi ad tempus suspendit. Qua in causa ita d. Thomas ratiocinatur [2]: «quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio est facienda, vel alteri, non debet ei tunc restitui: quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui restituitur. Omnia enim, quae possidentur, sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille, qui detinet sic rem alienam, sibi appropriare, sed vel reservare, ut congruo tempore restituat, vel etiam alibi tradere tutius conservandam». Quando tamen de solo detrimento temporali creditoris agitur, raro expedit contra voluntatem creditoris restitutionem differre, si hic est compos sui: creditor enim est verus dominus rei restituendae et qua dominus habet jus utendi et abutendi re sua. Quapropter si creditor vult pecuniam, quam a debitore reposcit, convivio prodigo insumere, non habetur adhuc justa causa denegandi ei debitum, nisi in singulis circumstantiis

---

[1]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 702.

[2]) 2. 2. q. 62, art. 5.

prudentia contrarium suadeat. Quando ex restitutione continua imminet detrimentum tertiae personae, observandus est ordo charitatis inter creditorem et tertiam personam: restitutio differri potest, quoties injustum detrimentum tertiae personae tali ratione efficaciter impediri potest et notabiliter excedit incommoda dilatae restitutionis pro creditore. Hinc debitor non tantum potest, sed generatim debet denegare restitutionem gladii, quo proprietarius certe abuteretur ad vulnerandum suum inimicum.

115. Maxime justa et frequentior causa differendi restitutionam est *damnum spirituale, ipsi creditori imminens*. Quotiescunque igitur rationabiliter et prudenter creditor ad peccandum re restituta esse abusurus praevidetur, restitutio juste differtur, imo differri debet, dummodo peccatum tali modo efficaciter impediatur, nec majora mala timeantur. Hinc, pecunia mutuo accepta non potest ei reddi statim, qui eadem ad luxuriam certe abuti vult, nec restituendi sunt domino pravi libri, nec picturae, quae in nullum nisi pravum usum inservire possunt. Attamen, si denegata restitutione damnum spirituale creditoris impediri non potest, et ipsi debitori non parvum detrimentum imminet, restitutio suspendi nequit. Ita, si creditor alium pravum librum aeque facile sibi procurare potest, et ex denegata restitutione sequerentur blasphemiae, odia, irae, tunc debitor, nisi sit superior, potius monito et correctione fraterna ad mala praecavenda utatur, quam ipsam restitutionem deneget: alioquin enim et commodatio redderetur difficilis, et ipsa pietas hominum timoratae conscientiae efficeretur odiosa. Sunt theologi, ut Soto, s. Antoninus, qui non tantum restitutionem denegare, sed etiam fas esse dicant surripere mulieri fucos et pigmenta, quibus alios ad peccandum alliciat, et lusori instrumenta lusoria, quibus ad inique ludendum abutatur, sed Molina prudenter animadvertit: «nunquam vi arcendum hominem a peccato, nisi a publica auctoritate, aut ab eo, cui id ex officio incumbit». Quod nimis generaliter dictum Lugo [1]) ita legitime restringit: «si aliquis vult se ipsum occidere, licite certe aufertur ei per vim gladius, ne se occidat».

116. **Cessio bonorum** (*upadłość*), juridice declarata et sine fraude peracta, non tollit quidem obligationem restituendi totum, certe tamen tum in foro interno ob impossibilitatem, tum in foro externo ex bene-

---

[1]) Soto, lib. IV, q. 7, art. 1; S. Antoninus, *Summa Theol.*, p. II, t. I, cap. 14; Molina, Disp. 755; Lugo, Disp. XXI, n. 34.

ficio legis eandem ad tempus suspendit; non tollit plenam restitutionem, nam creditores, qui nonnisi partem debiti recipiunt, in id non voluntarie sed necessitate coacti consentire praesumuntur, nisi de contrario certe constet. Ideoque debitor, quamprimum meliorem fortunam est nactus, ad integram solutionem in conscientia obligatur; imo, in quantum valet, curare debet, ut diligentius laborando, integrae solutioni satisfaciat. Quisque tamen debitor, bonis cedendo, potest ea sibi sine fraude retinere, quae ad propriam et suae familiae vitam sunt prorsus necessaria. Uxor, quamquam propria bona habet, licite potest a viro, debitis solvendis impari, alimenta sibi recipere, imo etiam petere: nam vir non minus obligatur ad uxorem alendam, quam ad debita solvenda. Famulus licite salarium a domino, debitis gravato, recipit, si est ei necessarius; secus discedere debet, ne causa fiat damni creditorum. Dona ab homine, debitis gravato iisdemque solvendis impari, recipi nequeunt, nemo enim liberalis, nisi liberatus. Dona, in hisce circumstantiis accepta, sunt invalida et ad creditores pertinent.

Haec quatuor causae, quousque subsitunt, obligationem restitutionis legitime suspendunt. Qui tamen debitor ad totum damnum simul reparandum non valet, potest tamen id per partes perficere, sane ad id in conscientia tenetur; hoc enim modo et facilius et securius finis justitiae assequitur.

b) *Causae, quae obligationem restituendi tollunt.*

117. Causae, quae obligationem restitutionis prorsus tollunt, quinque numerari solent: *condonatio, compensatio, compositio legitimae auctoritatis, praescriptio, ingressus religionis.*

Condonatio seu debiti remissio, a creditore legitime facta, sine dubio obligationem restitutionis penitus extinguit. Ut tamen condonatio legitima habeatur, quaedam condiciones requiruntur: a) Ut creditor non solum dominio, sed etiam libera administratione rei sibi debitae gaudeat; quapropter condonationes filiorumfamilias minorum, pupillorum non valent. b) Ne condonatio fiat cum injuria aliorum; creditor, qui propriis debitis solvendis est impar, nequit aliis debita remittere. c) Ut condonatio fiat libera et voluntaria, non autem vi, metu, fraude, mendacio extorta. Non semper est necesse, condonatio fiat expressa: quandoque etiam tacita valet. «Hinc si dominus, ait Stapf, famulum ob levia furta expellit, nihil exigens, dum potest, tacite censetur obli-

gationem restituendi remittere»[1]). Difficilius admittitur interpretativa seu praesumpta condonatio et quidem nonnisi erga personas, creditori vel domino laeso proxime conjunctas, ut erga uxorem, parentes, filios; sedulo enim est animadvertendum, praesumptam remissonem non illico concludi posse ex eo, quod condonatio concederetur, si peteretur: si enim unica causa condonationis esse supponitur petitio, tunc, hac non facta, illa praesumi non potest.

118. **De compensatione** occulta et legali, quibus obligationi restitutionis satisfit, jam disputavimus (*lib. II, n. 109—121*). Habetur adhuc tertium genus compensationis: aliquis debet Petro centum, hic autem Paulo aeque centum; prior debitum solvit tertio et tali ratione a secundo creditore fit liber. Hoc genus restitutionis, nisi exinde quis creditor aliquod damnum patiatur, in conscientia valet, per se tamen, nisi legitima causa aut consuetudine, ut inter mercatores excusetur, est illicitum, nam recto juris ordini adversatur, quem nemini privato sine sufficiente ratione invertere licet. Insuper non semel exinde varia incommoda oriri solent; quapropter tunc tantum hoc restitutionis genere fas est uti, quando quis creditor alia ratione aut nullatenus, aut nonnisi cum gravi nocumento sibi debitum repetere potest.

An fiat rigorosa debiti compensatio *per dona*, quae aliquis, debiti immemor, creditori elargitur, inter theologos disputatur. Communior opinio, quam S. Alphonsus valde probabilem et Laymann probabiliorem dicunt[2]), illud negat, nam debitor, gratis dando, anteriorem justitiae obligationem extinguere non intendit; nec obstat, ait S. Alphonsus, quod debitor, si sui debiti memor fuisset, non donasset, sed prius debitum solvisset: in contractibus non attenditur voluntas conditionalis, sed actualis. Nihilominus sententia affirmativa, quae liberalem debitorem ab obligatione restitutionis immunem doclarat, teste ipso S. Alphonso, est etiam probabilis et in tribunali poenitentiae[3]) a confessario sequi potest, nisi fortasse debitor antea expressam et nondum deinceps revocatam habuerit intentionem non restituendi. Insuper etiam patroni negativae sententiae excipiunt obligationem restitutionis, quae ex praecepto ecclesiastico oritur. Ita beneficiarius, ob omissam recita-

---

[1]) Stapf, *Theol. Mor*, t. II, § 325.
[2]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 700; Laymann, lib. III, tr. II, cap. 12, n. 9.
[3]) S. Alphonsus, *Praxis Conf.*, cap. II, n. 44.

tionem horarum canonicarum aut defectum residentiae, ad restitutionem fructuum in pias causas obstrictus, per eleemosynas, quas, immemor suae obligationis, *postmodum* erogat, justitiae satisfacit. Nihilominus et beneficiarius nequit pro rigorosa satisfactione illas eleemosynas computare, quas fecit, antequam obligatio est contracta per delictum. Ita, ab Alexandro VIII damnata est propositio n. 33: *restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.*

119. **Compositio**, qua restituendi obligatio penitus tollitur, publica auctoritate perficitur et quidem ea, cui facultas transferendi dominium competit. In ordine civili, ad bonum publicum temporale, hoc jus in quibusdam adjunctis supremo reipublicae moderatori adjudicatur, in bonis ecclesiasticis—Romano Pontifici. Exemplum illius compositionis habemus in sanctionibus legis civilis de inventione thesauri et rerum nuper amissarum, item de legitima praescriptione; exemplum compositionis ecclesiasticae exhibet sanatio super bonis Ecclesiae injuste alienatis, quam Summus Pontifex, qua supremus bonorum Ecclesiae administrator, ob justam et gravissimam causam concedit, alienationem condonando. Quae sanatio obtinetur aut privatim per supplicem libellum, aut publice per concordata, cum gubernio inita. Alienatio bonorum Ecclesiae in nostro Imperio, anno 1842 facta, videtur tacite esse convalidata per concordatum 1847 anno initum, quo gubernium ad annua stipendia solvenda se obligavit.

De praescriptione jam suo loco satis disseruimus.

An **ingressu religionis** debitor per solemnem professionem ab obligatione restitutionis liberatur, quaestionem esse suparfluam arbitramur, post decretum Pii IX an. 1848 Januarii die 25 datum: *nemo ad habitum in quocunque ordine, monasterio etc. admitti potest, antequam Ordinarius tum originis, tum loci, in quo postulans post expletum 15 annum aetatis suae ultra annum moratus est, litteris testimonialibus inter alia retulerit, an postulans sit aere alieno gravatus.* Per se ingressus religionis ab obligatione restitutionis debitorem sane non eximit, eximit tamen ob ipsam impossibilitatem restituendi, quae post professionem solemnem semper manet: nam nec monasterium ad debita sodalium membrorum e suis bonis solvenda obligatur, neque ipse debitor, solemniter professus, quidquam suo nomine possidere et tali pacto restituere potest.

DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

120. In principia generalia restitutionis inquirendo, injuriam in bonis fortunae potissimum prae oculis habuimus. Superest, ut tum ceteras injuriae species, tum casus peculiares injuriae in bonis fortunae, qui singularem difficultatem praebere solent, proxime examinemus. Jamvero cum quaedam injuriae, ut homicidium, stuprum, in sua specie reparari non possint, et cum juxta opinionem probabiliorem obligatio restitutionis pro iis in alia specie, vi justitiae rigorosae, injungi nequeat, indicare expedit, quid saltem vi congruentiae pro illis compensandis commendari debeat.

De restitutione ob damnum in bonis animi.

Damnum animi tum in bonis supernaturalibus, quae sunt virtus, gratia, innocentia, religio, tum in bonis naturalibus, ut in intellectu, scientia, memoria, fieri possunt. *Bona animi supernaturalia* sunt ea, quae nullo pretio temporali aestimari possunt, nam ipsa vita aeterna, bonum supra omne bonum, iisdem obtinetur. *Omnia quae desiderantur huic non valent comparari* (Prov. III, 15). Exinde jam patet, quantum sit damnum in hisce bonis aliquod detrimentum pati, et quantum sit peccatum ad hujusmodi damnum proximi aliqua ratione cooperarari. Jam praecepto gravi correctionis fraternae quisque pro viribus debet aliena damna spiritualia avertere, quam obligationem caritatis nisi religiose curet, majoris vel minoris culpae fit reus; a fortiore gravius peccat, qui non tantum illa damna proximi pro facultatibus non praecavet, sed aliqua ratione saltem negative, ut pravo exemplo, ad eadem excitat. *Ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum* (Rom. XIV, 13). *Vae homini illi, per quem scandalum venit* (Matth. XVIII, 7). Cum tamen ad damna spiritualia subeunda semper requiritur ex parte patientis liber consensus voluntatis, ideoque in hisce virtus justitiae rigorosae tunc nonnisi violatur, cum proximus vi, fraude, mendacio, falsa doctrina ad peccatum formale inducitur, aut a mediis sanctificantibus impeditur. Reparare in hisce damnum est idem saepissime, ac suam fraudem, mendacium, metum, vim subtrahere. Qui perversam doctrinam fallaciis refertam, editis libellis, in vulgus sparsit, etiam publice

illam ex justitia revocare debet nec facit satis, in tribunali poenitentiae peccata confitendo et de iisdem dolendo. Pravo exemplo et neglectu correctionis fraternae, ut plurimum, laeditur caritas, pietas, virtus religionis, admodum raro autem justitia, nisi agatur de superioribus, qui ex officio aliis invigilare sunt obligati, aut quorum vita, ut sacerdotum, est norma et exemplar aliis.

121. *Damna in bonis animi naturalibus* in sua specie vix reparari unquam possunt; idcirco saltem damna fortunae, quae exinde sequi solent, sunt resarcienda. Qui igitur veneno, maleficio, aut alio iniquo modo proximum memoria, usu rationis privavit, ita ut hic ad artem suam exercendam amplius non valeret, omnia detrimenta fortunae, innocenti aut ejus familiae exinde obvenientia, reparare debet [1]). Qui vel officium alios in arte, scientia instruendi sine sufficiente peritia suscepit, vel illud officium explere graviter neglexit, saltem ad mercedem obtentam reddendam obligatur. Beneficiarii, ut episcopus, canonicus, parochus, qui sine legitima causa notabiliter legi residentiae desunt, aut horas canonicas aliquando non persolvunt, aut curam animarum graviter negligunt, ad congruam partem fructuum, quos ex beneficio obtinent, in pias Ecclesiae causas expendere tenentur. Constitutione S. Pii V *Ex proximo Lateranensi*, anno 1571 edita, ita est sancitum: *Statuimus, ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii fructus, qui illi vel illis diebus responderent: qui vero matutinum, tantum dimidiam; qui caeteras alias horas, etiam dimidiam; qui horam singulam, sextam partem fructuum ejus diei amittat.*

De restitutione ob damnum in bonis famae et honoris.

122. **Aliena bona fama** laeditur tum detractione, quando verum delictum proximi sine sufficiente ratione denuntiatur, tum calumnia, quando proximo crimen coram aliis false imputatur. Obligatio reparandi laesam famam proximi eo est gravior, quo majus damnum exinde se-

---

[2]) Juxta Cod. Civ. Rossicum quantitas remunerationis quotannis solvenda sententia judicis est decernenda. Гражд. Зак., *cm. 661*; Разъясн. Прав. Сен. *1888 г.* *№ 79.*

quitur. Si ob laesam famam proximus etiam in bonis fortunae aliquod detrimentum patitur, v. gr. aliquo officio privatur, sponsalibus fraudatur, hoc damnum pariter est ex justitia pro viribus resarciendum. Obligatio restituendi ipsam famam est personalis, ita ut neque ad heredes simul cum bonis defuncti transeat, neque etiam heredibus infamati sit restituendum, nisi forte in ipsos infamia redundet. Contra, obligatio reparandi damna fortunae, si quae ex diffamatione sunt secuta, est realis, detractoris bona afficit; quapropter tum ad ipsius heredes transit, tum diffamati heredibus debetur. «Is, qui bona fide vel probabili errore ductus, sine formali mendacio falsum de alio dixit, tenetur (intellecta postea materiali injustitia) ad restitutionem, licet non tam stricte, quam qui infamavit per injuriam formalem: hic enim tenetur restituere cum detrimento famae suae etiam aequali, alter non item; sed tantum quatenus sine suo notabili incommodo potest» [1]).

123. Alia tamen ratione a calumniatore et alia ratione a simplici detractore facienda est famae restitutio. *Calumniator*, quae false dixit, serio et aperte coram iisdem personis, quae ejus calumniam audierunt, imo pro viribus etiam coram iis, ad quas falsus criminis rumor pervenit, revocare stricte tenetur et, si publicatis libellis false crimen proximi in vulgus sparsit, eodem modo palinodiam canere debet. — *Simplex detractor* verum crimen, quod inique manifestavit, directe quidem deinceps infitiari nequit, alioquin mentiretur. Quapropter saltem indirecte bonae famae proximi prospicere debet, aut honorifice de eo loquendo, aut ejus bonas dotes laudando, aut confitendo, se male locutum esse, se errasse; errat enim non tantum, qui a veritate, sed etiam qui a rectitudine recedit, juxta illud Prov. XIV, 22: *errant, qui operantur malum.*—Quandoque tamen habentur *causae de restitutione famae excusantes*, et quidem: a) si prudenter judicatur, criminis memoriam temporis decursu esse oblivioni datam; quo in casu retractatio calumniae vel etiam detractionis potius obesset, quam prodesset, renovando memoriam suspectae causae; b) si fama proximi alia ratione est plane recuperata, v. gr. sententia judicis, testimonio prudentum, vita honesta; a fortiore, si etiam a principio diffamationi fides ab audientibus non erat exhibita, ut saepius contingere solet, quando in calore irae detrahitur; c) tandem si restitutio famae est moraliter

---

[1]) S. Alphonsus, *Theol. Moral.*, lib. IV, n. 993.

impossibilis, v. gr. ob nimiam locorum distantiam, ob periculum vitae vel alius gravissimi damni etc. Quando tamen deest legitima causa, de restitutione famae exusans, et diffamatio fuit valde gravis, expedit ejus revocationem ante absolutionem urgere. «Confessarius, inquit S. Alphonsus, curet, ut hujusmodi famae compensationes, cum commode fieri possunt, ante obsolutionem fiant, quia postea difficulter adimplebuntur; licet caeteroquin hae minus difficultatis habeant, quam pecuniae restitutio» [1]. Qui bonam proximi famam injuste laesam reparare prorsus non valet, potest quidem aliquando adhortari, ut veniam petat, ad id tamen stricte obligari nequit, nam petitione veniae fama non restituitur.

124. **Honor alienus,** injuste per contumetiam aut alia ratione laesus, generatim non reparatur, nisi venia saltem implicite petatur et quidem publice, si contumelia etiam publica erat. Pro diversa condicione tum laesae tum laedentis personae, triplex satisfaciendi ratio pro contumelia indicari solet: a) quando superior subditum injuste offendit, non requiritur, ut venia expresse petatur; plerumque sufficit amica salutatio, aut exhibita benevolentia: «ne dum nimia servatur humilitas, ait s. Aug., regendi frangatur auctoritas» [2]. b) Si contumeliā affectus et offendens sunt ejusdem condicionis, quamquam interdum non est opus, ut venia expresse petatur, signa tamen honoris majora, quam ordinaria et communia, offenso sunt exhibenda. c) Tandem in casu, quo inferior superiorem ignominiā affecerit, semper humilis deprecatio veniae requiritur et quidam prima opportuna occasione, nisi prudentia contrarium suadeat, v. gr. si offensus, ob nimis recentem memoriam acceptae contumeliae praesumitur fore, ut nova ira excandescat.

Jure Rossico [3], quod pro Reg. Poloniae aeque valet, contumeliā affectus petere potest, ut offendens aut juxta Cod. Poen. ad poenam carceris subeundam condemnetur, aut juxta Cod. Civ. ad pecuniariam mulctam in gratiam offensi solvendam cogatur, non tamen ad utrumque simul. Codice Civili pro contumelia statuitur mulcta ab uno ad quinquaginta rubelos, in singulis casibus sententia judicis decernenda,

---

[1]) S. Alphonsus, *Homo Apost.*, tr. XI, n. 18.

[2]) S. Augustinus, *Epistola CCXI, n. 14.*

[3]) Гражд. Зак., *ст. 667—670;* Уставъ о наказ. налаг. Мировыми Судьями, *ст. 130—138.* — Кто въ личной обидѣ или оскорбленіи учинитъ искъ гражданскій, тотъ лишается уже права иска уголовнаго въ той же обидѣ и оскорбленіи *ст. 669.*

habita ratione tum offensi, tum offendentis. Si quae damna fortunae innocenti hac occasione obvenerunt, sunt etiam recompensanda; in foro externo quantitas recompensationis sententia judicis definitur.

De restitutione ob homicidium.

125. Homicidio et ex parte etiam mutilatione triplex damnum proximo innocenti inferri potest: spirituale, naturale, materiale; ad quod triplex damnum reparandum homicida vel mutilator tunc nonnisi ex justitia obligari potest, quando ejus actio damnosa simul injusta et voluntaria fuit. Quapropter ab obligatione restitutionis eximitur imprimis, qui aliquem in duello occidit aut vulnerat; peccat quidem graviter, sed strictam justitiam erga ipsum hominem passum non violat, nam scienti et volenti non fit injuria. Porro restitutionis obligationem nullam subit, qui injustum aggressorem vitae cum moderamine inculpatae tutelae occidit; nihilominus si hoc moderamen certe et cum culpa gravi exceditur, obligatio restitutionis saltem juxta communiorem et probabiliorem sententiam non extinguitur. Tandem qui casu infausto et contra voluntatem fit homicida aut hominem vulnerat, non est dubium, quin etiam ab obligatione reparandi damnum obveniens eximatur.

Damnum naturale hic illud subintelligitur, quod occisus aut vulneratus in bonis vitae et in integritate membrorum injuste patitur. Hoc sane damnum directe reparare nemo potest, nisi solus Deus, aut cui Ipse potestatem miraculorum dedit. Non tamen sine ratione inquit Antoine: «cum per injustam occisionem vel mutilatienem illata sit injuria non solum realis, sed etiam personalis, quae est vera offensa ac contemptus personae, teneri laesorem ad satisfactionem pro ea per significationem doloris, petitionem veniae, aliaque submissionis signa, apta ad placandum laesum, si adhuc vivat» [1]).

126. **Damnum spirituale** injuste occisus eo patitur, quod privatur facultate merendi et pro suis peccatis satisfaciendi. An hoc damnum spirituale ex justitia reparari possit et debeat? Lessius id negat: «facultas merendi est irreparabilis; similiter meritum amissum est irreparabile: quia meum meritum non potest alteri donari, ita ut fiat ipsius... Et quamvis satisfactio unius alteri prodesse possit, non tamen

---

1) Antoine, *Trac. de Justitia*, p. III, cap. 2, q. 17.

constat, an alter aliqua satisfactione sit privatus, nec utrum ei profutura sit (*damnatis nihil prodesse potest, incolae coelestes etiam satisfactione non indigent*). Denique non potest in his certa mensura constitui, quae lege justitiae debeatur»[1]). Contra, Molina saltem in eo casu ad orationes et suffragia pro injuste occiso homicidam obligat, quando hic causa fuit, quod pro defuncto non fierent tot sacrificia et suffragia, quot ipse in suo testamento procurasset. Navarra, a card. Lugo allegatus, homicidam saltem tunc ad orationes et suffragia pro occiso obligat, quando verisimile est, (*est semper verisimile!*) quod occisus, si viveret, pro suis peccatis satisfaceret. Quam opinionem ipse Lugo uti veram doctrinam tuetur et addit: «si enim opifici restituendum est, quod per operas materiales minus lucratur, non video, cur non sit restituendum pro damno spirituali, quod invitus incurrit». Idem tenent plures alii theologi, ut Antoine, Collet, Billuart, Carrière. Sed quisnam definire possit certam normam, quae pro damno spirituali lege justitiae debeatur? Nemo sane negare potest, esse optimum, saluberrimum, charitati maxime consentaneum, ut homicida, quantum valeat, animae defuncti prodesse conetur, sed hoc non videtur legem caritatis excedere; consilium est, ait S. Alphonsus, ut confessarius injungat eleemosynas et Missas pro salute occisi[1]).

127. **Damnum temporale** subintelligitur omne detrimentum, quod ex homicidio vel vulneratione ipsi innocenti, ejus familiae, aut interdum etiam tertiae personae in bonis fortunae obvenit et ad quod reparandum homicida et vulnerator ex justitia certe obligatur. Qui proximum *injuste vulneravit*, compensare tenetur tum sumptus curationis, tum lucrum cessans pro tempore, quo ob interruptum laborem hic est passus. Homicida *ad sumptus funeris* restituendos jure naturae non obligatur, nam cum statutum sit omnibus semel mori, nemo mortalis a hisce sumptibus subeundis est liber. Nihilominus, si sumptus funeris occasione homicidii augentur, v. gr. vir nobilis extra patriam occisus ad sepulcrum suae prosapiae magno sumptu transvehi debet, tunc augmentum sane est resarciendum. Jure Rossico homicida ad omnes funeris expensas subeundas obligatur, quod post sententiam judicis ratione poenae in conscientia valet. Insuper omnia damna innocenti occiso facta *pro tempore quo vivebat*, nisi hic ante mortem ea valide

---

[1]) Lessius, lib. II, cap. 9, n. 150; Molina, t. IV, Disp. 84, n. 10; Lugo, Disp. XI, n. 3; S. Alphonsus, lib. IV, n. 630.

condonaverit, sunt resarcienda heredibus, quicunque sint; nam ipsi omnia jura realia defuncti hereditate adeunt. Valide autem ante mortem aliquis condonat, quando nemo exinde injuste aliquod gravamen patitur, vc. nec medicus justo salario privatur, nec heredes ad sumptus sanationis ex propria fortuna faciendos coguntur. *Erga familiam* autem defuncti, vc. parentes, filios, uxorem, homicida non tantum ad omnia damna ratione homicidii jam facta reparanda obligatur, sed insuper praestare debet ei alimenta pro tempore, quo defunctus vivere poterat. Quod lucrum familiae cessans, nisi haec aliunde sufficientem habeat sustentationem, v. gr. pensionem annuam, defunctus ante mortem suam non potest homicidae valide condonare, nam strictam obligationem habet suam familiam alendi. Optimus modus hoc lucrum cessans compensandi est pacifica mutua conventio; quae si obtineri non potest, tunc mensuram compensationis definit judex, cujus sententia in conscientia valet [1]. Lex civilis exigit alimenta parentibus usque ad mortem, uxori usque ad mortem vel alterum connubium, filiis usque ad maturam aetatem, filiabus usque dum nubant.

128. Tandem homicida restituere jure naturae tenetur damnum fortunae obveniens iis omnibus, *quibus directe voluit nocere,* ut creditoribus, consanguineis, nam quisque habet jus, ne directe et violenter a consequendo justo bono impediatur. Nihilominus, si *creditores* ex superstite fortuna defuncti sibi debita recuperare possunt, vel consanguinei nihil hereditate aut legatione erant obtenturi, tunc homicida ad nihil obligatur. Idem est affirmandum in casu, quo homicida debita defuncti prorsus ignorabat. Controvertitur vero inter theologos, an homicida ad restitutionem sit adstringendus erga creditores defuncti, si hujus debita non ignorabat, sed creditoribus directe nocere minime intendebat, nam homicidium ob aliam rationem patravit; et negativa, et positiva sententia videntur esse aeque probabiles. — *Si homicida morte plectitur,* justitiae commutativae perinde nondum fit satis, quemadmodum nec fur virgis caesus ab obligatione restituendi liberatur: per poenam fit satis justitiae vindicativae, non commutativae. Quapropter obligatio restituendi, qua homicida erga personas damnificatas adstringitur, ad ejus legitimos heredes transit, nisi hi hereditati renuntiverint, aut nisi personae laesae, restitutionem non petendo, de jure suo cessisse praesumantur.

---

[1]) Гражд. Зак. ст. 657—661; Cod. Nap. n. 1382.

De restitutione ob stuprum.

129. Stuprum vi vocis concubitum violentum cum femina designat, sive haec sit virgo, sive mulier nupta. Apud theologos stuprum alio sensu accipi solet et significat quemcunque concubitum etiam voluntarium cum femina libera et honesta, sive haec sit virgo, sive vidua, dummodo ne sit meretrix. Ex stupro duplex damnum sequi potest: *naturale*, quo amittitur virginitas, et decus corporis polluitur, *materiale*, cujusmodi sunt: obligatio educandi susceptam prolem, difficultas ineundi congruum matrimonium, augmentum dotis ad nuptias requisitum etc.

Damnum naturale vel personale in sua specie est prorsus irreparabile. Theologi, quamquam aliunde disputant nec sunt concordes, an damnum, in suo genere irreparabile, saltem pecuniā sit remunerandum, quod spectat tamen virginitatis amissionem, fere omnes consentiunt, hanc non esse pecuniā redimendam, ne corporis integritas et decus vendi videatur, nec feminae spe lucri temporalis ad fornicationem incitentur. Stuprum violentum, qua crimen, Codice Poenali punitur [1]).

Superest igitur, ut **damnum materiale,** si quod obvenit, in singulis casibus recompensandum definiatur. Quando crimen stupri occultum manet, nec prolis concipitur, restitutionis obligatio nulla contrahitur, cum nullum damnum temporale tunc alicui contingat. Damnum materiale, ex stupro obveniens, fieri potest aut feminae seductae et ejus parentibus, aut proli, si nascitur. Quod damnum supplendum ut decernatur, quadruplex casus est considerandus.

130. I. *Si femina de stupro sponte et gratuito consensit, nec proles est suscepta,* seductor neque erga parentes, neque erga ipsam defloratam ex justitia stricta ad quodvis damnum materiale recompensandum per se obligatur, etiamsi fornicatio aliquo casu, sed sine culpa defloratoris fiat nota. Et quidem ad nihil obligatur erga ipsam feminam seductam, etiamsi donis aut precibus non urgentibus eam sollicitaverit, nam scienti et volenti non fit injuria. Sane femina nequit de usu sui corporis extra matrimonium licite consentire; nihil tamen obstat, quin,

---

[1]) Уложеніе о наказ., ст. 993—1000.

libere in fornicationem consentiendo, damna materialia perinde condonet. Quapropter, si deflorator sententiā judicis ad pecuniaram mulctam feminae solvendam condemnatur, haec tuta conscientia pecuniam recipere nequit, nam sententia judicis in falsa praesumptione facti fundatur, cum deflorationem violentam supponat. Nec quidquam restituere debet stuprator parentibus, ob damnum ipsis obveniens ratione dotis, quam forte augere debent ad filiam in matrimonium collocandam, «quia sicut puella, cum possit libere nuptias respuere, non facit injuriam parentibus, si ad illas minus aptam se reddat, consentiendo in suam deflorationem, ita neque injuriam eis facit deflorator, ipsam consentientem violans» [1]). Plures tamen theologi, ratione laesae pietatis, stupratorem devinctum esse putant ad veniam a parentibus petendam vel ad aliquod aliud signum submissionionis, nisi talem satisfactionem respuere, aut ipsum crimen ignorare praesumantur. Seductor tunc nonnisi ad omne damnum materiale et feminae defloratae libereque consentienti et ejus parentibus ex stricta justitia reparandum obstringitur, quando crimen fornicationis aliunde occultum, ipse divulgavit et tali pacto feminam de fama detraxit: femina enim de fornicatione consentiens, minime de criminis divulgatione perinde consentit.

131. II. Stuprator, qui feminam, (spectatis circumstantiis ejus imperitiae, aetatis, condicionis), *fraude. vi. metu gravi, tactibus morosis* tandem ad fornicandum seduxit, ad omnia damna honoris et fortunae, tum ipsi feminae, tum ejus parentibus obvenientia, recompensanda fit obligatus, nam est causa efficax et injusta totius damni. Debet igitur a parentibus veniam petere, nisi id respuere rationabiliter praesumantur; virgini autem defloratae augere debet dotem, ut aeque bene nubere valeat, ac si corrupta non esset; connubio tamen eam sibi jungere stuprator per se non tenetur, nisi id expresse promiserit, aut nisi forte ad damnum aliter reparandum non valeat. Si puella vi corrupta, antequam congruum tempus nubendi venerit, mature moritur, et si judicis sententia, ad mulctam pecuniariam condemnans, nondum intercessit, stuprator nihil heredibus ratione deflorationis restituere tenetur. Jure Civili Rossico seductor, qui virginem stupro violavit, obligatur usque ad ejus mortem, aut usque dum matrimonio honesto copuletur, congruam pro suis viribus sustentationem ei praebere debet, si ipsa indiget [2]).

---

[1]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 641.

[2]) Гражд. Зак., ст. 663; Улож. о наказ., ст. 1525 - 1532.

132. III. Qui eminam liberam *sub promissione matrimonii* vera aut ficta ad crimen fornicationis commovit, eam uxorem ducere tenetur. Ficta promissio hoc in casu verae aequivalet ratione injuriae, quae feminae deceptae infertur et quae injuria alia via adaequate reparari non potest, nisi verus consensus praestetur et subsequente honesto matrimonio confirmetur. Haec est theologorum fere communis sententia, quam S. C. Concilii pluries confirmavit. Quamquam enim promissio matrimonii, sub condicione turpi facta, qua contractus inhonestus ante confirmationem non valet; fornicatione tamen subsecuta, ex justitia rigorosa qua sponsalia obligat [1]). Ab obligatione ineundi matrimonium cum femina seducta, etiamsi illud promiserit, fornicator hisce in casibus eximitur: a) si ipsa femina de jure suo cedit, quamquam parentes dissentiunt; nam jus ad matrimonium est virgini personale, cui valedicere valide potest. b) Si exitus talis matrimonii ob valde gravem disparitatem condicionis, invidiam, dissensum parentum certe infaustus praesumitur. c) Si magnum damnum materiale, aut praesertim spirituale, v. gr. ratione disparitatis cultus, ex tali matrimonio rationabiliter timetur. d) Si obstat lex civilis vel cononica, quae aut prorsus dispensari non solet, aut nonnisi magnis et impraevisis sumptibus ac incommodis dispensatio obtineri potest. e) Tandem si puella jam antehac ab aliis corrupta deprehenditur, tunc enim fraus fraude mutuo compensatur. Quando tamen fornicator òb justam et sufficientem causam ab obligatione ineundi matrimonium cum femina a se deflorata liberatur, eo ipso nondum eximitur ab onere reparandi damnum, tum ipsi defloratae, tum ejus parentibus obveniens. Ab hac postrema obligatione seductor hisce nonnisi in casibus liberatur: a) si seductor est paratus matrimonium inire, et femina sine ratione sufficiente renuit; non liberatur tamen stuprator a restitutitione si femina juste respuit nuptias, v. gr. quia vir se finxit melioris vel aequalis condicionis, cum sit inferioris. b) Si femina ex verbis, aliisve circumstantiis facile intelligere potuit deceptionem, puta, si sciebat seductorem sibi esse multo superiorem in nobilitate et fortuna; tunc enim merito praesumitur ipsa deceptionem voluisse aut finxisse. c) Si ipsa femina seductorem decepit, fingendo se esse virginem: deceptio enim compensat deceptionem.

[1]) Hic obiter adnotare juvat, inquit S. **Alphonsus**, valde utile fore ad hujusmodi flagitia (*fornicationes*) vitanda, quod promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem etiam forte juramento firmatae invalidae declarentur ab Episcopis (*lib. IV n. 641*).

d) Si ipsamet seducta stuprum clam patratum divulgavit, praeferendo potius mercedem meretritii, quam matrimonium. e) Tandem si promissio matrimonii certe non fuit causa movens feminam ad fornicationem.

133. IV. *Si ex stupro proles nascitur*, seductor, qui feminam vi, metu gravi, fraude, aut aliis injustis mediis ad fornicandum coegit, non tantum omnia damna fortunae et honoris, feminae defloratae et ejus parentibus exinde obvenientia, pro viribus reparare, sed insuper ipsi proli, usque dum sibi providere possit, alimenta solus praestare debet, nam solus est causa efficax totius damni. Nihilominus in ejus defectu curam prolis mater suscipere debet, cum sit mater, nec potest infantem alicui obvio furtim subdere.

Si stuprator mulierem libere consentientem defloravit, jure naturae uterque in solidum curam prolis susceptae habere debet, quoad sibi sufficiat. Jure Romano mater infantem alere tenebatur per tres priores annos; deinde jam patris erat soboli prospicere. Codice Napoleonis Civili nihil hac in re est decretum. Jure Rossico uterque parens prospicere debet proli, usque dum sibi sufficere possit.

Parentes fornicarii divites, qui sobolem illegitimam orphanotrophiis furtim supponunt, an teneantur ex justitia ad sumptus educationis hisce publicis institutis restituendos, non certo constat. Communior theologorum antiquiorum opinio parentes divites ad restitutionem obligabat: nosocomia pro pauperibus instituta esse supponuntur, vel in gratiam infantium, ne ex prava voluntate parentum pereant, non vero in gratiam parentum, qui ideo a sumptibus recompensandis, quando valent, non liberantur. S. Alphonsus et plures recentiores contrariam sententiam uti probabiliorem tuentur: «hujusmodi hospitalia, ait S. Alphonsus, non solum sunt instituta ad subveniendum pauperibus, sed etiam divitibus in infamiae periculo, in quo ipsi solent vel procurare abortum, vel prolem necare, ne infamentur; et huic malo intendunt hospitalia occurrere» [1]. Cum igitur de obligatione restituendi non certo constet, non potest confessarius parentes divites titulo justitae ad restitutionem cogere; potest tamen et debet saltem titulo poenitentiae copiosiores eleemosynas in gratiam hospitalis elargiendas hujusmodi divitibus injungere [2]. Insuper nemo infitias ire po-

---

[1]) **S. Alphonsus**, lib. IV, n. 656.

[2]) Ita: **Gousset**, *Decal.*, n. 595; **Scavini**, *De restit.*, n. 104.

test, hujusmodi parentes fornicarios, nisi gravissima causa excusentur, mortaliter peccare, prolem xenodochiis subdendo, nam et vitam sobolis et salutem ejus aeternam periculo objiciunt.

De restitutione ob adulteirum.

134. Adulterium est vagum commercium carnale cum persona conjugata, perinde sive haec est uxor, aut maritus. Si adulterium est ex parte mariti, huic simpliciter accomodantur principia, quae de stupro valent. Gravior difficultas ratione restitutionis exoritur, quando adultera fit uxor: praeter principia generalia, quae de stupro valent, quaedam singularia uxori adulterae occurrunt. In genere haec quatuor principia de uxore adultera et socio ejus criminis sunt tenenda:

a) Si ex adulterio *proles non est suscepta,* et crimen manet occultum, uterque adulter ad nihil ex stricta justitia obligatur, fides enim maritalis violata est in se irreparabilis. Jamvero, si adulterium marito devenit notum, tum uxor perfida, tum adulter vagus, ob fidem fractam et honorem mariti laesum, veniam petere ex justitia sunt obligati, nisi maritus talem satisfactionem respuat [1]). b) *Prole ex adulterio suscepta*, vir, qui mediis injustis, *vi, fraude, metu gravi* consensum mulieris conjugatae expugnavit, omnia damna, marito et filiis legitimis exinde obvenientia, solus recompensare debet: non tantum sumptus vitae et educationis marito restituere est obligatus, sed insuper, si filius illegitimus cum legitimis hereditatem accipit, adulter istis detrimentum hereditatis supplere tenetur. Probabilius tamen adulter non obligatur ad restituenda legitimis filiis illa dona minora, quae spurio, quasi filio legitimo, a consanguineis offeruntur vel legantur, nam hoc damnum, filiis legitimis obveniens, ab adultero praevideri non potuit et ex adulterio nonnisi per accidens sequitur. Sunt tamen plures theologi, qui non sine ratione asserant, spurium, si suam condicionem non ignoret, hujusmodi donationes, uptote in

---

[1]) Hac occasione ita Lugo: Poterit tamen dedecus illud compensari aliquando, honorando vel elevando ad altiorem gradum eum, qui passus est injuriam... Dixi etiam, restituendum esse pro infamia et dedecore, quod maritus patitur; quia si maritus adulter sit, non videtur ex hoc capite obligatus ad restituendum uxori, quia haec ex mariti adulterio nullum dedecus vel infamiam incurrere communiter existimatur (*Disp. XIII, n. 1*).

errore fundatas, non posse tuto retinere. c) Uxore de adulterio libere consentiente, tum proles, si nascitur, educari, tum omnia detrimenta, quae marito et ejus legitimis heredibus exinde fiunt, reconcinnari ab utroque adultero in solidum debent; alterutro autem deficiente, quisque solus omnia onera subire debet, habet tamen jus exigendi a socio sui criminis, ut pars dimidia sumptuum sibi restituatur. d) Quando certe non constat, utrum proles ex ligitimo, an ex adultero thoro sit suscepta, tunc valet principium: is pater, quem nuptiae demonstrant; ideoque adulter ad nihil rigore justitiae obligari potest (*vid. supra, n. 66*).

135. Haec sunt de restitutione ob adulterium principia generalia in se sat plana et perspicua, quorum tamen *applicatio usui vitae est maxime ardua et difficilis* in casu, quo proles spuria suscipitur. Adulteris merito tunc accomodari possunt verba Salvatoris: *vae homini illi, per quem scandalum venit (Matth. XVIII, 7)*. Difficultas restitutionis praesertim ex duplici capite exoritur: enimvero tum famae adulterorum est prospiciendum et secretum est servandum, ne pax familiae in maximum discrimen vocetur, tum ipsa restitutionis mensura et quantitas in singulis casibus vix definiri potest, cum id a pluribus circumstantiis saepe ignotis dependeat. Haec vero in specie de modo restituendi a theologis docetur. Uterque adulter, quantum potest, honestis modis impedire debet, quominus spuria proles inter legitimos filios supponatur, sed aut eam celandam et posthac separatim educandam, aut in orphanotrophio catholico stipendiario collocandam curent. Quod cum saepissime non succedat, uterque adulter ad omnia damna fortunae, tum marito legitimo, tum ejus heredibus perinde illata, in solidum reparanda obstringuntur. Sed qua ratione id fieri possit, res est et maxime scitu necessaria et simul maxime solutu difficilis.

136. *Obligatio reparandi ab initio* totum damnum, quod ex adulterio non statim sed nonnisi successu temporis sequitur, vc. prole in dies augescente, imponi per se nequit, nam damnum jam factum, non autem futurum urget restitutionem. Quapropter adulteri per se non obligantur nisi ad damna successive reparanda, prout in dies haec obveniunt. Cum tamen ipsi adulteri saltem ordinarie maturius, quam eorum soboles, mori soleant, antequam usque ad novissimum quadrantem justitiae satisfaciant, quidam igitur theologi suadent, ut certa pecuniae quantitas viro honesto et fideli committatur, cum onere exinde reparandi damna familiae laesae, in dies obvenientia; pars vero residua

ut danti restituatur. Hic tamen agendi modus multis impraevisis et evidentibus difficultatibus non caret. Summe igitur suadendum est adulteris, ut ipsi, quamprimum possunt, totum damnum statim compensandum curent. Sed quomodo decernenda est hoc in casu mensura et quantitas restitutionis? Proles enim spuria potest morte praematura corripi, aut adolescere, aut denique simul cum legitimis filiis hereditatis partem sibi indebitam adire. Jamvero cum de hisce eventibus nonnisi cum probabilitate judicetur, idcirco ipsa restitutionis quantitas cum quadam tantum verisimilitudine decerni potest, habita ratione tum sanitatis, qua proles spuria gaudet, tum futurae hereditatis, quam injuste obtinere potest. Restitutionis quantitate juxta judicium prudentis viri semel sincere decreta et familiae laesae per fictam donationem oblata, adulteri deinceps nihil repetere possunt, nihil addere tenentur, etiamsi successu temporis appareat, restitutam quantitatem majorem aut minorem illato damno esse; habetur enim tunc quasi-contractus aleatorius.

137. Peculiaris restituendi difficultas *ex patre matris adulterae* oriri solet. Quae, si bona propria habet, facilius justitiae rigorosae satisfacere potest, congruam illorum partem marito vel filiis legitimis ficte donando. Si tamen bona propria ei desunt aut haec non sufficiunt, debet diligentius curam familiae habere, propriis sumptibus parcere, laborem et industriam augere, ut saltem, in quantum potest, damna e suo crimine subsecuta recompenset. Licet etiam matri consulere, ut caute et prudenter marito suadeat, filios legitimos pluribus bonis, quam illegitimum esse augendos. Molina docet, ipsam debere de bonis, quae deventura sunt ad spurium vel jam devenerunt, occulte accipere, quantum tuto poterit, ut ex illis restituat et compenset occulte iis, qui damnum propter spurium injuste patiuntur [1]. Plures theologi suadent matri, ut animum prolis illegitimae ad amplectendum statum religiosum, dummodo signa vocationis divinae ne desint, vel ad vitam coelibem agendam flectere conetur, ut tali pacto saltem hereditati sibi indebitae renuntiet. Quae restitutionis media quam sint vaga, insufficientia atque, ut plurimum, parum efficacia, nemo non videt. Ideoque quando mater adultera ad partem sibi debitam restituendam non valet, aut restituere non vult, ejus defectum ex justitia supplere debet adulter, particeps criminis.

---

[1]) Molina, t. IV, Disp. 102, n. 15.

138. Quaeri solet, *mater adultera, nisi alia ratione obligationi restitutionis satisfacere possit, an suum crimen detegere teneatur aut filio spurio*, ut hereditati sponte renuntiet, *aut marito suo*, ut spurium a hereditate amoveat, vel injuriam condonet? Ordinarie mater neque ad hoc onus obligari potest, neque etiam hujusmodi consilium ei suggerere expedit: talis enim revelatio proprii criminis est onus gravissimum. exponit adulteram maximis periculis, saepissime fit inutilis. Imprimis ipse filius illegitimus fortasse ei non credet, neque ob testimonium unius personae, propriam turpitudinem allegantis, credere tenetur, nisi adsint certa indicia externa, ut absentia mariti tempore conceptionis probabilis (*intra 306 et 180 dies ante nativitatem*); similitudo faciei, qua proles aliquem patrem vagum prodere videtur, non censetur argumentum in hac causa sufficiens, nam per accidens contingere potest. Quidam theologi affirmant, matrem tunc saltem ad crimen suum spurio manifestandum obligari, quando aliter impedire nequit, quominus frater sororem ducat uxorem, quod malum est gravissimum. Sed etiam hac in causa habenda est ratio circumstantiarum: saepe numero manifestatio criminis maximum praebet scandalum neque ipsum malum avertit, nam in foro externo testimonium unius personae non valet. Plerumque igitur melius est permittere malum materiale, quam gravissimo detrimento famae se exponere.

139. Insuper mater adultera, suum probrosum et turpe crimen praesertim *marito si manifestaret*, certo periculo exponeret vitam propriam et vitam filii spurii aut sui seductoris, ne jam dicam de maximis in familia discordiis et invidiis. Ipsum periculum gravis infamiae matrem sufficienter excusat a restituitione. tali via procuranda, nisi mulier jam aliunde graviter suspecta communiter habeatur. Non quaevis tamen suspicio aut rumor circa famam jam mulierem sufficienter infamatam facit. Tandem mater adultera de manifestatione sui criminis saepissime excusatur ex prudenter praesumpta condonatione eorum, quorum interest, vc. tum mariti sui, tum filiorum legitimi tori. Qua de causa ita Lugo praeclare ratiocinatur: «posse aliquando excurari adulteram a manifestando suo crimine, eo quod prudenter credere possit, maritum... potius malle rem esse etiam sibi occultam et perseverare in suo errore, quam uxoris crimen detegi non solum aliis, sed etiam sibi. quod prudenter notavit Molina, plures enim sunt, qui malint magna parte facultatum privari eamque dare filio putativo et in sua bona fide manere, quam cum tanto dolore suam infamiam et uxoris delictum rescire, quod quidem ego ad filios etiam aliquando extendi posse credo:

sunt enim filii, qui malint consortem hereditatis habere filium spurium, quam quod propriae matris crimen detegatur, ex quo non parum dedecoris in filios ipsos redundat» [1]). Quando igitur prudenter praesumi possunt (nisi de contrario constat, semper praesumuntur) maritus et filii potius malle subire aliquod detrimentum temporale, quam uxoris vel matris suae obprobrium cum propria ignominia rescire, adultera de manifestando crimine certe excusatur. A fortiore non tenetur nec potest, convocatis filiis, ut cum quadam muliere Avenionensi aegrotante accidisse fertur, declarare, unum ex ipsis esse illegitimum, et petere, an velint eum indicari; nam condonatio seu renuntiatio, quae tunc a filiis conceditur, non est plene voluntaria, sed ex gravi et injusto metu sequitur: quisque enim filiorum prudenter timere potest, ne ipse spurius appareat [2]).

De restitutione ob defraudationem tributorum.

140. Tributi nomine dicitur omne, quod civibus ad toleranda communia Reipublicae onera a legitima potestate imperante solvendum imponitur. Tributa distinguuntur: *directa*, quae uniuscujusque personam et ejus bona immediate aggravant, quae etiam personalia vel praedialia (*подушной и поземельный налогъ*) dicuntur; *indirecta* seu realia, quae immediate res, usui obvenientes afficiunt, personas vero nonnisi mediate, in quantum illis rebus utuntur; haec sunt vectigalia solvenda pro rebus exteris in provinciam invectis (*cło, muitas*), pedagium pro servandis et reparandis viis et pontibus, pretium pro litteris per cursores publicos atque pro nuntiis per telegraphum transmittendis, pro personis et mercibus via ferrea transvehendis, pecunia solvenda pro usu chartae obsignatae, pro descriptione contractuum etc.

Tributa et imponi et exequi possunt. Christus Dominus ait: *Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari* (Matth. XXII, 21). Idem S. Paulus: *subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam... Reddite ergo omnibus: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal* (Rom. XIII, 5—7). Quod ipsa ratio comprobat: cum enim Princeps curam communitatis gerere teneatur, sane jus strictum habet exigendi

---

1) Lugo, Disp. XIII, n. 58.
2) Cf. Carrière, *De Justitia*, t. III, n. 1402.

a subditis tributa, ut tum ad stipendia ministris solvenda, tum ad onera regni toleranda valeat. Tributa imponere possunt: a) principes regnantes, qui rerum potiuntur, una cum comitiis legislatoribus, ubi haec exstant; b) concilia et Potifices, quando ad regimen spirituale id est opus; c) minores communitates in regno, vel municipia, saltem ex tacita Principis approbatione, ad onera particularia toleranda. Ut tributum sit justum, praeter legitimam potestatem quaedam insuper condiciones requiruntur: a) ut ad bonum publicum vere necessarium procurandum imponatur; ad quod tamen merito etiam Principis honesta, juxta ejus dignitatem, sustentatio refertur; b) ut aequalitas et congruentia servetur, vc. ut plus solvant, qui majoribus juribus gaudent vel sunt opulentiores.

141. *De vi, quam leges tributariae in conscientia habent*, usque modo inter theologos non plene constat. Utique tum antiquorum, tum recentiorum theologorum et communior et certe probabilior opinio negat, hasce leges esse mere poenales. «Respublica, ait Lessius, lege justitiae debet principi justum stipendium administrationis et subsidium necessarium ad conservationem publicae tranquilitatis; hoc enim tacite promisit, dum eum sibi praeposuit. Eadem autem obligatione qua respublica tenetur in genere ad sumptus necessarios, singuli in particulari tenentur ad suam partem ipsis debito modo assignatam» [1]. Sed quaeritur, utrum tributa sint solvenda ex justitia legali, an vero ex justitia commutativa?. Juxta S. Alphonsum sententia communissima et probabilior affirmat, fraudantes gabellas (vectigalia) peccare et ad restitutionem teneri [2]. Sunt tamen plures theologi graves, qui doceant, tributa esse quidem ex justitia, commutativa solvenda, sed nonnisi postquam sint petita vel post judicis sententiam definitivam. Quidquid sit, doctrina de tributis solvendis usque modo inter theologos incerta, ambigua, vacillans dici potest. Cujus rei causa potissimum inde est petenda, quod theologi omnia tributa indeterminate quasi in globo examinant, cum tamen non omnia ejusdem tenoris esse videantur.

Imprimius quaedam Reipublicae aut municipiis solvenda improprie dicuntur tributa, cum sint potius *remunerationes laboris vel recompensationes sumptuum*, quae ex stricto contractu licet implicito debentur. Hujusmodi est pretium solvendum pro transitu pontium aut usu viarum,

---

[1]) Lessius, lib. II, cap. 33, n. 57

[2]) S. Alphonsus, lib. IV, n. 616; *Homo Apost.*, tr. X, n. 81.

quae lapidibus sunt stratae, pro litteris per cursores publicos aut pro nuntiis per telegraphum transmittendis, pro personis aut mercibus viis ferreis transvehendis etc. Defraudatio hujusmodi pretii certe rigore justitiae commutativae est reparanda. Si aliquando ob hasce defraudationes mitius cum poenitentibus agere licet, tunc excusatio non aliunde est quaerenda, nisi aut ratione alicujus paupertatis, aut ratione parvae materiae respectu Reipublicae, aut fortasse pretii immoderati.

142. *De tributorum, quae directa dicuntur,* defraudatione vix sermo esse potest, nam in hisce exigendis Reipublicae ministri sunt pervigiles nec quidquam sutrahi permittunt; et cum post sententiam judicis, nisi in falsa praesumptione facti fundetur, in conscientia sit obtemperandum, idem de tributis, a legitima potestate decretis, est tenendum, quando haec omnibus pollent condicionibus, ob quas justa dici possunt. Ante sententiam judicis ex stricta justitia a singulis solvenda sunt tributa, *quae aliquam societatem vel municipium in solidum gravant,* nam alioquin cujusque defectum alii supplere injuste coguntur. Quod spectat alia tributa, indirecta vel realia, haec certe ex justitia commutativa sunt solvenda, postquam, declaratione a cive facta, vectigalis quantitas legali auctoritate est definita. Contra quamnam tamen justitiam vc. utrum legalem, an commutativam peccetur, quando *ipsae res, vestigali gravandae, non recte declarantur,* non certe constat. Juxta Lehmkuhl tunc saltem mediate laeditur justitia commutativa, quando quis valorem rerum declarandarum, quibus vectigalia imponantur, infra verum pretium nimis deprimit neque id ab aliis communiter fieri solet: nam tunc proportio in solvendis tributis non servatur. Marres sententiam mitiorem hac in causa defendere conatur [1]). Ceterum quemadmodum omnium legum, ita pariter legum, quae tributa adtinent, optimus interpres, est communis consuetudo et usus vitae, quem homines pii et timoratae conscientiae sequi solent; haec enim consuetudo ab ipsis legislatoribus non ignoratur et silentio approbari praesumitur.

143. Insuper, ut certa ab incertis distinguantur, haec sunt tenenda: *Ipsi vectigalium exactores et custodes* ex stricta justitia invigilare debent, ut omnes res, tributo subjectae, a civibus rite declarentur: vi enim officii, ex tacito contractu se obligarunt, ut jus Reipublicae hac in causa exequantur et damnum fisci avertant; quapropter ad resti-

---

[1]) Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, I, n. 984; Marres, t. I, n. 199.

tutionem obstringuntur non tantum, quando partem vectigalium sibi injuste retinent, sed pariter quando ordinariam curam in tributis exigendis culpabiliter negligunt. *Qui hosce exactores vel custodes verbis, muneribus, aut aliis mediis efficaciter inducunt*, ne suum officium justitiae peragant, qua injusti cooperatores peccant et cum illis ad restitutionem in solidum obligantur. Gravius adhuc peccarent, qui armata manu custodibus resisterent.—Contra, juxta consuetudinem. quam theologi non reprehendunt, peccare etiam contra justitiam legalem non videntur, qui *res aut parvi pretii, aut usui suo privato necessarias* ad vectigalia solvenda non declarant, dummodo ne mendaciis aut fraude utantur. Nullo tamen pacto saltem de peccato gravi excusari possunt homines, qui quasi quoddam commercium seu professionem sibi eligunt, ut res a tributo solvendo subducant easque vendant: ecquidem continuo fraudibus et mendaciis utuntur, suam indolem et characterem depravant, tandem et propriam vitam et opes familiares periculo exponunt, nam vectigalium defraudatores gravissimis mulctis etiam exilio puniri solent [1]).

Consuetudinarii defraudatores tributi portarii, pro exteris mercibus impositi, si non Rempublicam, tunc certe suos mercatores damno temporali injuste afficiunt: hi enim majore spe suas merces vendendi privantur, cum tamen Reipublicae rerum venalium centesimas solvant; quapropter hujusmodi consuetudinarii defraudatores portarii absolutione sunt indigui. Juste Marres monet, ut omni cura parochus subditos a periculosa hujus modi industria avertendos studeat; idque eo magis, quod plerumque pecunia, hac via comparata, nonnisi ad ebrietatem aliaque vitia nutrienda impenditur [2]).

Tandem *pro usu confessariorum* hoc consilium, quod a pluribus theologis datur, suggerere licet: fideles, si dubii interrogant confessarium, sedulo sunt adhortandi, ut tributa diligenter solvant et ab omni eorum defraudatione se abstineant; non tamen expedit, ut confessarius proprio motu petat a poenitentibus, qui in confessione de tributis tacent, an alicujus defraudationis sint rei, ne forte iis, qui in bona fide sunt, malam fidem comparet [3]).

---

1) Улож. о наказ., ст. 750.

2) Marres, t. I, n. 203.

3) Gury, t. I, n. 738; Marc, t. I, n. 970.

De restitutione ob damnum occasione militiae illatum.

144. Juvenes, ad bellum idonei et legitima Supremi Principis auctoritate militiae conscripti, nisi aliqua justa exemptione, ut clerici et religiosi, gaudeant, ex justitia legali ad oboediendum sunt obligati, cum salus Reipublicae id postulet. Qui igitur militiae se subtrahunt, aut jam conscripti signa deserunt, nisi legitima ratione excusentur, peccant contra oboedientiam et justitiam legalem, quemadmodum omnes praevaricatores justae legis civilis. Ubi vero milites mercede conduci solent, desertores etiam justitiam strictam laedunt et aut ad signa redire, aut saltem mercedem restituere debent. Nihilominus, cum ex castris praesertim tempore belli aufugientes gravissima poena capitis plecti soleant et cum nemo tantae poenae ultro se offerre teneatur, plerumque igitur in hac causa delinquentes obligare non expedit, ut ad signa redeant. Excusantur etiam, si aufugiunt propter grave fidei aut morum certum periculum, aut ne bello injusto cooperari cogantur; non eximuntur tamen ab obligatione restituendi nondum promeritum salarium, si pretio sunt conducti.

An vero juvenes ad bellandum idonei etiam contra justitiam commutativam peccent, quando fraude, mendaciis, se vulnerando, medicos corrumpendo aliisque injustis mediis militiae se subtrahunt, inter theologos non certo constat. Erga ipsam Rempublicam sane veram injuriam non faciunt nec quidquam ei restituere debent, nam ipsa loco eorum alios idoneos conscribere solet neque ullum damnum perinde subit. Videntur tamen aliqua injuria eos afficere, qui deficientem numerum supplere coguntur et qui aliunde beneficio sortis a militiae essent liberi. Nihilominus etiam in hac causa non certo constat de violatione justitiae commutativae, nisi quis fraude aut mendacio aliam determinatam personam suo loco injuste substituat; per se enim omnes juvenes ad bellum apti aequalibus juribus gaudent nec jus strictum habent, ne ad militiam consribantur. Sane quisque jus strictum habet, ne mediis injustis a consequendo legitimo bono impediatur; attamen ut quis veram injuriam pati dicatur, requiritur, ut modus injustus immediate contra eum adhibeatur; sed qui militiae se subducit, immediate propriam tantum curam gerit.

145. Quamquam argumenta, quibus plures theologi probant, a juvenibus, etiamsi mediis injustis militiae se subtrahant, non laedi justitiam commutativam, plenum assensum mentis vix trahere possunt, nihilominus ob causam dubiam *certa obligatio restitutionis delinquentibus imponi nequit.* Nemo tamen theologorum negat, *hujusmodi juvenes graviter pcccare:* peccant enim contra justitiam legalem, Reipublicae legitimam oboedientiam denegando; peccant contra legem divinam, adhibendo mendacia, fraudes, se vulnerando, aut aliter sanitati nocendo; tandem graviter peccant contra caritatem, corrumpendo pecunia vel muneribus medicos et ministros Reipublicae, eorumque praevaricationi cooperando. Difficilius excusari possunt de stricta injuria *ipsi officiales et medici*, qui se corrumpere permittunt et juvenes, qui aliunde a militia essent exemti, illegitimo modo conscribunt. Sane ipsi non tenentur munera illegitime accepta restituere, nam contractus, licet de materia illicita innitus, condicione inhonesta semel verificata, manet firmus, et donatio fit valida. Prababilius tamen sunt obligati ad recompensanda damna erga illos juvenes, quos illegitimo modo militiae conscripserunt. Confessarius caute hac in causa agere debet et, cum non desint graves auctoros [1], qui etiam medicos et officiales, pecunia corruptos, de stricta injuria excusent, ideo certa obligatio restitutionis etiam ipsis imponi nequit. Insuper non constat et quid, et cui sit restituendum: ignoratur enim et quinam juvenes aliunde a militia liberandi fuerint et quodnam damnum ratione militiae subierint. Quapropter confessarius nonnisi ratione poenae eis aliquid in pias causas elargiendum jubeat.

146. *De injuria, occasione belli* illata, haec adnotare licet. Bellum considerari debet, ut malum necessarium et nonnisi ex justa ac sufficiente cause fit licitum. Qui igitur partes habent in bello injusto ad restitutionem obligantur tum ob damna fortunae, quae inferunt, tum ob homicidia, quorum fiunt rei. Cum tamen de rationibus, quibus ad bellum indicendum principes moventur, simplex miles aut etiam inferiores duces vix judicare possint, ideo bellum ordinarie praesumitur justum, nisi de contrario certe constet. Verum milites, qui sua sponte conducuntur mercede, nequeunt cum dubio positivo in bello participare, quemadmodum nemo cum dubia fide possessionem legitime inchoare potest. In ipso bello justo non omnia sunt militibus per-

[1]) Lehmkuhl, *Theol. Moral.,* t. I, n. 988.

missa, sed observari debent jura gentium. Jamvero ex hodierno jure gentium non privatae hostium opes, sed nonnisi res publicae licito modo qua spolia occupari possunt. De licita ratione praedam capiendi tempore belli Jure Rossico septemdecim articulis est decretum [1]. Quae legis sanctiones sunt sat humanae nec sine injustitia fas est eas violare: Nemo praedam capere potest, nisi id a belliduce permittatur (*art. 4*). Fraudes, jure gentium illicitae, severissime prohibentur (*art. 5*). Praeda, a milite modo licito capta, fit sua, si in ejus manibus per 24 horas manet; sed omnia arma, signa, commeatus, pecunia e publicis mensis (aerario), quaecunque tandem ad bellum gerendum sunt necessaria, non militibus capientibus, sed Reipublicae adjudicantur (*art. 7*). Prohibetur, quominus milites captivi spolientur vestibus, pecunia, quibuscunque tandem rebus propriis (*art. 12*) etc.

De alumnis stipendiariis.

147. De alumnis seminarii, qui sumptibus alienis ea intentione educantur et instituuntur, ut tandem sacerdotio initientur et Ecclesiae ministri fiant, haec, restitutionis causa, sunt tenenda: a) Qui studiis in seminario ideo nonnisi vaccant, ut scientiam sibi comparent et deinde, ad seculum reversi, aliam vitae rationem quaestuosius ineant, certe peccant contra justitiam et ad sumptus alienos resarciendos fiunt obligati: nam tum agunt contra intentionem benefactorum, quorum spes perinde deluditur, tum saltem implicito mendacio impediunt, quominus alii juvenes, futuri presbyteri, sumptibus gratuitis legitime juventur. Alumni igitur, qui statui clericali valedicere certo intendunt, nisi sumptibus alienis etiam valedicant, absolutione sunt indigni, neque excusari possunt, etiamsi intentionem restituendi in posterum habeant: agunt enim expresse contra intentionem benefactorum et, ob inopinatam fortasse mortem vel ex defectu facultatis periculo non restituendi voluntarie se exponunt. b) Qui sincere sacerdotio initiari volunt, sed ab eo sine propria gravi culpa arceantur, v. gr. ob defectum vocationis, capacitatis, valetudinis, non congruae indolis, accusari injuriae non possunt neque ad restitutionem tenentur; secus dicendum est, si quasi de industria se indignos per pravos mores, desidium graviter culpabile reddunt; ordinarius torpor

[1] Гражд. Зак. *Прилож. къ ст. 410.*

animi et quasi innata pigritia non censentur graviter culpabiles, dummodo ne eis prava intentio se inhabilem reddendi accedat. c) Tandem qui ab initio studiorum de sua vocatione divina ancipites haerent, nisi dubia sint mere negativa vel parum solida, suum animi statum iis manifestare debent, qui facultate concedendi stipendia gaudent: nemini enim tuta conscientia possessionem cum dubia fide adire licet. Cum tamen vix quis de sua vocatione esse certus unquam possit, non omnia dubia praesertim minus solida impediunt, quominus alumnus stipendiis gratuitis licite utatur; liberalius hac in causa se gerendum est erga juniores, qui, cum studia in seminario incipiunt, vix unquam distinctum vocationis conceptum habent. Ne igitur stipendia vacua maneant, initio studiorum eadem concedi possunt etiam iis, de quorum vocatione dubitatur, nisi exinde alumni seniores magis securi sumptibus gratuitis priventur. — Si dubium possessionem jam inchoatam subsequitur, alumnus potest usum stipendii ad tempus retinere; consilio tamen inito aut cum confessario aut cum superiore, dubium, quamprimum potest, solide examinare et deponere debet.

Superiores, qui facultate concedendi stipendia gratuita habent, nequeunt eadem cum acceptione personarum pro libitu abuti, aut suos consanguineos aliis magis dignis praeferre, sed fideles donorum dispensatores juxta intentionem benefactorum esse debent; alioquin peccant contra strictam justitiam. — Tum juvenes, tum superiores, qui hac in causa obligationem restitutionis contraxerunt, non alia ratione ei satisfacere possunt, nisi alios juvenes juxta indicium eorum quorum interest, propriis sumptibus educent et instituant.

APPENDIX [1]

De mutua obligatione parochi ejusque vicariorum in diocesi Samogitiensi.

148. **Parochus,** qui solus curae animarum est impar, tot sibi adsciscendos vicarios ab Episcopo petere in conscientia debet, quot sufficiant et haberi possint, atque ipsis congruum victum et tectum ex justitia praestare tenetur [2]. Congrua autem et sufficiens sustentatio in genere tunc esse censetur, quando vicarius exinde ad competentem, non sordidam, frugalis tamen mensae, vitam agendam, ad jura episcopalia solvenda aliaque debita onera supportanda valet. Quid hac in re vicariis ex parte parochi propius congruat, decernendum relinquitur arbitrio episcopi, qui in sententia ferenda habere debet rationem temporis, loci, beneficii, aliorumque adjunctorum. In Samogitia partim ex jure communi aut consuetudine, partim ex statutis VII Synodi Samogitiensis (*an. 1752*) aut decretis episcoporum ad congruam vicariorum sustentationem, a parocho praestandam, usque modo referuntur: cubiculum cum mensa, duobus scamnis ac lectulo; obsequium et cura *famuli*; sufficiens lumen [3]; ligna ad calefaciendum cubiculum; lotio linteorum et tunicarum (*pranie bielizny*); pro vera necessitate equus cum

---

[1]) In componenda hac appendice magno mihi erat adjutorio professor Seminarii Samogitiensis Paulus Januszewiez, cui hic summas gratis ago!

[2]) Jus Commune; Cf. **Aichner**, p. 437—440. Brixiae, 1887; **Santi**, lib. I, p. 222—223, lib. III, p. 115. Ratisbonae; **VII Synodus Samogitiensis**, p. 82; **Conc. Trid.**, sess VI, cap. 2 de ref., sess. VII, cap. 5, sess. XXI, cap. 4.

[3]) Ex dispos. Eppi **Wołonczewski**.

ephebo; prandium, coena ac collatiuncula [1]); vinum, duo cerei ac paramenta ad Missam aliasque sacras functiones peragendas. Deinde ratione salarii ex decreto Synodi Samogitiensis circa exitum anni obsequiorum vicario centum tynfones sine cunctatione sunt solvendi, quod ab Episcopo Wołonczewski 25 rub. 25 kop. valere est declaratum. Insuper ex decreto ejusdem Synodi in gratiam vicariorum adjudicantur quaedam minores fidelium oblationes et quidem: occasione introductionis post nuptias et partum, proclamationum obolus nec non testium matrimonii, oblatio pro exportatione defuncti de domo et pro itinere ad sepeliendum suscepto, quaedam pars honorarii pro Officio defunctorum [2]), remuneratio pro administratione baptismi seu potius pro inscribenda metrica infantis; ex decreto autem episcopi Wołonczewski vicariis adjudicatur etiam tertia pars donorum tum in pecunia, quam in rebus, quae fideles quotannis libere offerunt animarum pastoribus, quando hi parochiam catechisandi gratia visitant et quae *collenda* dici solent. Tandem parochus obligatur vicarios suos observare ut fratres virosque sacerdotio Christi insignitos, cum bonitate, mansuetudine ac benevolentia eos tractare, consilio regere, exemplo excitare ut socios in labore, pietate, zelo, atque ita omnia disponere, ut nullus eorum graviore onere praematur et tamen omnia suo tempore ordinate adimpleantur [3]).

149. **Vicarius** strictissime est obligatus residere penes ecclesiam suam eamque deserere, parocho inconsulto, neque ad brevissimum quidem tempus fas est ei unquam [4]). Si quando ad brevissimum tempus extra parochiam proficisci debet, consensum parochi expetere obligatur; si

---

[1]) Ex decreto Synod. Samog., p. 82—84.

[2]) In dioecesibus Reg. Pol., ut plurimum, vicariis pars tertia honorarii pro Officio defunctorum est decreta; insuper pro sermone funebrali unus rubelus. In dioecesibus Samogitiensi et Vilnensi major vel minor remuneratio a liberalitate parochi pendet; saepissime unus rubelus pro toto Officio et pars dimidia pro uno Nocturno cum Laudibus vicario tribui solet; si autem ipse etiam Missam pro defuncto cantat, alter rubelus additur; certa tamen lex hac in causa deest, licet ad praecavenda continua jurgia maxime esset opportuna, quemadmodum etiam in causa singularium Missarum quae in dioecesibus Samogitiensi, Vilnensi et ex parte in Luceorio-Żytomiriensi usuveniunt et dicuntur „*całunowe*“: post Missam defunctorum cantatur „Libera“, velamento capali in media ecclesia extenso, cum s. Cruce inter quatuor aut sex accensas candelas.

[3]) Cf. Aichner, p. 441. Conc. Vienn., p. 76.

[4]) Synod. Samog., p. 82—84; Benedictus XIV, «*Quanta cura*».

extra decanatum et ad 2 hebdomades iter suscipit, praeter consensum parochi insuper permissio decani est obtinenda; tandem ultra 2 hebdomades et vicarius et parochus extra suam parochiam sine concessa gratia Episcopi commorari nequit [1]. Insuper vicarii esse debent adjutores parochi in confessionibus excipiendis, concionibus habendis, sacramentis administrandis, aegrotis visitandis, pueris instruendis, scholis frequentandis, Missis celebrandis, Vesperis canendis, generatim in omnibus officiis, quae a parocho exequi solent et debent.

Parochus tamen nequit prohibere, quominus vicarii stipendia Missarum, sibi a fidelibus oblata, accipiant eisque, quando liberi sunt, canendo aut legendo satisfaciant, totam eleemosynam sibi retinendo et parocho nonnisi pro excessu luminis aut pro singulari obsequio famuli consuetudine receptam pecuniae quantitatem solvendo. A fortiore nequit parochus, partem stipendii sibi retinendo, obligare vicarios, ut ad ejus intentionem Missam legant aut canant; alioquin ad restitutionem detractae partis certe obstringitur; contrarius abusus, sub quocunque praetextu introductus, nullo pacto permitti aut tolerari potest, nam contradicit expressis decretis Romanorum Pontificum, ut Urbani VIII, Innocentii XII, Benedicti XIV «*Quanta cura*». Ab Alexandro VII damnata est propositio sub n. 9: *Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenda.* Ex hac generali regula excipiuntur nonnisi Missae, quae aut in gratiam parochi sunt fundatae, aut ad parochum alicubi referuntur jure stolae, ut Missae cum officio defunctorum, Missae cum velamento capuli extenso, Missae ad S. Antonium cum «Sequeris». Has Missae, si id legitima auctoritate est decretum, potest parochus vicariis celebrandas committere, tribuendo sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis vel provinciae, reliquam partem sibi retinendo [2]. Ceteras

[1] Disp. Ex. Eppi Pallulon, an. 1891, № 225; an. 1897, № 1434; Consisf. Samog., an. 1898, № 7676; Santi, lib. I, p. 222—224.

[2] Ab Archieppo Mohiloviensi Kłopotowski (*an. 1901, № 56*) pro Missa legenda unus rubelus qua stipendium ordinarium est approbatus; quando pro Exequiis et Missa unum pretium offertur, tertia pars est habenda ut stipendium pro Missa oblatum. Insuper ab eodem Archieppo tum in dioecesi Luceorio-Żytomiriensi, tum in archidioecesi Mohiloviensi est prohibitum, quominus superflua stipendia aliis sacerdotibus extra fines dioeceseos sine praevio consensu Ordinarii mittantur; quae supersunt Missarum stipendia, mitti debent ad Ordinarium, qui ipse sacerdotibus extra dioecesim degentibus pro eorum necessitate providet. Quae dispositio est

Missarum obligationes, si in parochiali ecclesia sunt necessario celebrandae, potest quidem parochus suis vicariis coadjutoribus exequendas injungere, non tamen quidquam stipendii retinere ei licet, nisi moraliter sit certum, augmentum eleemosynae nonnisi ejus intuitu esse elargitum. Quaevis hac in causa pactio dignitatem S. Sacrificii summopere dedecet. Spontanea et liberalis cessio vicarii tunc nonnisi valet, quando proprio motu datur. S. Alphonsus ita hac in causa aperte dicit: «verumtamen hoc minime admittendum, si tu indices majus pretium acceptum et sacerdotem roges, ut remittat; vel ab eo quaeras, an consentiat, ut tu partem retineas; tunc enim nequis eam retinere, etiamsi ille annuat; nam hoc in praefata bulla Benedicti XIV asseritur tanquam execrabilis abusus vetitus a pluribus Pontificibus» [1]).

150. Insuper vicarii tenentur exhibere suo parocho tanquam immediato superiori cultum, reverentiam, oboedientiam; in faciem ei ne resistant; in obsequio animarum et ecclesiae sedulo operam suam navent; modeste se gerant; litigia et rixas devitent; sobrie et pie vivant, tempus non chartis aut vanis confabulationibus et visitationibus, sed legendis libris atque studiis impendant; in administrationem parochiae aut ecclesiae sine mandato aut consensu parochi ne se ingerant; consuetudines, quae sunt praeter s. rubricas, non tamen expresse contra easdem, proprio marte ne immutent, ne graves parocho se reddant; familiae domesticae ne imperant, nisi quantum eis a parocho est permissum; potum venalem ad coenam ne exigat; collectas fidelium oblationes pro fabrica ecclesiae, pro benedictione novae crucis, domus, agrorum, ratione collendae etc. fideliter parocho restituant; negotiationes ne exerceant sub poena confiscationis; Praelato aut Canonico in via constitutis sacra operantibus ab altare assistant [2]); quotannis propriis sumptibus exercitia spiritualia quinque dierum persolvant et testimoniam hac de re Curiae episcopali aut Decano exhibeant [3]); examen coram Decanis quotannis subeant [4]);

maxime opportuna ad praecavenda pericula, quae in transmittendis stipendiis Missarum contingere solent, cum haec non raro mittantur sacerdotibus parum notis aut etiam suspectis, qui satisfactionem negligere possunt et conscientiam transmittentis ab obligatione satisfaciendi non liberant. Generatim est notandum: si quis nomine offerentis stipendium transmittit alii, et hoc sine ejus culpa perit, periculum damni subit ipse eleemosynam offerens; contra, si sacerdos nomine suo stipendia accipit et deinceps eorum superflua alii mittit, periculum eorum in se suscipit.

[1]) S. Alphonsus, *Theol. Mor.*, lib. V, n. 321.

[2]) Synod. Samog., p. 82—84.

[3]) Eadem Synod., pag. 85.

[4] Decr. Ex. Eppi Pallulon, an. 1888, № 1959.

de morte parochi Decanum statim certiorem faciant; interim autem in praesentia fide dignorum testium scrinia ceteraque sigillis consignant et ne quid diripiatur, custodiam agant [1]); vicarius, parochia vacante, ad tempus deputatus, ut ei praesit, Missam pro populo diebus dominicis et sacris, ab Urbano VIII enumeratis, fideliter offerat, ex reditibus stolae, parocho obvenientibus, restitutionem stipendii sibi exequendo.

151. **De Anno Gratiae.** In dioecesi Samogitiensi post bonorum ecclesiasticorum alienationem (1842 an.) cuique ecclesiae parochiali et ex parte etiam filiali relictum est exiguum beneficium, quod, ut plurimum, 33 decumis constat et cujus ususfructus parocho aut administratori conceditur. Annus, quo beneficium mutat suum administratorem, vc. quando parochus aut moritur, aut ad aliam parochiam ab Episcopo transfertur, annus gratiae dici solet. Quotiescunque quaestio de anno gratiae apud samogitas movetur, toties, ut plurimum, rixae, ira, inimicitiae in medium prodeunt: etenim dispositio juris, cui in genere et superiores in dirimendis controversiis et actores in vindicandis sibi dividendisque bonis innituntur, est incompleta et sat obscura. Prima et novissima dispositio de Anno Gratiae est unicum caput VII Synodi Samogitiensis, ubi annus gratiae, incipiendo a Circumcisione Domini, in quatuor partes dividitur. Prima anni parte, quae tribus prioribus mensibus: Januario, Februario, Martio constat, successori $^3/_4$ partes, possessori autem $^1/_4$ pars omnium redituum, currente anno ex beneficio obvenientium, tribuuntur, ea tamen condicione, ut possessor successori frumenta aestivalia ad seminandum relinquat. Parte secunda anni quae tribus subsequentibus mensibus constat, omnes beneficii fructus in duas aequales partes successori et praedecessori tribuendas dividuntur, mercede pro labore et cultura sane deducta in gratiam ejus, qui fructus colligit. Tertia anni parte currente a mense Julio usque ad exitum Septembris successori $^1/_4$ et antecessori $^3/_4$ partes de fructibus tantum hiemalibus (?) adtribuuntur; hic tamen successori ad seminanda frumenta hiemalia necessariam quantitatem relinquere debet. De frumentis aestivalibus nihil dicitur. Tribus postremis anni mensibus currentibus omnia antecessori adjudicantur. Quae omnia a Synodo *religiose servanda* praecipiuntur. Quod adtinet menses, hi sufficiunt, si quomodocunque incipiuntur.

---

[1]) **Synod. Samog.**, pag. 61 - 62; **Aichner**, p. 436—441; **Santi**, lib. I, p. 222.

Quid tribuendum sit vicario, qui beneficio vacante, ad interim ejus curam gerit, nihil a Synodo est decretum. Concilio autem Tridentino ita hac in re est statutum: «debet episcopus, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur» [1]).

Vicarii, quando ad aliam parochiam transferuntur, oblationum, quae *collenda* dicuntur, deducta parte parocho debita, reliquam, a fidelibus jam actu obtentam, ex toto sibi retinere possunt, nam hujusmodi oblationes non habent rationem beneficii, sed potius reditus stolae, proinde dona personalia dici possunt.



[1]) Conc. Trid., sess. XXIV de Ref.

INDEX RERUM.

Liber Primus de Justitia Positiva.

De speciebus Juris.

Liber Secundus. De Justitia Negativa.

De speciebus injuriae.

Liber III. De Restitutione.

De Restitutione in genere.

De Restitutione in specie.

